# ORIGENES

# DE PRINCIPIIS.

PRIMUM SEPARATIM EDIDIT ET ANNOTATIONE
IN USUM ACADEMICUM

INSTRUXIT

ERN. RUD. REDEPENNING,

SACRARUM LITERARUM LICENTIATUS, DOCENS IN UNIVERSITATE
FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA.

LIPSIAE,

IN BIBLIOPOLIO DYKIANO.

1836.

Digitized by Google

C741.35

Bequest of
Convers Francis, D.D.
of Cambridge,
(Class of 1815.)

Digitized by Google

VIRIS

SUMME REVERENDIS

**Dr. J. CHR. WILH. AUGUSTI,**

REGI BORUSSORUM POTENT. AC. AUG. A CONSILIIS INTIMIS IN REBUS ECCLESIASTICIS, CONSISTORII RHENANI DIRECTORI, THEOLOGIAE PROFESSORI PROFESSORUMQUE IN UNIV. FRID. WILHELMIA RHENANA SENIORI, ORDINIS AQUILAE RUBRAE III. CL. CUM LEMN. EQUITI ETC.

**Dr. J. CAR. LUD. GIESELER,**

THEOLOGIAE IN UNIV. GEORGIA AUGUSTA PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO ETC.

PRAECEPTORIBUS AC PATRONIS OPTIMIS

D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google

# EPISTOLA DEDICATORIA.

Quamvis hanc meam librorum de Principiis editionem nec Vobis ingratam nec reipublicae literariae inutilem fore mihi persuaserim, diu tamen multumque, V. S. V., haesitavi, an Vobis eam dono offerre Vestrisque nominibus praemunitam publici iuris facere mihi liceret. Quae enim meae ipsius in hac editione adornanda operae atque industriae debentur, nimis exigua sunt, quam quae publice aliquando tandem significandi pii gratique erga Vos animi occasionem satis opportunam praebere videantur. Sed de doni tenuitate ut sollicitus esse desinam, ipsa Vestra lenitas atque benignitas, quam ex quo tempore Vos cognovi, egregie semper mihi probavistis, efficit atque iubet: patrocinium Vestrum ne nimis arroganter editioni meae vindicasse videar, summopere mihi metuo. Nec sane unquam Vos, quorum nunc summa est in literis theologicis auctoritas, patronos huius libri nuncupassem, nisi non tam meam quam Origenis causam agi sensissem. Praeterquam enim quod Origenis sunt hi quattuor de Principiis libri, hac editione veluti specimine et pignore exhibito uberiorem de Origene graecaque tunc temporis ecclesia commentationem, mox edendam, publice polliceri Vobisque commendare volui. Quam enim post Huetium propter operis difficultatem neminem hucusque perfecisse, haud multos aut meditatos esse aut etiamnunc meditari video, propriam de theologiae graecae auctore atque coryphaeo scriptionem, ante hos quattuor annos Vobis auctoribus institui, mox absolvam. Neque scio an nunc iam ultimam operi manum admovissem, nisi

hoc veluti praecursore non sine damno haud paucos carere posse intellexissem. Namque tota fere Origenis theologia in his ipsis de Principiis libris continetur. Qui quum perpaucis hucusque praesto essent, aut magnam partem in commentationem nostram transscribendi, aut ante eam nova editione separatim divulgandi erant. Alterum hoc longe praetuli. Primo enim sic minutiora quaedam nec tamen silentio praetermittenda in annotatione textui subiungenda apte vel attingi vel absolvi, cetera quae prolixiori excursu aut continua disceptatione egerent, textu semel rite constituto, concinnius atque succinctius suis locis in commentatione ipsa tractari posse videbantur. Deinde libri de Principiis, hucusque a nemine unquam nec seorsim editi nec commentario instructi, in usum academicum qui ederentur, satis superque digni sunt. Quis enim uberrimum ab iis fructum ad literas et theologicas et philosophicas redundare nunc ignorat? Quis harum literarum peritus, hucusque copiam eorum iuventuti studiosae non factam esse, sine aegritudine tulit? Itaque editionem qualem animo mihi proposuissem statim institui, atque quid in hoc scribendi genere possem pro virili expertus sum. Nec quae nunc paratur egregia sane omnium Origenis operum editio a proposito avocare me potuit, quum diverso eam consilio susceptam, nec ad libros Origenis syntacticos, qui dici solent, huc usque progressam, nec denique propter operis molem parvo parabilem esse animadverterem. Denuo enim typis describi libros de Principiis, annotatione destitutos, et in posterum tempus differri quod iusto diutius omissum esse merito aegre feratur, denique pau-

cioribus modo recludi, quae quam plurimis patere deceret, parum mihi placuit, nec creberrimae eae, quae hoc ipso tempore inter theologos simul et philosophos habentur de Alexandrinae theologiae cum Neoplatonicorum scholis affinitate atque vicissitudine quaestiones patiuntur. Quod enim post Souverainium (le Platonisme devoilé, ou Essai touchant le verbe Platonicien, Cologne 1700. 8., quem librum secunda vice vernaculo sermone edidit annotatione instructum Ios. Frid. Chr. Loeffler, Zuellichaviae 1792) et Franciscum Baltum (Défense des SS. Pères accusez de Platonisme, Paris 1711. 4.), alterum ecclesiae reformatae quondam verbi divini ministrum, alterum ex ordine Iesuitarum, continuo fere in aciem prodeuntibus celeberrimis diversarum sententiarum propugnatoribus, controversum fuit (v. Keilii opuscc. acadd. ed. Goldhorn, Lipsiae 1821, p. 445 seqq.): quid sit illud, quod aut a philosophis alexandrinis christiani theologi, aut a theologis christianis philosophi alexandrini vel suum fecisse, vel in suas partes convertisse, vel denique e communi fonte derivasse videantur: id nunc Moshemii (in commentatione de turbata per recentiores Platonicos ecclesia, versioni Systematis intellectualis Rad. Cudworthi annexa Lugd. Bat. 1773 vol. II), eiusque assectatorum, Bruckeri (hist. philosophiae critica II, p. 368 ss., III, p. 237 ss.) et Crameri (ad Bossuetum T. II, p. 268 ss.) auctoritate deserta, post Keilium, qui de doctoribus veteris ecclesiae culpa corruptae per platonicas sententias theologiae liberandis commentationes scripsit XXII (l. c.), nuper inter theologos A. Ferd. Daehne, in libro de *γνώσει* Clementis

Alexandrini et de vestigiis neoplatonicae philosophiae in ea obviis, Lipsiae 1831, accuratius investigandum sibi sumsit: inter philosophos, qui saniorem de recentioribus Platonicis sententiam profiteantur, post laetiora philosophiae nostro tempore incrementa nec desunt nec deesse poterunt. Quae quum ita sint, quidni operae pretium facturus esse videar, si fontibus utriusque doctrinae nec satis pervulgatis nec illustratis hos de Principiis libros in medium proferam, atque efficiam, ut qui velint rectius de quaestionis statu iudicium facere, litemque ipsam iuste dirimere possint. Minime enim dubito quin post Grossmanni, Gfroereri, Daehnii egregias in Philonem curas; Bauri de cultuum veterum ac sententiarum ad religionem pertinentium mutua inter se vicissitudine ac, tempore nascentis ecclesiae, commixtione; aliorum de genio aevi huius eruditissimas dissertationes: de vera indole theologiae graecae et de iuniorum Platonicorum philosophia multo iam accuratius atque facilius quam unquam antea iudicari possit. Namque sua sponte iam patere videtur, unius eiusdemque radicis veluti ramos diversa petentes utramque esse philosophiam, ethnicam Neoplatonicorum, christianam Patrum alexandrinorum, γνώσεως nomine insignitam; atque utrique affinem utique esse atque cognatam multis numeris ψευδώνυμον istam, quae neutrius tamen partis assensum tulit, nec ferre potuit. Neque inter neoplatonicos philosophos quidem et theologos christianos consensio esse potuit, quum quae ex eodem veluti fonte utrique derivassent, e genio dico philosophico saeculi exeuntis secundi, alteri ad superstitionem gentilem,

Digitized by Google

alteri ad veritatem accommodarent christianam. Constanter enim a divini codicis auctoritate regulaeque fidei sancitis ita pendebant Patres alexandrini, ut ei nisi nescii Philosophorum veterum sententias nunquam anteponerent, nec placitis quae viderentur divinis libris conciliari non posse unquam calculum adiicerent; id quod brevibus suo loco postea exponam. Neoplatonici e contrario, quantacunque sunt quae Philoni eiusque successoribus Numenio Apameensi, Cronio, Moderato, Nicomacho debuerint, a veritate christiana hac ex parte haud procul remoti, quotcunque Ammonius Saccas antea christianus veritatis semina cum erroribus immiscuerit: tamen omnibus omnino viribus intentis mythologiae paganae operam dabant, quasque possent noxas dogmati christiano infligebant. Dixi haec, ne quis de rei summa utrosque philosophos consentientes me efficere velle opinetur: quum nonnisi ad formam atque rationem philosophandi utrorumque consensum pertinere mihi persuaserim. Sed quum non tam Vobis, V. S. V., qui universam antiquitatem optime perspectam habetis, quam coram Vobis, ut aliquid auctoritatis praefationi meae accedat, haec dicere instituerim, in his iam subsistendum est, praesertim quum quam in edendo rationem secutus sim, ut brevibus exponam, res ipsa nunc postulare videatur.

Quoties fieri potuit a Ruaei (Opp. Origenis 4 voll. fol. Parisiis 1733—1759) lectione non discessi. Ineptissime enim agere videntur, qui in textibus Patrum, quorum longe alia est quam veterum scriptorum romanorum graecorumve ratio, lectionem semel receptam immodico novitatis pruritu sine

Digitized by Google

summa necessitate reiicere audeant: non quasi inviolate servandi videantur patrum libri, sed quia varietati lectionis nec modus facile adhiberi, nec nisi perraro utilitatem ea habere possit. Neque id de fragmentis librorum de Principiis, sed praecipue de latinis eorum versionibus dico. Sexcenties enim non tam emendare quam immutare potuissem interpretationis latinae textum, quum Ruaei codices, quorum auctoritatem presse sequitur, Virodunensem, Corbeiensem, Colbertinum, Sorbonicum, monasterii de S. Michaele, monasterii denique S. Remigii Rhemensis, tam mirum plerumque servent consensum, ut ex uno eodemque codice archetypo eos descriptos esse vix dubium videatur: librorum vero ad Ianuarium, qui e Rufini interpretatione excerpti sunt; Apologiae Pamphili, haud exiguas librorum de Principiis lacinias exhibentis atque eodem fere, quo versionem eorum integram pararet, tempore editae; denique locorum a Martianaeo in Opp. Hieronymi, nonnunquam bis, Tomo IV et V (quorum priorem Mart. A, alterum Mart. B insigniri placuit), exhibitorum, nullam omnino rationem in editione sua habuerit. Neque scio an optimo iure. Non enim haec dixi ut Ruaeo detraherem aliquid debitae laudis, sed significare modo quid sit, quod omiserit volui. Ceterum eae ipsae quas passim exempli causa uberius, plerumque rarius annotavi, lectiones variae documento erunt variantem inter eas vix unquam exspectandam esse. Itaque qui altius singula persequi velint, libros et capita librorum, quibus textus repetatur, annotata reperient: ii quibus potissimum scripsi ampliorem apparatum vix unquam desidera-

Digitized by Google

bunt: neutri quod in lectione recepta plerumque acquieverim, aegre ferre poterunt. Quae quum ita sint, minime equidem dolui, quod in Vallarsii editione operum Rufini, quorum prior duntaxat pars uno volumine Veronae 1745 fol. prodiit, interpretatio librorum de Principiis non reperitur. Nam Rufino ipsi accuratio in propriis verbis allegandis, pro more temporis istius non ita curae fuit, uti ex varietate lectionis p. 85 videre licet. Nec Iacobi Merlini et Gilberti Genebrardi, quorum nomina sub siglis M et G in annotatione mea latent, variae lectiones quicquam medelae textui pollicebantur. Nempe in veterum manuscriptorum lectione non belle exercitatum Merlinum, qui primus typis mandari curavit latinas Origenis operum reliquias Parisiis 1512, 4 voll. fol., incidisse in edendis de Principiis libris in unicum codicem Sorbonicum, accuratum quidem sed frequentibus siglis ita implicitum, ut ei pene ad singula verba haeserit aqua, divinarit potius quam legerit, et divinando absurdas saepissime et ridiculas pro genuinis obtrudat lectiones, merito coniecit exemplisque allatis uberius docuit Ruaeus, Praef. in Vol. I Opp. Origenis p. VII. Genebrardus autem, cuius editio anno 1574 prodiit Parisiis, ne latum quidem unguem a Merliniana discedit (Ruaei verbis utor l. c. p. VIII), si modo novos typographicos errores exceperis, et novam quam initio libri tertii et quarti instituit latinam interpretationem, neglecta Rufiniana. Denique Erasmi operum Origenis editio, quae auctore mortuo absoluta a Beato Rhenano Basileae 1536 fol., et auctior subinde ibidem 1551, denique cum Simonis Grynaei prolegomenis

anno 1571, 2 voll. fol. prodiit (v. Oudinum sub Origene, Fabricii bibliothecam graecam curante Harles vol. VII, p. 235): ea nec libros de Principiis continet, nec codicum fidem sed priores editiones sequi solet. Nostro tempore Ruaei textum repetiverunt Oberthuerius Wirceburgi 1781 (Tom. III libros de Principiis continet), isque pessima fide; et editores Collectionis selectae Patrum, Caillau et Guillon, Lipsiae, Parisiis et Bruxellis, Tom. VII, 1829. Hi elegantissime textum latinum exprimi curarunt: graecum omiserunt, substituta versionis antiquae loco ubi fieri potuit recentiori. In tanta igitur editionum textuumque copia parcius potius quam immoderatius versandum nec temere innovandi libidini indulgendum esse intelligitur.

Itaque in versionis latinae textu constituendo, varietatem lectionis nec desideravi nec affectavi: alia fragmentorum ratio est. Textus graeci lectiones quotquot indagare potui excerpsi omnes: plures deesse, in fragmentis a Iustiniano (epist. ad Mennam) servatis dolui, in utroque illo, quod in Philocalia exstat, vix aegre tuli. Utrumque enim hoc fragmentum et sententiis et verbis multo expeditioribus, quam breviores istae laciniae utitur, ita ut vix ullibi medelam textui afferendam desideres. At vero temporum iniuria tulit, ut utriusque huius fragmenti codices nunc supersint satis multi: Iustiniani excerpta nonnisi in uno codice eoque perquam corrupto, qui fuit Antonii Augusti (v. Baronii annales ad annum 538, Tom. IX, p. 579), reperiuntur. E quo codice primum Baronius latine et delectu instituto, deinde Chr. Lupus, qui de Concilio Constantinopolitano V dissertationem scripsit, graece ea edidit;

Digitized by Google

cuius ex editione, pravitate lectionis servata, quin imo typothetarum negligentia incredibiliter aucta, in Conciliorum Collectiones transierunt (Walchii hist. haeresium VII, p. 648). Deficientibus codicibus e veteri versione latina textui medela afferenda fuit. Itaque in margine a Conciliorum editoribus sanior lectio, quam in textum recipi fas non erat, annotata est: ubi ipsa versio, quam dixi, latina graeco textu depravatior erat, coniectura uti oportebat. Ingeniose praeter alios Semlerus hoc officio functus est, plerumque vero parum feliciter. Nil tamen quod suppeditasset neglexi: ubi a praecessoribus destitutum me sentirem, quid ipse possem expertus sum. Praeterea curae mihi fuit, ne quidquam quod graece reperiretur, latine tantummodo legeretur. Itaque quae omisit fragmenta Ruaeus, ea protraxi: quae suo loco in versione Rufini inseruerat, ea uno tenore, philologorum morem secutus, exhibui in fronte operis, ut quae genuina essent et proprio Origenis stilo scripta a spuriis atque dubiis facilius internoscerentur. In versione latina quae graece superessent indicavi, ne comparationem instituere lectores omitterent. Denique in legibus orthographicis eum qui nunc fere regnat morem ac consuetudinem secutus sum, praesertim si quas non arbitrarias et levioris momenti esse, sed per se ipsas commendari viderem regulas. Et haec quidem de Iustinianeis fragmentis: sequitur ut de Philocalia, tertii et quarti de Principiis libri lacinias haud exiguas suppeditante, dicam. Satis multi Philocaliae ad nos pervenerunt codices, quorum indicem Fabricius exhibet l. c. p. 221. Est enim *Φιλοκαλία* selectio sive anthologia ex Origenis

scriptis de variis quaestionibus, sacras literas spectantibus, quae in Theodori, Tyanensis episcopi gratiam capitibus XXVII digessere Gregorius Nazianzenus et Basilius Magnus, eo tempore, quo simul monasticae vitae in secessu prope Neocaesaream Ponti operam dabant (anno 360), Socrates h. e. IV, 24; C. R. W. Klose in libro de Basilio Magno, Sundiae 1835, p. 140. Graece e regio codice cum nova versione et notis plerumque criticis primo edidit Philocaliam Io. Tarinus Andegavensis, Parisiis 1618, 4., altera vice 1624 ibid. Cuius posterioris copiam equidem habui editionis. Guil. Spenceri anno 1658 et 1677 Cantabrigiae impressam inspicere mihi non licuit. Eorum quos Fabricius recenset codicum copia non mihi facta est, nec vehementer eam desideravi, quum e Ruaeei Tarinique lectionibus variis textum satis sanum restitui posse intellexissem. Collati enim sunt a Ruaeo codices regii Parisienses DCCCCLII, MMDCCCLXXVII, MMCCLXXIV, Coislinianus CCXXVI, denique Foucautianus (v. Tom. I Opp. Origenis p. 156). Quos tamen omnes non tam accurata comparatione instituta, quam, quod tunc in Patrum editionibus fieri solebat, passim inspiciendo contulit; neque cuinam unaquaeque debeatur lectio codici, satis accurate annotavit. Tarini autem multo adhuc peior fuit in codicibus conferendis negligentia. Tribus codicibus usus est, uno Regio, duobus qui erant Iac. Aug. Thuani. At vero quum citius quam par fuisset editionem pararet, festinantibus prelis et in quotidiana laboriosi muneris assiduitate pensum suum in diem efflagitantibus, quanta decebat accuratione critici officio fungi non potuit (v. Praef. et p. 681).

Digitized by Google

Delectum tamen lectionum quas in medium proferret, habuisse se (ibidem) profitetur, atque critica quam operi subiunxit annotatio documento est. Itaque varias has Tarini lectiones quum minime omnes excerpsisset Ruaeus, ne una quidem excepta in apparatum nostrum recepimus, quomagis quid sit illud quod a nova codicum collatione exspectandum videatur, iudicare queant lectores.

Et haec quidem, quae ad textum constituendum pertinent hactenus. Ex Rufino enim perraro medelae aliquid textui graeco afferri posse, vix est quod moneam, praesertim quum de Rufino uberius in Prolegomenis disseruerim. Verum quaeritur nunc qua ratione in ipsa Rufini versione quaenam Origeni, quae e contrario interpreti debeantur, enucleaverim. Praeter ipsa librorum de Principiis fragmenta, haud exiguae versionis Hieronymianae, quae ad verbum reddere solet textum graecum, laciniae supersunt; quas Ruaeum secutus textui Rufiniano subiungi curavi. Ubi ne sic quidem de veritate textus satis constaret, e ceteris Origenis scriptionibus vel homiliis in medium protuli, quae quid docere solitus sit de singulis doctrinae capitibus, ostenderent. Quoties fieri potuit atque necessarium videbatur ipsa Origenis verba excerpsi: sin minus in allegando substiti. Omnes omnino quos adhibui Origenis locos ex Ruaei editione citavi. Quae praeterea annotata sunt, ea ita sunt comparata, ut literarum theologicarum tironibus potissimum, qui in seminariis instituantur, aut privata Origenis lectione utantur, scribere me voluisse facile intelligatur. Itaque non nisi qui primarii viderentur libri communique omnium usu triti allegantur: prae-

Digitized by Google

ter hos ii, qui fontes fuerunt scriptoribus nostro tempore generalius vel de dogmatum historia vel de antiquitate ecclesiastica disserentibus. Quae viva voce melius quam literis traduntur, prorsus omisi, ne scholis theologicis minus accommodatum efficerem librum. Qui annotatione mea non egent, textum iam habent uno tenore continuatum, nec ullis qui in legendo impedimento sint vel literarum, vel numerorum notis interruptum. Ne capitum quidem inscriptiones quae serioris aevi sunt, in textum recepi: in margine tamen, quod veteribus in usu fuit, eas exhibui; alieni scriptoris verba ipse Rufinus allegandi notis insignire solebat (adv. Hieronymum lib. I, Tom. IV Mart. p. 362). Itaque hanc ego spem suscepi, ne Vobis quidem vel inutilem vel ingratam fore hanc meam librorum de Principiis editionem, nec patrocinio Vestro eam esse indignam; praesertim quum amplioris operis sive praelusionem sive initium atque fundamentum eam esse non temere monuerim. Quae autem vel nunc vel aliquando in me posita reperiantur, ea fere universa Vobis accepta mihi referenda esse, non possum quin publice fidem faciam, quum quam multis egregie, eam ita mihi ut haud addi potuisset quidquam, perpetuo probaveritis munificentiam, benignitatem, amicitiam. Faxit Deus Optimus Maximus ut ad vere liberaliorem sanioremque theologiam ex his lucubrationum mearum primitiis fructus aliquis redundet, idemque illud quod in Origene fuit, veritatis cognoscendae, indagandae, profitendae sanctissimum studium indies laetius inter nos reviviscat. Valete.

D. Bonnae, Calendis Octobris MDCCCXXXV.

# Prolegomena.

## CAPUT I.

*Libri περὶ ἀρχῶν, sive de Principiis, quid contineant et quo tempore scripti sint.*

Quum sena millia librorum, si homilias, tractatus, epistolas singillatim enumeraveris, edidisse feratur Origenes (Epiph. haer. 64 p. 591, Rufinus de adulterat. libr. Origenis p. 54), tantaque quanta nemo legere possit eum scripsisse Hieronymus ipse, alibi in dubium vocans hunc numerum, confiteatur (Ep. 41 p. 346): non mirum est, eos qui de praestantia eorum iudicium facerent, in diversa abiisse, ita ut alteri Tomis in Iohannem, alteri vel libris contra Celsum, vel iis qui de Principiis scripti sunt, principatum vindicarent. Neque scio an otium et operam perdant, qui quum Origenes diversissimo scribendi genere, homiletico, exegetico, apologetico, dogmatico usus sit atque in unoquoque perinde fere pro aevi istius indole excelluerit, unum aliquem sibi eligant librum, quem ceteris praeferant; praesertim quum longe plurimi vel prorsus, vel maximam partem interierint, vel latino sermone archetypum parum accurate imitante nunc legantur. Alia quaestio haec est, quaenam Origenis scriptio aut ad laudandum, aut ad criminandum, ceteris uberiorem omni tempore materiam praebuerit, ideoque omnium aut celeberrima aut insignissima videatur. Namque citra controversiam est, adversarios Origenis, et dum vivebat

Digitized by Google

et post eius mortem, unice fere e libris de Principiis petivisse, quae vitio ipsi verterent: asseclas atque amicos, quorum haud paucos semper nactus est, hos praecipue libros tanquam totius doctrinae eius horreum complexos esse. Philocaliae enim editores, Gregorius Nazianzenus et Basilius Magnus, libri tertii atque quarti partem haud exiguam anthologiae suae inseruerunt; Pamphilus, quum Apologiam scriberet Origenis, horum potissimum librorum ope orthodoxiam eius defendit; Rufinus, qui hanc Pamphili Apologiam latinitate donavit, statim postquam eam absolvit, libros de Principiis vertendos sibi sumsit: Hieronymus alios sat multos Origenis libros quum latine vertisset, hunc ipsum orthodoxiorem nunc, quam in graeco erat, legi ferre non potuit, atque ut Rufini in interpretando perfidiam, Origenis heterodoxiam notaret, denuo eum ad verbum fere latine reddidit; idem abhinc prope unice in huius ipsius operis reprehensione acquievit, cetera laudibus, ne parum sibi constare videretur, efferre perrexit. Itaque omnes fere istae, quae inter Hieronymum et Rufinum, sive potius inter orthodoxiam occidentalem et liberaliorem theologiam istis propugnatoribus, factae sunt lites, ad solos fere libros de Principiis pertinebant. Neque aliunde postea Iustiniani Magni aevo, quae Origenem iuste damnatum esse fidem facerent, sententiae collectae sunt. Etenim universam fere Origenis doctrinam uberrime continueque expositam hi libri exhibent: ceteri nonnisi passim et per saturam singula quaeque dogmata tractant. Quum enim ante eum nemo exstitisset, qui *συνταϰτιϰῶς* atque philosophica ratione de fidei christianae summa disseruisset, sed nonnisi mixto ordine, varioque dicendi genere dogmata theologica in Stromatum sive *ϰέστων* libris a Clemente Alexandrino exposita essent, ita ut veluti scripta varii argumenti uno volumine contineri viderentur: ille in his do-

gmaticarum literarum initiis non iam acquievit, sed systematice tractandi veritatem christianam, atque propriis locis dogmata potiora exponendi periculum fecit. Praeterea Clementem praeceptorem imitatus, decem Stromatum libros Alexandro Severo imperante, atque antequam Alexandria exsul factus esset (Euseb. h. e. VI, 24), exaravit, quorum reliquias Ruaeus (Tom. I, p. 39 seqq.) congessit. Quorum tamen quum nullibi in libris περὶ ἀρχῶν mentionem faciat, libris de Resurrectione, tomis in Genesin aliisque scriptionibus plus semel allegatis, eos post syntacticum illud opus edidisse videtur. Itaque quum exegeticis curis sacrum codicem nonnihil iam illustrasset, deque Resurrectione peculiari libro (v. de Princ. L. II, p. 223) disseruisset, nunc systematico, ut ita dicam, scribendi generi operam dedit. Ac sane literas, maxime philosophicas, tractandi per ea tempora ratio parum exculta, deinde orientalis ecclesiae unice fere Platoni addictae, ab Aristotele tunc temporis abhorrentis, ingenium, denique ipsa Origenis indoles atque natura, inveniendi, coacervandi atque distinguendi facultate quam adornandi, disponendi concinnandique severitate et castitate longe insignior, impedimento erant, quominus feliciter omni ex parte novo officio fungeretur, eamque, quam animo conceperat, libri sui ideam atque formam optime exprimeret. Saepius enim occasione data quae dici poterant, quam quae ordine atque nexu sententiarum servato dici debebant, in medium profert, variaque eruditione illustrat: saepissime repetit quae iam absolverat, attingit quae uberius exponenda erant, quae attingenda, prolixius persequitur. Nihilominus Origeni ea debetur laus, ut hoc libro eum tam philosophiae quam dogmatices christianae iecisse fundamenta, nec a quoquam e Patrum graecorum numero, antequam Aristoteles, platonica philosophia una cum Origene damnata, regnare coepisset, in hoc scribendi genere superatum esse dicamus. Nam praecipua doctrinae



Digitized by Google

christianae, qualis tunc erat, capita hoc in opere omnia uno velut oculorum intuitu perlustranda proposuit, non inepte disposuit, uberrime tractavit. Itaque iam qui factum sit, ut et adversarii et asseclae hos potissimum libros aut amplexi aut odio prosecuti sint, intelligitur: iidem, quo iure nisi praestantissimi, tamen insigniores ceteris omnibus dicantur, periti nunc iudicent. Equidem cum iis non contendendum esse censeo, qui inter tot tamque varias Origenis scriptiones nullam et philosophicis et theologicis literis promovendis aptiorem esse statuant.

His ita praestitutis, nunc accuratius de fine atque indole librorum de Principiis dicendum est. Minime consentiunt antiquitatis ecclesiasticae periti de fine et consilio, quod in libris *περὶ ἀρχῶν* propositum habuerit tituloque inscripto significarit Origenes. Duplex potissimum de hac re sententia est. Sunt qui eum sensu platonico vocem *ἀρχαὶ* huic operi inscripsisse, sibi persuadeant, ita ut de initiis, id est de fontibus atque origine rerum omnium disserere voluisse videatur: sunt qui de elementis atque summa fidei christianae eum dixisse, hancque ipsam elementorum, sive capitum potiorum, notionem in titulo expressisse contendant. Fuerunt etiam praeter hos, qui prorsus inepte de hac quaestione sentirent. Quorum in censum ipsum adeo Rufinum apparet venire, quippe qui illud *περὶ ἀρχῶν: vel de Principiis vel de Principatibus*, et quod peioris notae codices exhibent, *de Potestatibus dici posse* (v. Prolog. p. 85) statuat. Cuius perversae interpretationis verba Pauli (Col. I, 16) male intellecta causam fuisse, facile intelligitur.

Qui priorem illam de libri inscriptione atque consilio sententiam tuentur, antesignano atque duce utuntur Marcello Ancyrano (ap. Euseb. contra Marc. lib. I, p. 23), cuius haec est de Origene sententia: *Ἔτι τῶν τοῦ Πλάτωνος μεμνημένος*, inquit, *δογμάτων καὶ τῆς τῶν ἀρχῶν παρ' αὐτῷ διαφορᾶς* (i. e. variorum Platonis principiorum), *περὶ ἀρχῶν γέγραφε*.

*βιβλίον, καὶ ταύτην τῷ συγγράμματι τὴν ἐπιγραφὴν ἔθετο.* Recte quidem Marcellus intellexerat, Origenem non aliunde quam a Platone plurima mutuatum esse atque in suam transtulisse philosophiam: iniusta tamen omni fere ex parte sunt quae praeter haec l. c. in medium profert. *Καί τοι*, inquit, *εἰ δεῖ τἀληθὲς περὶ Ὠριγένους εἰπεῖν, τοῦτο προσήκει λέγειν, ὅτι ἄρτι τῶν κατὰ φιλοσοφίαν ἀποστὰς μαθημάτων, καὶ τοῖς θείοις ὁμιλῆσαι προελόμενος λόγοις, πρὸ τῆς ἀκριβοῦς τῶν γραφῶν καταλήψεως, διὰ τὸ πολὺ καὶ φιλότιμον τῆς ἔξωθεν παιδεύσεως, θᾶττον τοῦ δέοντος ἀρξάμενος ὑπογράφειν, ὑπὸ τῶν τῆς φιλοσοφίας παρήχθη λόγων καί τινα δι' αὐτοὺς οὐ καλῶς γέγραφε.* Falsa cum veris mixta sunt in his Marcelli verbis. Minime enim quum vix a philosophicis scholis divertisset et divinis literis vacare incepisset, sensu illarum parum assidue percepto citiusque quam par esset, ad scribendum accessit: qui inde a pueris ita bonis literis operam dedisset, ut sacras longe illis anteponeret, quotidie ediscendis aliquot librorum divinorum locis lubentissime vacasset, denique quaenam verbis singulis inesset vis ac potestas, interior scilicet atque mystica, intente scrutatus esset (Euseb. h. e. VI, 2); e contrario autem philosophiam non antequam theologicae eruditionis tantam acquisivisset laudem, ut et haeretici et philosophi scholas ipsius frequentare inciperent, attigisset. Tunc enim in Ammonii Saccae disciplinam se contulit, atque libris philosophicis operam navare coepit. Quod quo anno factum sit, satis certo ne ex ipsis quidem Origenis ap. Euseb. VI, 19 verbis definiri potest, quamvis Basnagius triginta fere annorum tunc eum fuisse coniectura veri haud dissimili assequatur (histoire de l'eglise ad ann. 203 n. 15). Heraclam enim, qui postea, Origene exsule facto, in munere catechetico successit, quinque per annos iam interfuisse Ammonii scholis, antequam eas adire ipse coepisset, Origenes l. c. testis est: Heraclas

vero Origenis ope ad religionem christianam conversus, utrum tunc temporis iam christianus fuerit, non satis constat. Itaque etiamsi in definiendo anno, quo philosophiae tirocinium posuerit, calculum Basnagio adiicere non satis certum sit: quid tamen unquam ineptius vitio verti a Marcello potuit Origeni, quam philosophicis studiis postquam imbutus fuisset, ad exegetica demum se contulisse? quum contra intima illa, quam inde a teneris imbiberat, sacri codicis cognitio effecerit, ut potiora quaeque fidei christianae capita sincere utique immotaque retineret, atque ab erroribus capitalibus felicissime sibi caveret. Nunquam enim sciens atque consulto pluris fecit aut facere potuit Platonis quam Scripturae et regulae ecclesiasticae auctoritatem. Nec citius quam par erat ad scribendum se contulit, qui e senis millibus librorum usque ad annum 232, quo Alexandria pulsus est, annos quadraginta fere septem natus, praeter quinque in Iohannem tomos, in Genesin octo e tredecim, in viginti quinque priores Psalmos et Ieremiae Threnos expositiones, denique de Resurrectione, de Principiis libros et Stromata, nihil ediderit: homilias extemporales non anteaquam sexaginta esset annos natus a notariis excipi passus sit (Euseb. h. e. VI, 24)? Itaque nimis sane severum in iudicando Marcellum reperias: quod vero per philosophiam seductum *quaedam* minus recte Origenem scripsisse ferat, id nescio an mitius quam decebat dixerit. Quanta enim sint quae Platoni, aut, ut accuratius dicam, recentiorum Platonicorum scholis debeat, nunc nemo non videt.

Sed ne sic quidem titulum ipsum librorum de Principiis a Platone mutuatum esse, Marcello concedi poterit. Docuit iam Eusebius contra Març. l. c., de Principiis non scripsisse Platonem, nec sensu platonico vocem *ἀρχαὶ* a nostro acceptam fuisse. *Οὐδὲν*, inquit, *Πλάτωνος περὶ ἀρχῶν μνημονεύεται βιβλίον, οὐδὲ Ὠριγένης ὁμοίως περὶ ἀρχῶν ἐδόξασε· Πλάτωνι ὁ μίαν μόνην τὴν ἀγέννητον καὶ ἄναρχον καὶ*

ἐπέκεινα τῶν ὅλων εἰδὼς ἀρχὴν, ταύτην τε εἶναι πατέρα ἑνὸς μονογένους υἱοῦ, δι' οὗ τὰ πάντα γέγονε. Duo sane rerum Principia, Deum et materiam, Plato agnovit: duo agnovisse Origenem, quum materiae aeternitatem sive potius sempiternitatem doceret, significasse videtur Marcellus. Egregia igitur, quae contra haec Eusebius disputat, et ad refellendam Marcelli de inscriptione libri sententiam satis idonea. Addidimus in annotatione nostra, quoties in textu sermo incidit in doctrinam de creatione, quae ad evertendum errorem sufficiant. Nec Neandri auctoritas (hist. eccl. I, p. 794), de rerum omnium initiis intelligentis vocem ἀρχαί; nec Bauri in libro nuperrime edito De gnosi christiana, Tubing. 1835, p. 541, tria apud Origenem agnoscentis principia, Deum Verbum Dei et animas, ut pedem retractarem meaeque valedicerem sententiae, efficere potuit. Etsi enim concedam, vocem ἀρχαί eo, quo Neander utitur, sensu apud Platonem sexcenties obviam esse, id quod post Stephanum in Thesauro et Astium in lexico platonico, uberiori probatione non eget; praetereaque apud Clementem Alexandrinum Strom. IV, p. 510 eodem sensu τοῦ λόγου ἀρχικοῦ mentionem fieri: tamen Origenes voce ea hunc in modum non uti solet, atque haud scio an nusquam hoc sensu apud eum reperiatur. Accedit quod Gnosticorum in usu ea solemnis fuisse videatur. Cf. Basilii M. hom. I in Hexaëm. p. 6, hom. XVI in Ioh. p. 135, Ioh. Damascenum contra Manich. p. 231, 234. Quod si cui de hac re scrupulus adhuc resideat, ipsa librorum de Principiis tam praefatione, quam summa atque argumento brevibus exposito, eximatur necesse est. In praefatione enim quo consilio ad scribendum se accinxerit ita docet, ut scientiam quae ad bene beateque vivendum provocet homines, ex ipsis Christi verbis doctrinaque, unice huic tantae rei omni ex parte idonea, se non tam enarraturum quam philosophica argumentatione illustraturum esse profiteatur.

Itaque fidei regula qualis tunc erat exposita, rationem assertionis eorum quae ab apostolis omnium captui accommodate tradita sint, Spiritu sancto adiuvante praecipueque sermonis sapientiae et scientiae (i. e. sensus allegorici recte percipiendi) gratiam largiente, uberius se expositurum esse pollicetur. Praeterea si qua sunt, de quibus quia sint dixerint quidem apostoli, quomodo autem vel unde sint, reticuerint, ea quoque attingenda se sibi sumsisse significat. Sed ut iam apertius haec intelligantur, exemplis utamur his quae sequuntur. Mundum coepisse certo tempore, et certo tempore periturum esse, controversia caret, et a sacris libris diserte docetur. Quanam vero de causa factus sit, et cur destrui debeat, obscure tantum traditum est. Lapsos esse homines, perspicuum est: qua ratione lapsi sint, non aeque patet. Spiritum sanctum ex Patre prodiisse, non secus ac Filium, divini libri manifesto docent: modum non definiunt. „Sunt quidem“ ait „haec: quae autem sint, aut quomodo sint, non satis clare exponitur (Praef. de Princ. p. 89 seqq., cf. Moshemium de rebus Christ. ante Const. M. p. 619).“ Ipsa autem ea quam in praefatione Origenes exhibet fidei regula, undecim continetur capitibus. Cum quibus si vel indicem capitum librorum de Principiis, vel ipsum potius dissertationis tenorem comparaveris: hoc eodem fere ordine servato de singulis fidei capitibus dici reperies, nisi forte contra Gnosticos, rudiores christianos, philosophos graecos, alios, excursibus iusto prolixioribus utitur. Nam supra iamiam monuimus minime presse eam quam sibi scripserat atque praeformarat disputandi seriem ubique eum sequi, sed velut laxatis habenis materiam quam attigisse satis erat, uberius illustrare, repetere, persequi, huc illuc plerumque vagari, ingenioque liberrime indulgere. Ita factum est, ut hucusque, quod alioquin vix credibile videatur, controversum fuerit inter viros doctos, quaenam potissimum exposuerit dogmata: ontologica, ad rerum

omnium initia quae pertinent, an fidei christianae fundamentalia. Illa enim ceteris non uberius solum atque saepius tractavit, sed ita etiam quae ad philosophicam rerum divinarum expositionem spectant, quae ad exercitationes de dogmatibus christianis varias, denique quae ad dogmaticam ipsam, inter se commiscuit atque confudit, ut quo diutius in legendis his libris versatus fueris, eo magis de vero eorum fine atque consilio dubius sis. Attamen re tota accuratissime perponderata iam omnem fidei regulam his in libris exponi, nec ullam quae tunc in eam recepta fuisset doctrinam prorsus intactam relinqui, denique eam ipsam ob causam, quod in fidei regula contineantur, de singulis quibusque dici (v. fragm. lib. III, p. 11), luce ipsa clarius intellexi. Qui autem, si eum nostris libris dogmaticis Origenem contuleris, deesse videntur loci: ii nec tunc iam recepti erant, nec quum primus omnium ipse dogmata christiana in disciplinam redigendi periculum fecisset, satisque multos egregie addidisset excoluissetque, merito desiderabuntur, quum plus quam ab uno aliquo homine praestari possit, ne ab Origene quidem exspectare fas sit. Itaque redemtionis, iustificationis, sanctificationis locos, qui serioris sunt aevi, in eo ne desideres, nec eos quum deesse intelligas, eum omnem doctrinam christianam exponere et quibus vinculis singula omnia inter se coniuncta teneantur, docere voluisse neges. Nam quum de singulo aliquo dogmate, illud dico de Resurrectione, propriam scriptionem iam edidisset, nunc universam fidem christianam exponendam sibi sumsit. Quae quum ita sint, de inscriptione simul constabit. Est enim illud περὶ ἀρχῶν latine: De elementis atque potioribus fidei christianae capitibus. Inter eos qui recte haec viderunt principem locum Huetius in Origenianis III, 2, 1 obtinet. „Quis vero“ inquit „non intelligit, christianae religionis ac verae philosophiae elementa hoc libro tradere, propositum Origeni fuisse.“

Christianae religionis elementa quum sibi illustranda sumeret, veram simul philosophiam sive *γνῶσιν* (quae tamen vox minime ut Clementi solennis est Origeni) expositurus sibi videbatur. Quamvis enim de philosophis graecis, qui essent melioris notae, magnifice semper, ut solebant theologi Alexandrini, loqueretur Origenes; tantum tamen abfuit, ut ullum quemquam e veterum philosophorum grege veritatem ipsam, quantum per humani ingenii vitaeque terrestris humilitatem percipi possit, assecutum esse persuasum haberet, ut unice Scripturas sacras earumque veluti epitomen, ecclesiasticam regulam, verae philosophiae fontem atque normam esse nunquam non profiteretur. *Ἡμεῖς δὲ*, inquit c. Cels. VII, p. 725, *ἀποφαινόμεθα, ὅτι οὐκ αὐτάρκης ἡ ἀνθρωπίνη φύσις, ὅπως ποτ' οὖν ζητῆσαι τὸν θεὸν καὶ εὑρεῖν αὐτὸν καθαρῶς, μὴ βοηθηθεῖσα ὑπὸ τοῦ ζητουμένου.* Quale autem sit hoc auxilium, de quo loquitur, facile intelligent, qui codicem sacrum divinitus hominibus datum esse, non dubium ei fuisse meminerint. Nec unquam sententiae, non solum contrariae libris divinis, sed etiam quae ex iis probari non possent, auctoritate vel ulla vel satis certa Origeni videbantur uti. *Μάρτυρας δεῖ λαβεῖν*, ait hom. I in Ierem. p. 129, *τὰς γραφάς· ἀμάρτυροι γὰρ αἱ ἐπιβολαὶ ἡμῶν καὶ αἱ ἐξηγήσεις ἄπιστοί εἰσιν. ἐπὶ στόματι δύο καὶ τριῶν μαρτύρων σταθήσεται πᾶν ῥῆμα* (Matth. XVIII, 16). Quantam autem philosophiae auctoritatem tribuerit, e Gregorio Thaumaturgo in Panegyrico (Opp. Orig. Tom. IV App.) p. 69—74 cernitur. Ita enim ad pervestigandos omnes omnium quotquot praesto essent philosophorum libros, iis solis exceptis qui atheismum redolerent, discipulos hortatus est, ut in divinis rebus unice Deum eiusque prophetas audiendos esse moneret. Eadem Origenis ad eundem hunc Gregorium epistola (Tom. I, p. 30) docet, qua philosophiae nullam in theologia utilitatem praeter eam quae encyclicarum sive propaedeuticarum literarum in philosophia sit,

adscribit. Denique quae in tertio de Princ. libro de triplici sapientia leguntur, inter mundanam atque divinam satis recte eum internovisse probant. Itaque veram perfectamque, qualis nunc a nobis percipi queat, philosophiam, unice in ipsis dogmatibus christianis latere, sibi persuaserat, nec quum de his diceret, illam non exposuisse sibi videri poterat.

Sicuti autem veram philosophiam in doctrina christiana contineri, ita hanc nonnisi philosophica ratione tractatam, recte intelligi statuebat. Qui ultra literalem Scripturae divinae sensum non progrediantur, nec altiora quam quae regula fidei exhibeantur attingant, pigriores, stolidiores, rudiores iudicavit: hominem enim vere christianum decere, ut a tenuiore et rationis ope non suffulta fide (*ψιλῇ καὶ ἀλόγῳ πίστει*) ad *γνῶσιν*; ab ea quae *τῶν πολλῶν* est, ad *τὰ μετὰ τὰ ἐξωτερικὰ* i. e. *τὰ ἐσωτερικὰ* pergat. Moderatius enim etsi de hac re sentiret quam qui eum praecesserat Clemens Alexandrinus: tamen ne a graviori quidem errore, omni ex parte sibi cavit. At vero quum egregie quid inter Origenianam et Pseudognosticam doctrinam hac in re discriminis intercedat, in hist. eccl. I, p. 602 Neander exposuerit; quid inter Origenianam et Plotinianam, Baur in libro de gnosi christiana p. 540, 707 attigerit: prolixiore de hac re excursu nunc abstinendum videtur. Liquet enim eum, sicut diversa animarum genera felicissime evitavit, ita doctrinam de peccato atque libero arbitrio non tam neoplatonica, quam, rei summam si spectes cum fatalistico qui tunc regnabat errore collatam, vere christiana ratione exposuisse. Itaque haec quidem hactenus. Satis enim nunc intelligitur, id sibi proposuisse Origenem, ut veritatem christianam philosophice exponeret, dogmata allegorici sive mystici Scripturarum sensus ope divinanda, erueret, quo vinculo inter se coniuncta teneantur ostenderet, denique quaqua fieri posset ratione, altiora meditantibus viam ad veritatem summam omnibusque numeris

Digitized by Google

absolutam muniret. Namque quo certius cognoverat, omnes omnino Christianos, modo velint, ad illam pervenire posse, quin imo in rerum omnium fine absoluto ac consummatione omnes cognitione beatitudineque omnino aequali potituros esse: eo intentius operam dedit, ut pigriores excitaret, rudiores excoleret, omnes pro virili in studiis sanctissimis ac gravissimis adiuvaret.

Hos igitur hunc in finem exaravit libros. Non tamen vulgarium hominum captui eos adaptavit. Coram populo enim quum dicat, plerumque anxie sibi cavet, hi ne quid detrimenti capiant ex incauta nimisque aperta mysteriorum divinorum institutione: his in libris de singulis quibusque, etiam quae ad poenas aeternas pertineant, disertissime disputat. Itaque quibus scripserit intelligitur.

Sequitur ut ostendam falsam esse diversam istam de consilio et titulo librorum de Principiis sententiam. Obiici solet, longe maximam eorum partem in exponendis rerum omnium initiis verti, aliisque orationi intertextis, denuo semper ad eadem sermonem redire. Quod tamen cur fiat, facile intelligitur. Nam totam fere theologiam in accurata harum rerum cognitione contineri sibi persuaserat, ita ut a theosophica earum expositione nonnunquam haud longe abesset. Collatis quae libro II de Princ. p. 238, quae in fragm. lib. IV, 1 p. 64 de eruditionis theologicae fine atque summa disputat, parum accurate tunc temporis inter quaestiones philosophicas, theologicas, denique theosophicas distingui solitum fuisse, manifestum est. Nondum enim theologia, quid sit, certa definitione expositum erat, nondum singulae eius veluti provinciae finibus suis circumscriptae, nondum quaenam fundamentalia, quae secundaria essent, constabat. Itaque ad animarum et materiae originem, quoties fieri potuit, revertitur, quae his initiis affinia sint, retractat, uberius exponit, accuratius disceptat: minime tamen ceteros locos, ut

Digitized by Google

supra monuimus, intactos relinquit. Qui epitomen atque argumentum librorum de Principiis desiderent, praeter Schroeckhium in hist. eccl. Tom. IV, p. 110 seqq., Iustum Fontaninum in hist. literaria Aquileiensi (Romae 1742. 4) p. 213 seqq. adeant: nos in materiarum indice propter dissertationis angustiam subsistere, quam operis molem argumento addito augere maluimus. Photii tamen de his libris iudicium, praecipue quum graece eos legere ipsi contigerit, silentio non praetermittendum videtur. *Ἀνεγνώσθη*, inquit cod. Biblioth. VIII, *Ὠριγένους τὸ περὶ ἀρχῶν, λόγοι δ΄. ὧν ὁ μὲν πρῶτος περὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος· ἐν ᾧ πλεῖστα βλασφημεῖ, τὸν μὲν υἱὸν ὑπὸ τοῦ πατρὸς πεποιῆσθαι λέγων, τὸ δὲ πνεῦμα ὑπὸ τοῦ υἱοῦ· καὶ διήκειν μὲν τὸν πατέρα διὰ πάντων τῶν ὄντων, τόν τε υἱὸν μέχρι τῶν λογικῶν μόνον, τὸ δὲ πνεῦμα μέχρι μόνον τῶν σεσωσμένων. λέγει δὲ καὶ ἄλλα παραλογώτατα καὶ δυσσεβείας πλήρη· μετεμψυχώσεις τε γὰρ ληρωδεῖ, καὶ ἐμψύχους τοὺς ἀστέρας, καὶ ἕτερα τούτοις παραπλήσια. ἔστι δὲ ὁ μὲν πρῶτος μυθολογούμενος λόγος περὶ πατρὸς, καὶ, ὥς ἐκεῖνός φησι, περὶ Χριστοῦ, καὶ περὶ ἁγίου πνεύματος· ἔτι καὶ περὶ λογικῶν φύσεων. ὁ δὲ δεύτερος περὶ κόσμου καὶ τῶν ἐν αὐτῷ κτισμάτων· καὶ ἔτι, ὅτι εἷς θεὸς νόμου καὶ προφητῶν· καὶ ὅτι ὁ αὐτὸς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης θεός· καὶ περὶ τῆς τοῦ σωτῆρος ἐνανθρωπήσεως· καὶ ὅτι τὸ αὐτὸ πνεῦμα ἐν Μωσεῖ καὶ τοῖς ἄλλοις προφήταις καὶ ἁγίοις ἀποστόλοις. ἔτι περὶ ψυχῆς, περὶ ἀναστάσεως, περὶ κολάσεως, περὶ ἐπαγγελιῶν. ὁ δὲ τρίτος περὶ αὐτεξουσίου· πῶς ὁ διάβολος καὶ αἱ ἀντικείμεναι δυνάμεις κατὰ τὰς γραφὰς στρατεύονται τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει· ὅτι γενητὸς ὁ κόσμος καὶ φθαρτὸς ἀπὸ χρόνου ἀρξάμενος· ὁ δὲ τέταρτος περὶ τέλους· ὅτι θεῖαι αἱ γραφαί· τέλος, ὅπως δεῖ ἀναγινώσκειν καὶ νοεῖν τὰς γραφάς.*

Ipsi nunc iudicent lectores, utrum ad rerum primordia solummodo, an ad elementa doctrinae

christianae haec capita pertineant. Quantum autem ad sensum vocis ἀρχαὶ apud philosophos graecos: nec consentaneus nec contrarius est ei quam sequimur interpretationi. Cur autem περὶ στοιχείων (cuius vocis significationem a voce ἀρχαὶ diversam Suidas s. v. hac posteriore obiter illustrat), noluerit inscribere huic operi, in causa fuisse videtur vocis ambiguitas, atque cautio, ne fidei christianae rudimenta institutione prima atque elementari exponenda sibi sumsisse videretur. Imitari autem voluisse eum Longinum, quod coniecit Baronius ann. 232 c. 4, parum verisimile est, quum Origenem ante Longinum libros suos edidisse merito suspicari videamur. Natus enim est Longinus anno 213, Origenes anno 185: de Principiis libros ante annum 231 edidit. Incertum praeterea Longini περὶ ἀρχῶν libri quo consilio scripti fuerint: titulum enim Porphyrius in Vita Plotini laudat, libri ipsi interciderunt. Nec accuratius quo anno Origenes de Principiis scripserit, definiri potest. Constat quidem ex Eusebio h. e. VI, c. 24 scriptos esse antequam urbe Alexandria migraret, i. e. ante annum 231 (οὐ μὲν ἀλλὰ καὶ τὰ περὶ ἀρχῶν, inquit, πρὸ τῆς ἀπ' Ἀλεξανδρείας μεταναστάσεως γράφει): quod autem addit commentarios in Genesim antequam hos componeret, scripsisse Origenem, accuratiori expositione eget. Instituerat enim tunc hos commentarios, quod ex ipsis quoque de Princ. libris (lib. I, p. 124, lib. II, p. 177) cernitur: non tamen absolverat; v. ad lib. II, p. 111. Praeterea libros de Resurrectione iam ediderat: Stromata nullibi allegat. Itaque haec postea elucubrasse videtur. Unde collatis quae Tillemontius (memoires pour servir à l'hist. eccl. III, p. 374) accuratissime congessit, aliquot annos ante migrationem ex urbe Alexandria (quae utrum patria ipsi fuerit, non liquet) in Caesaream Palaestinae, absolutos fuisse hos libros, non temere concluditur. Sequitur non ita iuvenem ad hanc scriptionem accessisse, itaque quas postea retractasse

videtur sententias non tam propter saniorem quam interim imbibisset doctrinam, quam quia in serioribus scriptionibus aliud teneret consilium, vel dereliquisse, vel immutasse. Falluntur enim qui e libris contra Celsum, aut homiliis, aut exegeticis lucubrationibus probare nitantur, alia sensisse iuvenem, alia senem. Quos enim contra paganos edidit, aut gregi fidelium destinavit tractatus, in iis, cautiori dicendi genere usus, quum ipse ambiguus de plerisque doctrinae capitibus haereret, ab audacioribus parumque probatis sententiis abstinuit. Itaque ex his ipsis de Principiis libris veram Origenis doctrinam percipiendam esse apparet; nec a vero aberrabunt, qui ceteros ex his, non e serioribus quibusque prius editos, illustrare instituant. Quae si persuaserim lectoribus, iam eo licebit reverti, unde haec disputatio exorsa est. Nullos enim Origenis libros iis, qui de Principiis scripti sunt, aut clariores aut omni ex parte praestantiores esse, hac dissertatione effecisse videmur.

---

## CAPUT II.

### *De falso credita textus graeci librorum de Principiis adulteratione.*

Quicunque ex antiquorum scriptorum numero historiam praeteritorum saeculorum literis mandarunt, ii omnes hoc laborant vitio, ut quae propria fuerit priorum saeculorum indoles atque genius, vix ulla ex parte perspectum haberent. Destituta enim erat antiquitas universa hac ingenii versatilitate, qua aliena et a nostra memoria remotiora quaeque facile amplectimur, priorumque aevorum mores ac sententiae quales fuerint, et quonam affinitatis vinculo inter se et cum prioribus serioribusve cognata, felicissime assequimur. Uberius haec exposuerunt qui de histo-

rica apud Graecos arte nuper scripserunt, ita tamen ut ecclesiasticam antiquitatem silentio praetermitterent. Quae quantum faciat ad illustrandam hanc veterum consuetudinem atque morem, quantum lucis accipiat a saniori de hac re sententia, brevibus vix dici potest. Omnes enim aut apocryphi aut pseudepigraphi veteris ecclesiae libri, eas quae tunc regnarent sententias sive haereticas sive orthodoxas, antiquissimis auctoribus tribuunt, idque eum in finem, ut unam eandemque omnibus numeris sentiendi rationem antiquitus obtinuisse ostenderent. Praeterea libri sacri a Patribus sic exponi solebant, ut Veteri Testamento omnis Novi Foederis doctrina intruderetur: apostolorum vel apostolicorum virorum libri sic accipiebantur, ut serioris aevi orthodoxiam accurate expositam continere viderentur.

Quae quum ita sint, quid mirum, quod magni quique summisque laudibus celebrati Patres, ita serioribus eorum asseclis atque cultoribus sensisse viderentur, ac si in nullo quoquam dogmate dissensissent ab ea quae interim invecta esset orthodoxia. Namque aut inter haereticos habendi erant, qui a fide orthodoxa discessisse viderentur, aut quae minus recte ab ipsis prolata essent, vel interpretando interpolandoque sananda, vel prorsus exterminanda erant. Itaque etsi nunquam deessent, qui interdum magnum dormitare Homerum et in prato omni florum genere consito spinas quoque progerminare solere intelligerent: plerumque tamen sic priorum Patrum libros interpretabantur seriores quique scriptores, ut omni ex parte eos efficerent orthodoxos; heterodoxi in suam sententiam orthodoxe a Patribus dicta summopere pertrahere solebant.

Ideo haec praemonuimus, ut accuratius intelligerentur variae scriptorum ecclesiasticorum de Origenis libris eorumque integritate sententiae. Inter veteres ecclesiae graecae Patres nullus est, qui de se tantam quantam Origenes eruditionis famam apud

posteros reliquerit. Consentiunt ac profitentur Porphyrius et Eusebius (h. e. VI, 18), Rufinus et Hieronymus (apud Ruf. lib. II & Hieron.), Theophilus Alexandrinus et Ioh. Chrysostomus, Vincentius Lirinensis in Commonitorio et omnes omnino, qui ulla ex parte historiam ecclesiasticam perspectam habeant: et eruditionis et librorum editorum copia neminem unquam Origene superiorem fuisse. Nihilominus postquam inter theologiam orientalem et occidentalem, saeculo quarto exeunte, dissidium exarsit, minime de omnibus dogmatibus satis sane eum sensisse, diutius nec latere, nec tacite praetermitti potuit. Itaque iis, qui Origenis eruditione capti, semel libris eius operam dare virumque admirari coepissent, subito aut prorsus damnandus iniustissimisque conviciis persequendus videbatur, aut quae minus recte dixisset velut aliena et ab haereticis hominibus nefarie inserta, expugnanda erant. Illam Hieronymus, hanc Rufinus rationem tenuit. Alter enim quanto antea obsequio, tanto nunc odio Origenem prosecutus: alter quam semel animo conceperat erga eum pietatem variis artibus atque fraudibus tuitus est. Non nunc mihi propositum est, totam litium inter utrumque acerbissime saevissimeque actarum historiam exponere; sed id nunc ago, ut qua via atque ratione orthodoxiam Origenis evincere voluerit Rufinus ostendam. Quodsi iusto uberius de hac re dicere videar, meminerint quaeso qui legant, usque nunc semper haud paucos inter viros eruditos, praeeunte Rufino, et Origenem omni ex parte efficere studuisse orthodoxum, et fabulae de adulteratione librorum eius fidem habuisse. Itaque et de integritate textus graeci, e quo latinos reddidit Rufinus libros de Principiis, et de fide versionis Rufinianae tandem aliquando definiendum est; praesertim quum tota fere haec quaestio de adulteratis Origenis libris unice ad eos qui de Principiis sunt, pertineat. Hos enim prae ceteris librariorum perfidia depravatos esse Rufinus,

hos prae ceteris omnibus Rufini interpretatione immutatos esse, seriores quique conqueruntur. Itaque si de his quid sentiendum sit, expositum fuerit, simul de ceteris iudicandi copia facta erit.

Corruptos esse quamplurimis partibus ab haereticis et malevolis libros Origenis, et praecipue eos qui inscripti sunt περὶ ἀρχῶν, Rufinus docet in Prologo ad lib. I et lib. III. Proprium de hac re libellum scripserat, quem Ruaeus Tom. IV Opp. Orig. pp. 48 sqq. exhibuit. Inveniuntur, inquit l. c., in Origenis libris quaedam a catholico sensu non solum diversa, sed nonnunquam etiam contraria. Fieri non potuit, ut ipse sibi contrarius esset vir summus, interdum in uno eodemque opere: itaque ab haereticis libri eius depravati sunt. Eandem expertae sunt sortem Clementis, Apostolorum discipuli, Recognitiones, eandem Clementis Alexandrini, Dionysii Alexandriae episcopi, Hilarii Pictaviensis libri, ipseque Origenes in epistola ad quosdam amicos diserte hanc hominum haereticorum petulantiam in iudicium vocat.

Primus haec refutanda sibi sumsit Hieronymus in libro adv. Ruf. II, et quamvis iusto acerbius, egregie tamen Rufini errorem explosit. Quod enim ad istam Origenis epistolam (Ru. Tom. I, p. 5) attinet, tantum abest, ut librorum adulteratio ex ea ostendi possit, ut e contrario ad integritatem probandam haud parum faciat. Non enim libri ab Origene scripti, sed acta quaedam disputationis cum certo aliquo haereseos auctore, ab ipso hoc addendo, auferendo, permutando immutata fuerant; nec haec fraus ne absente quidem Origene delituit. Statim amici Athenas, ubi tunc moraretur, miserunt, et exemplo authentico accepto hominis haeretici petulantiam publice accusarunt. Itaque haec perfidia nec ad librum aliquem Origenis pertinuit, nec ipso vivente detecta, posteris nocere potuit. Quae autem de Clementis utriusque, de Dionysii Alexandrini, Hilarii denique Pictaviensis libris sibi persuaserat

Rufinus, ea ex quo vel de authentia eorum, vel de orthodoxia auctorum sanius iudicare coeperunt viri docti, merito nullius momenti habentur. Denique quod secum pugnare non potuisse Origenem contendit Rufinus, id si concedatur, et quidquid in libris omnium (verba sunt Hieronymi lib. II adv. Ruf. p. 409) reperitur contrarium, ab aliis corruptum sit: nihil eorum erit quorum fertur nominibus, sed iis deputabitur, a quibus dicitur esse violatum; quanquam et illorum non erit, quorum incerta sunt nomina: atque ita fiet, ut dum omnium omnia sunt, nihil alicuius sit. — Addi poterat ab Hieronymo, neminem Origene saepius dubitanter et in utramque partem de omnibus fere fidei christianae capitibus dixisse; neminem eam quam sibi vindicaret sentiendi libertatem, liberalius concessisse aliis; neminem Origene saepius probatam semel sententiam in dubium vocasse, denuo resuscitasse, deseruisse et probasse denuo. Tanta sane haec Origenis inconstantia est, ut ex ipsa non minimam partem qui libri genuini sint, qui spurii interdum intelligatur. Monet in fine Hieronymus l. c. p. 407, virum doctissimum Eusebium (cuius quidem, non Pamphili, esse Apologiam Origenis temere sibi persuaserat) per sex volumina nihil aliud egisse, nisi ut Origenem suae ostenderet fidei, id est, Arianae perfidiae, et multa posuisse exempla, et hoc constanter probasse. „Tibi ergo" inquit „in quo somnio Alexandrini carceris revelatum est, ut quae ille vera profitetur, falsata confingas? Sed forsitan hic, ut Arianus, ab haereticis addita in occasionem sui traxit erroris, ne solus male sensisse contra ecclesiam putaretur: quid respondebis pro Didymo, qui certe in Trinitate catholicus est? Certe hic in his quae ab haereticis in operibus addita sunt, consentire non potuit, et in ipsis περὶ ἀρχῶν, quos tu interpretatus es, libris breves dictavit commentariolos (cf. Hieron. ep. 41, p. 347), quibus non negaret ab Origene scripta quae

scripta sunt, sed nos simplices homines non posse intelligere quae dicuntur; et quo sensu in bonam partem accipi debeant, persuadere conatur. Hoc duntaxat de Filio et Spiritu sancto. Ceterum in aliis dogmatibus et Eusebius et Didymus aperte in Origenis scita concedunt, et quod omnes ecclesiae reprobant, catholice et pie dictum esse defendunt." Denique, quod Ruaeus Tom. I, p. III erudite annotavit, quae a veteribus vitia visa sunt in libris *περὶ ἀρχῶν*, eadem videas in aliis huius scriptoris operibus dispersa: doctrina ubique eadem, eadem singularia ubique sunt opinamenta. Quis porro, inquit, in animum inducat suum, omnia simul Origenis opera quorum ingens erat numerus, fuisse ab haereticis deformata, perversa, et conturbata, ita ut ne unum quidem remanserit quod infidas eorum manus effugerit, ne illa quidem ingens voluminum suppellex quae suapte manu descripta ecclesiae Caesareensi dedicavit Pamphilus martyr? Credat Iudaeus Apella, non ego.

Quae quum ita sint, non mirum est, cur inter veteres scriptores perpauci reperiantur, qui adulterationem librorum Origenis praetegendo, apologiam ipsius dicere ausi sint. Praeter Rufinum apologeta quidam anonymus, ap. Photium cod. CXVII, hoc effugio utitur, quibus accedit auctor libri de Haeresibus, a Sirmondo sub nomine Praedestinati editus Parisiis 1643, 8 (ap. Gallandium in Bibl. Patr. Tom. X, p. 357 sqq.), quem alii Arnobium iuniorem, alii Primasium esse existimant, lib. I, haer. 22. „Et quia innumerabilia sunt tractatorum eius (Origenis) volumina, haeretici superati libros eius ad suos libitus callidissima argumentatione mutarunt, ut quos vellent decipere dicerent, ita Origenem suis expositionibus definisse. Unde quicunque usque hodie Origenem legit, si prudenti eum novit recitatione distinguere, deprehendit loca ab haereticis maculata." Addit ibid.: „Quod ita esse sanctus Pamphilus mar-

tur in suo Apologetico declaravit." Cf. eundem haer. 43, quo loco tres fuisse dicit Origenes, unum Syrum sceleratissimum, qui turpia docuerit; alterum qui et mortuorum resurrectionem negabat et Christi creaturam esse Spiritum sanctum dicebat, paradisum autem et coelos allegorice dicta esse affirmabat; tertium catholice sentientem, cuius tamen libris haeretici et perversi doctores e pravis utriusque prioris commentis prava quaeque miscuerint. Sed qui sani sensus est, ait, et habet mentis splendidos oculos, sic videt addita in Origenis opusculis mala ista atque cognoscit, sicut in stragulo coccineo pannos albos, aut cuiusque alterius colores cernat adsutos. Denuo deinde Pamphilum martyrem, quem episcopum fuisse venditat, huius rei in testimonium vocat: sed ex impuris haec omnia fontibus hausta esse satis per se patet, neque scio an Pamphilum adeo et Rufinum eundem habuerit scriptorem. Rufinus enim de adulteratione librorum Origenis scripsit, sed nullibi Pamphilus, nisi forte in posterioribus apologiae libris temporum iniuria absumtis: de quo tamen nec Eusebius, nec Hieronymus, nec Photius vel minimum habent verbum (cf. Ruaeum Tom. IV App. p. 16).

His ita constitutis quo iure de integritate textus graeci librorum de Principiis, e quo latine eos reddidit, Rufinus dubitarit, facile nunc intelligitur. Saniori de antiquitate ecclesiastica quum careret sententia, nodum quem solvere nesciret, gladio diremit. Qui vero quale fuerit Origenis ingenium, qualis temporum istorum ratio recte perspectum habeant: ii de integritate librorum eius, qui graece ad nos pervenerunt, ne dubitare quidem poterunt, praesertim in tanta codicum manuscriptorum copia, tantaque eorum praestantia, ut si generaliori iudicio dicendum sit, nonnisi perraro coniecturarum medela opus esse videatur; quibus ipsis si omnium qui supersint codicum viris doctis aliquando copia facta fuerit, fortasse supersederi poterit. Et haec quidem ad omnes



Digitized by Google

omnino graecos Origenis libros, qui superstites sunt, pertinent: superest ut iam de eo librorum de Principiis exemplo, quo Rufinus usus est, deinde de fragmentorum, quae ipsi exhibuimus integritate dicam.

Aut perpauci, aut nulli sunt in interpretatione Rufini loci, qui malo codice eum usum esse perspicue ostendant. Non enim quoties archetypo graeco non satis consona est versio, toties aut variam lectionem aut variantem in textu Rufini fuisse, merito aliquis concludat. Itaque Tarinus, qui in annotatione ad Philocaliam critica latinum Rufini textum cum graeco codice passim contulit varietatemque notavit, plus semel in codices Rufini culpam transfert, quae re accuratius perpensa ipsius Rufini esse reperitur; atque haud scio an longe plurimae inter versionem eius et nostros codices diversitates, quarum originem in lectionis varietate pro certo comprehendisse tibi videaris, ex sola interpretis incuria natae sint. Exemplo esse potest illud *aëria congregandi*, graece: *κηροπλαστεῖν*, lib. III, p. 245, et quae similia ad textum annotavimus. Sic ut sentiam movet me summa quae et in tertio de Princ. libro, ubi de binis animabus disseritur, et in quarti dimidia parte priori, denique in aliis permultis Rufini scriptionibus reprehenditur stili festinatio. Accedit quod quum multos multorum libros latine vertisset, ii in quibus textuum latine versorum vitiositas certis vestigiis agnoscatur, Iosephi operum dico interpretationem antiquam, haud levibus nunc argumentis Rufini esse negentur. De pravis quae in hac versione expressae videantur lectionibus v. Casaubonum ad Annales Baronii Exercit. I, nu. 99: de auctore versionis, Fontaninum in hist. lit. Aquileiensi p. 392. Itaque ubi in vertendo lapsus videatur Rufinus, ipse potius quam codices, reprehendendus esse videbitur, in iis saltim ad quos haec dissertatio pertinet, libris.

Progredimur ad eam quaestionem, quae maioris adhuc momenti est, quali auctoritate fragmenta graece

etiamnum superstitia utantur. Servata sunt partim a Iustiniano in epistola ad Mennam, patriarcham Constantinopolitanum, partim a Basilio Magno et Gregorio Nazianzèno in Philocalia, pauca quidem numero, sed argumenti gravitate ita praestantia, ut aequius nunc integri operis naufragium ferri possit. Quod enim suspicati sunt Galeus, Nicolai Fulleri auctoritate in Miscellaneis sacris lib. IV, c. 13 munitus, et Andreas Rivetus Critici sacri libro II, c. 12, libros de Principiis integros latere alicubi, forte in Anglia: eam et Huetius in Origenianis III, 2, 2 et Caveus in hist. lit. Patrum s. v. Origenes, spem prorsus abiecerunt, nec tempus posterum refocillavit. Neque in gallicis sane bibliothecis aut italicis, aut germanicis, aut hispanicis, aut denique anglicis praeter fragmenta quicquam reperiri, nunc certum est. Quae autem in excerptis Methodianis apud Photium ex opere hoc desumta videbantur Caveo, ea in annotatione docuimus sive Commentariorum in Genesin sive alius cuiusdam scriptionis esse. Itaque praeter exiguas illas apud Eusebium contra Marcellum lacinias (fragm. lib. I, 1; lib. IV, 3), in fragmentis ope Iustinianeae epistolae et Philocaliae servatis acquiescendum erit.

Quod ad priora illa Iustinianea, ut ita dicam, attinet, quaestio orta est, utrum genuina sint, an e latino graece reddita. Dubius de hac re Walchius est in hist. haer. Tom. VII, p. 670, certus Harduinus in annotatione ad fragm. lib. I, 8 (Mansi IX, p. 523), post eum Semlerus, Tom. I Selectorum hist. eccl. capitum p. 398. „Quae excerpta, inquit, e latinis graece translata sunt, de qua re mirari nos licet.“ Nil amplius. Merito igitur de nimia Semleri credulitate ut miremur, plus causae est, quam de rei ipsius novitate fuisset. Dixit de hac quaestione Possevinus in Apparatu sacro (Colon. 1608. 2 voll. fol.), teste Severino Binio in notis ad Concilium Constant. V (Mansi Tom. IX, p. 652). Quem quamvis adire non

Digitized by Google

mihi licuerit, tamen vix dubitem, quin infelicissima sit infelicissimorum in coniiciendo virorum, Harduini et Semleri opinio. Non diffiteor multis quidem numeris graeco saniorem esse textum latinum, ita ut huius ope saepe numero sanitati ille restituatur; sed quum graeci fuerint monachi, qui apud Iustinianum accusarent Origenem, graece scriptus fuerit actionis libellus, quis unquam latino sermone excerpta ex Origene subiuncta libello isto accusatorio (Walch. l. c. p. 670), expressa fuisse credat; praesertim quum Photius adhuc graece libros de Principiis legerit? Baronii quidem coniectura est, Pelagium Romanum episcopum Iustiniano imperatori in conscribenda contra impium Origenem epistola singularem adiutorem fuisse, unde facile aliquis opinetur titulos sane singulis fragmentis superscriptos latine primitus scriptos fuisse: sed tota res mera Baronii fictio est (Walch. l. c. pag. ead.); nec si titulos latine exstitisse demus, fragmenta ipsa eodem sermone excerpta fuisse concedamus. Praeterea stilus omnino Origenis est, aptissime quaeque dicuntur, ipsa denique textus depravatio, e graeco codice librarios latinos, non e latino graeci sermonis peritos descripsisse haec fragmenta, documento est. Accedit quod quae in ipso latino textu emendarit Harduinus, perraro veritati graecae consona reperiantur (cf. fragm. lib. I, 8). Itaque fragmentorum Iustinianeorum authentia argumentis satis idoneis atque certis evincitur: de Philocaliae excerptis qui dubitaret, nemo exstitit. Sufficit annotasse, heterodoxa quaedam a Basilio atque Gregorio, ut suis locis docuimus, omissa esse, quum non accusandi sed commendandi Origenis causa scriberent. Praeterea et facilius intellectu et lectionibus depravatis omnino fere liberum est utrumque Philocaliae excerptum. Quam in edendo rationem secutus sim, in epistola dedicatoria significavi.

Superest ut Abrahami Sculteti, qui Anacephalaeosin in fine quarti libri, vel Rufini vel Pamphili

esse dicat in Medulla theol. patrist. lib. VI, c. 4, errorem explodam. Qui ut nullo auctore, nulla ratione subnixus proponitur, ita nullo adducto argumento repudiari posset, nisi Anacephalaeoseos etiam fragmenta, quum a Iustiniano, tum ab Eusebio c. Marcell. servata, suppeterent. Altero enim infenso, altero benevolo animo Origeni Anacephalaeosin vindicante, nec dubitandi materia ulla detecta, quis Sculteto facile nunc calculum adiiciat? Itaque integra sunt et genuina, quae ex libris de Principiis graece exhibuimus.

---

## CAPUT III.

### *Librorum de Principiis versiones antiquae.*

Primus interpretationem latinam huius operis, postquam exegetici Origenis libri sat multi iam versi essent, Rufinus, cognomine Toranius, paravit. Sacro baptismi lavacro an. 372 Aquileiae tinctus, Hieronymo tunc amico in Orientem paullo ante profecto, eandem profectionem capessivit. Appulit in Aegyptum, comite itineris Melania, matrona religiosa, nobili; Alexandriam se contulit. Ubi postquam aliquot menses commoratus est, diem supremum Athanasius obiit, die 2 Maii, anno 373. Secuta est Arianorum in orthodoxos Alexandrinos et monachos Nitriae persecutio. Cum ipsis monachis exsilio pulsis Palaestinam, Melania denuo comite, migravit, Hierosolymis per aliquod tempus vitam degit. Mox Alexandriam reversus est, ut sacris literis, praeceptore imprimis Didymo, uberius impertiretur. Octo ibi annos commoratus, tandem Hierosolymas ante annum 385 remigravit. Vixit cum Melania, quae monasterio aedificato atque quinquaginta virginibus in vitae consortium receptis, monasticam vitam profitebatur, communi pietatis honesta-

tisque studio coniunctus: Hieronymo, Bethleemi iisdem studiis dedito benevolentia atque amicitia mutua carus. Subito lites inter utrumque eruperunt.

Quum pari uterque studio theologiam graecam praecipueque Origenianam hucusque complexus fuisset, advenae quidam occidentales, inter quos Aterbii nomen memoriae proditum est, utrique tanquam haeretica, id est Ariana commenta sectanti, dicam impegerunt. Hieronymus suae magis laudi quam Origenis deditus, criminationem recusavit, Rufino displicuit. Mox Epiphanius Salaminensis episcopus Palaestinam venit, eo consilio ut haereticam pravitatem suppri-meret. Publice Hierosolymis contra Origenem concione instituta, a Iohanne huius sedis episcopo a dicendo prohibitus est. Ingravescentibus dissidiis Bethleemum perrexit, rogatus tamen ab omnibus monachis, quorum tunc princeps erat Hieronymus, ut cum Iohanne in amicitiam rediret Hierosolymasque reverteretur: tantorum preces non ferens, sic reversus est vespere, ut media nocte aufugeret. In monasterium, quod in agro Eleutheropolitano ipse olim exstruxerat, secessit; discordiam inter Bethleemitas monachos et Iohannem episcopum datis crebro literis accendit, eiusque communione ut abstinerent, effecit. Paulinianum, Hieronymi fratrem, inconsulto Iohanne episcopo, sacerdotem initiavit. Conquestus Iohannes de violato suo iure, communione cum Pauliniano atque monachis Bethleemiticis abstinuit. Archelai tamen comitis, disertissimi egregiique omni ex parte viri, et Theophili Alexandrini episcopi Palaestinam migrantis opera, sensim his litibus consopitis post integros fere tres simultatis annos, necopinato pax instaurata, pristinaque inter Hieronymum, Rufinum, Iohannem amicitia restituta est.

Eodem hoc anno 397 exeunte Rufinus in occidentem rediit. In Italiam adventavit, monasterium Urseii abbatis in loco Pineti prope Classem Ravennae, non in agro Terracinensi sito, quod contra

Fontaninum in hist. lit. Aquileiensi p. 204, Franciscus de Rubeis in dissert. de Rufino, Venetiis 1754, 4. p. 82, 149 docuit, ingressus est. Urseio postulante S. Basilii instituta monachorum ibi latini iuris fecit, absoluta versione Romam se contulit ineunte anno 398. Florebat tunc Romae, non Pineti (de Rubeis p. 84) Macarius monachus, fide, eruditione, nobilitate, vita religiosa clarus (Ruf. adv. Hieron. I, p. 360; Gennadius de viris illustribus c. 28), librorum adversus fatum vel mathesin, id est astrologiam, divinam providentiam vindicantium auctor. Rufini discipulus audit apud Hieronymum in ep. ad Principiam virginem Tom. IV, p. 782: amicum potius fuisse, blandae quibus eum alloqui solet Rufinus, salutationes fidem faciunt (v. Praef. in Apol. Pamph., Opp. Orig. Tom. IV, App. p. 17). Ipsos illos adversus fatum libros tunc in manibus habebat Macarius eosque utili et necessario sudore (Ruf. adv. Hier. I, p. 360) componebat. „In aliquantis vero," Rufini verba refero, „quum, quia erat perdifficilis materia, de divinae providentiae dispensationibus haesitaret, per soporem sibi a Domino tale aliquid dicebat ostensum: quod navis ei quaedam demonstraretur eminus adventare per pelagus, quae quum portum fuisset ingressa, nodos suae haesitationis absolveret. Exsurgens vero quum de visu sollicitus cogitaret, nos supervenisse aiebat in tempore, quibus continuo et opuscula sua, et ambiguitatem indicavit et visum. Quid porro Origenes, quem opinatissimum apud Graecos audierat, sentiret de talibus percunctatur, breviterque sibi eius de singulis quibusque sententias orat exponi. Ego rem primum dicebam factu esse difficilem: sanctum tamen Pamphilum martyrem dixi quadam ex parte tale aliquid operis conscripsisse in apologetico suo. Continuo id sibi poscit in latinum verti. Nullum dicebam me usum huiuscemodi operis habuisse, et ad latinum sermonem tricennali iam pene incuria torpuisse. Perstitit

tamen deprecans qualicunque sermone notitiam sibi tantum eorum quae cupiebat ostendi.“ Itaque Pamphili apologiam, quum plura contineret pro libero arbitrio optime et nervose dicta, tum latine reddidit, tractatum de adulteratione librorum Origenis adiecit. Quum autem in apologia Pamphili librorum de Principiis frequentius mentio incideret, a Rufino Macarius petivit, ut eos etiam latini iuris faceret. Morem gessit, utrumque librum priorem diebus quadragesimae anni 398 (v. Praef. ad lib. III), duos postea reliquos tardius absolvit, quia in extremam urbis partem post pascha Macarius secesserat, rariorque exactor accedebat (ib. p. 243). Itaque reliqui operis versio post pascha absoluta est.

Invidiam quam in praefatione ad Apologiam Pamphili subeundam sibi fore animo praesagiverat, statim ob duos priores περὶ ἀρχῶν libros latine versos, expertus est. Rumores exciti Romae contra ipsum: sopitos fere ignes libri duo posteriores excitaverunt. Nam versionis schedas aliquas, nondum completa ea et ad integrum emendata (Ruf. adv. Hier. I, 372), verum etiam, quod Rufinus iactabat, falsata (v. lib. I de Princ. p. 103), ad Hieronymum in Palaestinam continuo Pammachius et Oceanus, instigante Marcella (Hier. ep. 96 p. 782), adiuvante Eusebio Cremonensi (Hier. adv. Ruf. III, p. 439), transmiserunt (Hier. ep. 40, p. 341). Eodem tempore matris mors Rufinum Roma avocavit. Siricii papae epistola commendatoria instructus Aquileiam proficiscitur, Chromatii episcopi consuetudine ac gratia fruitur, presbyter Aquileiensis constituitur. Itaque Aquileiae quum vertendis tum defendendis contra Hieronymum Origenis libris operam navat, tandem anno 408 post Chromatii obitum, Alarico iam Italiam vastante, relicta Aquileia in monasterium Pineti, quo ex oriente redux primum adventaverat, se recepit, inde una cum Melania reverti in orientem decrevit.

Digitized by Google

In insulam Siciliam venit, diem supremum ibi obiit, anno 410.

His ita praestitutis accuratius iam litium inter eum et Hieronymum propter libros de Principiis actarum historia percipi poterit. Quaeritur nunc antequam ad tragoediam hanc enarrandam accingamur, qualis fuerit Rufinianae versionis indoles.

Longe plurimi optimique Rufini libri non ii sunt, qui proprio Marte scripti, sed e graeco latine redditi sunt. Omittimus nunc eos, qui ad Origenem non pertinent, inter quos Eusebianae historiae versio, libris IX absoluta, primum obtinet locum: Origenis praeter libros de Principiis, hos qui sequuntur latine vertit. Homilias in Genesin XVII, in Exodum XIII, in Leviticum XVI, in Numeros XXVIII, in Iosuam XXVI, in Iudices IX, in libros Regum I, in Psalmos IX, in Cantic. canticorum libros IV, in epist. ad Romanos libros X. Minime idem in omnibus his versionibus consilium tenuit. „Illa“ inquit, in peroratione ad Commentarios Origenis super ep. ad Rom. Tom. IV, p. 689 ed. Ruaei „quae in Iesum Nave et in Iudicum librum, et in trigesimum sextum, septimum et octavum Psalmum scripsimus, simpliciter ut invenimus, et non multo cum labore transtulimus. — In ceteris (ib. p. 688) non defuit plurimus labor, dum supplere cupimus ea, quae ab Origene in auditorio ecclesiae ex tempore, non tam explanationis quam aedificationis intentione perorata sunt: sicut in homiliis, sive in oratiunculis in Genesim et in Exodum fecimus, et praecipue in his quae in librum Levitici ab illo quidem perorandi stilo dicta, a nobis vero explanandi specie translata sunt. Quem laborem adimplendi quae deerant idcirco suscepimus, ne pulsatae quaestiones et relictae, quod in homiliatico dicendi genere ab illo saepe fieri solet, latino lectori fastidium generarent. — Quamvis ergo et in ceteris quae supra diximus, laboratum nobis sit in supplendis his quae omiserat,

Digitized by Google

in hoc tamen opere epistolae ad Romanos pro his causis quas in Praefatione comprehendimus, immensus nobis et inextricabilis incubuit labor (p. 689)." Postulaverat enim Heraclius, quo petente Tomos in ep. ad Romanos vertit, ut quod in graeco quindecim voluminum corpus erat, et quadraginta fere aut eo amplius millia versuum continebat, abbreviaretur, et ad media, si fieri posset, spatia coarctaretur (Praef. in Tom. ad Rom. p. 458). Quod quum perfecisset Rufinus, prorsus novum fere concinnavisse opus sibi visus, in posterum suum ipsius nomen cum auctoris iungere decrevit, ita ut Clementis Recognitiones, proxime edendae, Rufini Clemens inscriberentur (Peroratio in Tom. ad Rom. p. 689). Tamen quum post hos in ep. ad Rom. Origenis commentarios, eiusdem in Numeros homilias ederet, ab hac inscriptione se continuit. Nec immerito. Etsi enim multa aut omiserit, aut aliunde attulerit, pauca tamen proprio ipsius Marti debentur, neque in ipsis adeo commentariis super ep. ad Rom., nisi perraro Origenes desideratur. Namque de libero arbitrio ille cum Origene aut consentit, aut propius adhuc ad Pelagium accedit.

Itaque falluntur qui opera Origenis latine versa vix Origenis esse iactent; contra quos Ruaeus, Praef. in Tom. I Opp. Orig. p. 3 seqq., disputat. Supersunt graece loci sat multi a Rufino versi. Praeter librorum de Principiis fragmenta, cf. hom. in Gen. II, p. 60, in Exod. VIII, p. 157 s., in Levit. II, p. 192, in Num. XIII, p. 321, et si qua alia in catenis graecis vel editis, vel manuscriptis servata sunt. Praeterea nonnullos locos bis aut ipse Rufinus exhibuit, ut qui in libris de Principiis ex Apologia Pamphili repetuntur, aut post Rufinum Hieronymus denuo exhibuit, praecipue in his *περὶ ἀρχῶν* libris. Sic comparatione varia textuum inter se instituta, de fide atque dexteritate Rufini interpretis accuratius iudicari potest.

Digitized by Google

In diversas partes abierunt, qui in hac causa iudicium tulerunt. Hieronymus, ex amico acerrimus adversarius, omnibus omnino conviciis, maxime quae interpreti dedecori essent, continuo Rufinum petivit. Referti sunt eiusmodi vituperiis Hieronymi in Rufinum Invectivarum libri tres, quibus Apologiae titulum male inscripserunt editores, ap. Mart. Tom. IV, 2, p. 349 seqq., praeter hos epistolae, quas ad Theophilum Alexandrinum (ib. p. 334 seqq.), ad Pammachium et Oceanum (p. 341 seqq.), ad Avitum (p. 762 seqq.) scripsit. Iniquiora sunt quae in Rufino reprehendit, quam ut in singulis quibusque recensendis tempus teri par sit. „Praetermitto" inquit, lib. I adv. Ruf. p. 367 „Graecos, quorum tu iactas scientiam, et dum peregrina sectaris, pene tui sermonis oblitus es: ne veteri proverbio, sus Minervam docere videar, et in sylvam ligna portare. Illud miror, quod Aristarchus nostri temporis, puerilia ista nescieris. Quamquam tu occupatus in sensibus, et ad struendam mihi calumniam cernulus, grammaticorum et oratorum praecepta contemseris: parvipendens ὑπέρβατα post anfractus reddere, asperitatem evitare consonantium, hiulcam fugere dictionem. Ridiculum est debilitati et fracti totius corporis vulnera pauca monstrare. Non eligo quod reprehendam, eligat ipse quod vitio careat. — Tam putide et confuse loquitur, ut plus ego in reprehendendo laborem, quam ille in scribendo (lib. II, p. 397)." Mox venustatem eius atticam carpit (lib. I, p. 353), mox maiestatem eloquii (lib. III, p. 462), mox exemplis vituperia haec illustrat (lib. II, p. 393). Haec ad apte eleganterque dicendi imperitiam pertinent. Barbaras quasdam voces Rufino usitatissimas, inter quas sunt, *attitulare*, *competenter*, *complecti* in significatione passiva, *incorruptio*, *numerositas*, *observantiae*, *observanter*, *participium* pro partis adeptio, *pretiositas*, *rationabiliter*, *refutare* pro abnuere, *sequestrari*, *significantiae*, congessit Hue-

tius (Origen. III, 3, 7): addi poterunt ex annotatione nostra *solvere* et *absolvere*, *repetere*, *contemplari*, *considerari*, *interpretari*, *scrutari*, *innotescere* etc., scilicet plane singulari ea, quae apud Rufinum potestate utuntur. Omitto quae istius aevi sunt, singularem vocum *aliquanti*, *quia*, particularumque eiusmodi usum. Praeterea hiulca est nonnunquam, nimisque impedita oratio, quum et dictare soleret (Praef. in Orig. ep. ad Rom. p. 458), et ad latinum sermonem eo tempore quo ad vertendum accingeretur, pene tricennali iam incuria torpuisset (adv. Hier. I, p. 360). Veterum graecorum et latinorum libros parum assidua lectione volverat, Hieronymo eruditionis copia minime par, nec graeco praeceptore unquam usus fuerat (Hier. adv. Ruf. I, p. 385). Denique ingenii acumine et versatilitate parum excelluit. Nihilominus quae e graeco latina fecit, ita sunt comparata, ut attente lecta stilique cognatione et usu aliquo percepto, facile intelligantur, nec salibus suis careant. Itaque quo stilo usus sit, sic satis nunc expositum est.

Perfidiam in vertendo reprehendit Hieronymus lib. I adv. Ruf. p. 355: „Abstulit quae erant, dicens ab haereticis depravata, et addidit quae non erant, asserens ab eodem in locis aliis disputata: quod nisi ipsa loca monstraverit, unde transtulisse se dicit, probare non poterit.“ Et paullo ante illico se animadvertisse dicit, quae Origenes de Patre et Filio et Spiritu sancto impie dixisset, et quae romanae aures ferre non potuissent, in meliorem partem ab interprete commutata. Cetera autem dogmata, de angelorum ruina, de animarum lapsu, de resurrectionis praestigiis, de mundo vel intermundiis Epicuri, de restitutione omnium in aequalem statum, et multo his deteriora vel ita vertisse, ut in graeco invenerat, vel de commentariolis Didymi exaggerata et firmiora posuisse: ut qui in Trinitate catholicum legerat, in aliis haereticum non caveret. Deinde aut totum

textum mutandum, aut totum intactum relinquendum fuisse, non inepte ab Hieronymo monetur, quamvis qui vituperaret nunc, iisdem fere quibus Rufinus in vertendo legibus uti, solitus esset.

Quibus Hieronymi de Rufino iudiciis, quoniam iusto plus auctoritatis sanctissimo illi Patri in ecclesia tribui soleret, usque ad hunc fere diem subscripserunt viri docti. Caveus in hist. lit. Patrum s. v. Origenes, Rufini versiones pessima fide confectas esse queritur: multis quippe omissis, multis interpolatis ac in melius mutatis, veram Origenis sententiam vix ac ne vix quidem deprehendi posse. Haud procul ab hac iudicii severitate Huetius abest (Origeniana II, 3 passim, et de Claris interpretibus p. 151); ipseque Ruaeus in notis ad libros a Rufino versos multo minus quam in Praefatione mitem ipsi se praebere solet. De Martianaeo, Stiltingo, iisque omnibus, qui Hieronymi laudes cantarunt, non est quod dicam.

E contrario qui proprios libros de Rufino scripserunt, aut sine partium studio de ipso, qualis fuisset, iudicarunt, aequiores tulerunt sententias. Gennadius de Script. eccl. c. 17, dexteritatem eius in versionibus parandis laudat, et inter praecipuos ecclesiae doctores eum refert. Inter recentiores scriptores Eusebianam Rufini translationem Petrus Thomas Cacciarius, monachus Carmelita, in dissertatione de vita, fide etc. Rufini, editioni versionis laudatae subiuncta (Romae 1740, 2 voll. 4.), commendavit; Fontaninus in hist. lit. Aquileiensi, Franc. de Rubeis l. c., praeterea in Monumentis ecclesiae Aquileiensis, Argentinae 1740 fol., c. 11 et 12; Tillemontius Tom. XII memorabilium, in vita Hieronymi, Fabricius in Biblioth. lat. mediae et inf. aetatis Tom. II, p. 130, denique Schroeckhius Tom. X hist. eccl. p. 125, 142, aequius, ac ut nobis quidem videtur, rectius de Rufini interpretis meritis statuerunt. Quaeritur enim quid sibi proposuerit in versionum editionibus, deinde qua ratione propositum assecutus.

Digitized by Google

officioque suo functus sit, denique quot numeris de posteritate his lucubrationibus meritus videatur.

Longe aliae quam quae nunc obtinent apud veteres fuerunt interpretandi leges, quandoquidem librorum ipsorum aliud omnino tunc pretium esset. Nostra aetate facili opera libri divulgantur, et qui nonnunquam importuna sane temeritate prodierint, publici statim iuris efficiuntur. Antea qui scriberent, vel sibimet ipsis, vel paucioribus numero scribebant lectoribus: qui comparassent sibi libros, aut pretio emtos, aut propria manu descriptos, mutare, emendare, addere, breviora reddere quae placeret, licitum habere solebant; totos iam enim suos ipsorum, non auctorum esse hos libros intelligebant. Quibus ita comparatis, Rufino theologiam graecam in ecclesiam latinam versionibus elucubratis invehere placuit. Quidni igitur immutare ea atque retractare, quae nec romanae aures ferre possent, nec ipsi satis orthodoxa viderentur, ius fasque esse censeret? praesertim quum de adulteratione librorum graecorum falsam semel animo imbibisset sententiam, repetitam adeo nostro fere tempore a Germone ex societate Iesu (de veteribus haereticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus, Parisiis 1713, 8.). Itaque Patrum graecorum opera temporibus mutatis accommodare, quam meri interpretis officio fungi maluit. Ipse satis diserte quid sibi proposuerit et in Peroratione ad Heraclium, supra exhibita, et in Prologo ad libros de Principiis profitetur. Nec sane perfidia est, emendare quae displiceant, maxime si consilii tui certiores ipse feceris lectores; nec facile fraudis factae reum iudicassent posteri, nisi Hieronymus, theologiam heterodoxam sic aliqua ex parte fucatam in ecclesiam occidentalem clam importare voluisse clamitasset. Aegre sane nunc ferimus, quod non ad verbum maluerit textum graecum expressum reddere, sed immortaliter tamen de re literaria versionibus suis meruit. Etsi enim concedatur graece fortassis fuisse

superfutura quae nunc latine duntaxat leguntur, quum versionum abundantiâ ut archetypa facilius in oblivionem cadant, fieri soleat: quis non videt, Hieronymi adeo librorum de Principiis interpretatione communi literarum naufragio pessum data, hos ipsos servari haud facile potuisse, praesertim quum heterodoxos esse opera data Hieronymus, postea Iustinianus evicisset. Itaque nonnisi Rufini ope clarissimi Origenis libri nunc superstites sunt, neque scio an salvi futuri fuissent, nisi eo ipso, quod diximus, interpretandi genere usus fuisset. Minime tamen singula quaeque aut emendavit, aut depravavit. Nam unice fere eos, qui ad Trinitatem spectant locos immutavit, cuius rei Hieronymum testem modo excitavimus, Rufinum ipsum in Prologo habemus: ceteros aut intactos reliquit, aut sic ut, si de summis quibusque agatur, facili opera quid mutarit agnosci queat, emendavit. Paucula sunt quae de suo contulit additamenta, nec ullibi, si modo forte aliquot de Trinitate loca exceperis, veram Origenis mentem adulterant, sed eo tantum consilio inserta sunt, ut ea magis explanaretur. Ubique Origenes agnoscitur, et vix quidquam reperitur, quod ex aliorum quae in graecis operibus exstant locorum collatione aut Origenis esse, aut iuxta Origenis mentem scriptum esse non demonstretur (Ruaeus, Praef. in Tom. I, p. IV). Itaque veram et genuinam ubique Origenis sententiam in annotatione breviter expressimus, significatis quae spuria videantur; quae quamvis Origenis in graeco fuissent, aliis disputandi causa inductis a Rufino adscripta videantur, monuimus. Difficilius est coniectura assequi, quo loco quae omiserit Rufinus, atque qualia illa fuerint. Id superstes est duorum huius operis capitum archetypum, habemus fragmenta, tam graeca, quam una versionis Hieronymianae, eum unice in finem heterodoxia Origenis intelligatur, collecta. Quae contuleris, Rufini interpretationem si minus haberi

d

Digitized by Google

accurata debeat, at certe reiici non posse tanquam ab Origenis mente alienam, apparet. Itaque perfidiae crimine sic Rufinum absolvimus. Non tamen diffiteor aliam fuisse Apologiae Pamphili vertendae, aliam librorum de Principiis rationem. Apologiam falsare, testimonia erat falsasse. Semel hoc Rufino contigit, ut monuimus in annotatione ad de Princ. I, p. 126. Sed ne sic quidem perfidiae reus erit, quum non defendendi Origenis causa, sed ut Macario contra Mathesin scribenti suppetias ferret, Apologiam latine ediderit.

Praeter Rufinum integram librorum de Principiis versionem Hieronymus concinnaverat. Causa haec fuit. Liberalior ea graecorum Patrum theologia, quam Rufinus versione sua Romam transtulerat, multis ibi arridebat, maxime *saeculi hominibus*, praeter hos sacerdotibus quoque et monachorum nonnullis (Hieron. ep. ad Principiam virginem Tom. IV, p. 782). Plures tamen novitate doctrinae perculsi, in odium Origenis exarserunt, et Rufini versionem expaverunt. Horum partibus praeerat Marcella, nobilitate generis et pietate illustris, monialium in occidente singulare decus (Hieron. l. c. p. 778). Monachi plerumque ab eius partibus stabant. Omnibus viribus funestissimae haeresi repugnare decernunt. Antequam absoluta esset publiceque edita Rufini interpretatio, *sanctus aliquis ex fratribus* (ep. Pamm. et Ocean. ad Hieron. Tom. IV, p. 341) quem Eusebium fuisse Cremonensem monachum Rufinus suspicatur, hunc in finem ab Hieronymo in occidentem missum (Hier. in Ruf. l. III, p. 462; cf. p. 441), schedas aliquas incepti atque nondum ad integrum emendati operis clam surripuit, et cum Pammachio atque Oceano communicavit. Qui, postquam totius, ut videtur, operis copia facta est, suspicati multa a Rufino subtracta esse, quae Origenis monstrarent impietatem, confestim ad Hieronymum

versionem transmittunt, atque petunt, uti nova interpretatione librum Origenis, quemadmodum ab ipso auctore editus fuerit, ad fidem manifestaret, quae a defensore eius interpolata essent, proderet, denique quae in Rufini versione vel contra catholicam regulam, vel imperite dicta essent, redargueret atque convinceret. Simul insinuant, tacito Hieronymi nomine, Rufinum in praefatione mentionem fecisse, oblique id agentem, etiam Hieronymum simili ratione sentire. Redierat Hieronymus in gratiam cum Rufino antequam Hierosolymis proficisceretur. Epistolam ab eo Romae scriptam (Hieron. ep. 42 p. 348) interim acceperat. Itaque ad Rufinum nunc literas direxit (ep. 42), iisque etsi lenius quam solet, minime tamen amice cum eo expostulat, quod oblique, imo aperte praefatione eum petiverit. Deinde Pammachium et Oceanum literis (ep. 41, p. 341) certiores facit, quo animo legerit et amarit et laudarit Origenem, errores eius non sine acerbia exponit. In fine epistolae, fecisse se dicit quae postularint, denuo vertendo libros *περὶ ἀρχῶν*, idque ita ut nec mutaverit quippiam de graeco, nec eadem ad verbum expresserit: alterum enim non esse vertentis, sed evertentis; alterum nequaquam eius qui servare velit eloquii venustatem. Has ipsas literas Apronianus quidam (Ruf. invect. I, p. 350) ad Rufinum transmittit: eas quarum modo mentionem fecimus, ad ipsum ab Hieronymo datas, quum interim Aquileiam se contulisset suppressas ab Hieronymi familiaribus, biennio postquam scriptae essent accepit. Interim Siricio papa defuncto, Anastasius I successerat anno 398, qui, Marcella et Theophilo Alexandrino instigantibus, Romam sui defendendi causa Rufinum nunc evocat. Qui quum Romam se conferre aut non tutum satis aut parum commodum haberet, apologia pro fide sua scripta (Opp. Hieron. Tom. V, p. 259) apud Anastasium se defendit, anno 400 (v. Rubeis dissert.



Digitized by Google

p. 110). Simul contra Hieronymi ad Pammachium et Oceanum epistolam, apologiam uberiorem, solis amicis Romae degentibus destinatam, quam vulgo Invectivarum libros II vocant (Opp. Hieron. Tom. IV, 2, p. 350 seqq.; cf. Tom. V, p. 260 seqq.), edit, labente anno 401 (Rubeis in dissert. p. 94). Iam enim Origenem ab Anastasio publice damnari animadverterat (Anast. ep. ad Ioh. Hierosolymitanum ap. Coustantium p. 719; Opp. Hier. Tom. V, p. 260). Priori libro criminationes contra fidei suae integritatem ab Hieronymo impactas refellit, altero Hieronymum ipsum sugillat. Romae legitur haec apologia bipartita, sed ne palam vulgetur satis sedulo Rufini amici curant. Alii tamen in Rufini, alii in Hieronymi partes abire incipiunt; praecipua apologiae capita ad Hieronymum, Pammachii, Marcellae, aliorum literis (Hieron. adv. Ruf. I, p. 349), a Pauliniano, Hieronymi fratre, ad eum perlatis (ib. p. 373) scribuntur, simul ut respondeat petitur. Itaque libro Rufini nondum accepto, defensionem sive Apologiam, quam invectivarum nomine insigniri decebat, duobus libris distinctam, elucubrat Hieronymus, anno eodem 401. Primo libro, Rufinum imitatus, in dogmaticis criminationibus refellendis occupatur, altero convicia in adversarium congerit; utrumque tam eruditionis, facetiarum, facundiae, quam acerbitatis, ambitionis, inhumanitatis amplissimum veluti horreum esse voluit. Exemplar a mercatore quodam Aquileiam ad Rufinum delatum est. Brevibus literis, quae ad nos non pervenerunt, non ita humanissime scriptis (Hieron. adv. Ruf. lib. III, p. 435), responsum dedit, rogando minandoque, ut tandem conviciorum finem faciat, petivit. Eadem Chromatius rogat, episcopus Aquileiensis. Eodem tamen, ut videtur, anno (401), tertium apologiae adversus Rufinum Hieronymus edidit librum. Quem nec vidisse nec refutasse videtur Rufinus: neutrum memoriae traditum est.

Sunt qui sibi persuadeant, revocasse Rufinum

Digitized by Google

errores suos, *de fide libello* edito. Altera vero huius libri pars Hieronymi, altera Pelagii esse videtur; neutra Rufini est (Schroeckh. hist. eccl. X, p. 140), qui non nisi tacendo litibus finem imposuit. Itaque Hieronymus ne mortuo quidem pepercit, nec egregia Augustini epistola (Opp. Hieron. IV, 2, p. 615) quo, minus octogenarius continuo maledicendo istum peteret, impediri potuit. Ita factum est, ut nunquam in Sanctorum censum referretur Rufinus: nunquam tamen qui honorificentissime de eo sentirent, defuerunt. V. Cassianum de Incarnatione Domini, lib. VII, c. 27; Gennadium de viris illustr. c. 21.

Hieronymi versio qualis fuerit, quum ex iis quae supersunt laciniis, tum ex more in vertendo ipsi consueto intelligitur: integra enim ad nos non pervenit. Pammachius enim quum eam legisset, exhorruit, et reclusit in scrinio, ne prolata in vulgus multorum animos vulneraret. Attamen a quodam fratre, qui habebat zelum Dei (verba sunt Hieronymi), sed non secundum scientiam, rogatus ut traderet ad legendum, quasi statim reddituro, propter angustiam temporis fraudem non potuit suspicari. Qui acceperat legendam, adhibitis notariis opus omne descripsit, et multo celerius quam promiserat codicem reddidit. Eademque temeritate et ineptia quod male surripuerat, peius alii credidit (Hier. ep. ad Avitum p. 761). Itaque non solum publice non edebatur haec Hieronymi scriptio, sed nonnisi textu deformatissimo paucis innotuit. Nam quia difficile grandes libri de rebus mysticis disputantes, notarum possent servare compendia, praesertim qui furtim celeriterque dictarentur; ita in illis confusa sunt omnia, ut et ordine in plerisque et sensu carerent (ib. p. c.). Petiverat igitur Avitus, ut ipsum quod ab Hieronymo olim translatum et nulli alii traditum erat, ad se exemplar dirigeretur. Annuit his precibus Hieronymus, atque simul prolixiori epistola, quid

tius (Origen. III, 3, 7): addi poterunt ex annotatione nostra *solvere* et *absolvere*, *repetere*, *contemplari*, *considerari*, *interpretari*, *scrutari*, *innotescere* etc., scilicet plane singulari ea, quae apud Rufinum potestate utuntur. Omitto quae istius aevi sunt, singularem vocum *aliquanti*, *quia*, particularumque eiusmodi usum. Praeterea hiulca est nonnunquam, nimisque impedita oratio, quum et dictare soleret (Praef. in Orig. ep. ad Rom. p. 458), et ad latinum sermonem eo tempore quo ad vertendum accingeretur, pene tricennali iam incuria torpuisset (adv. Hier. I, p. 360). Veterum graecorum et latinorum libros parum assidua lectione volverat, Hieronymo eruditionis copia minime par, nec graeco praeceptore unquam usus fuerat (Hier. adv. Ruf. I, p. 385). Denique ingenii acumine et versatilitate parum excelluit. Nihilominus quae e graeco latina fecit, ita sunt comparata, ut attente lecta stilique cognatione et usu aliquo percepto, facile intelligantur, nec salibus suis careant. Itaque quo stilo usus sit, sic satis nunc expositum est.

Perfidiam in vertendo reprehendit Hieronymus lib. I adv. Ruf. p. 355: „Abstulit quae erant, dicens ab haereticis depravata, et addidit quae non erant, asserens ab eodem in locis aliis disputata: quod nisi ipsa loca monstraverit, unde transtulisse se dicit, probare non poterit.“ Et paullo ante illico se animadvertisse dicit, quae Origenes de Patre et Filio et Spiritu sancto impie dixisset, et quae romanae aures ferre non potuissent, in meliorem partem ab interprete commutata. Cetera autem dogmata, de angelorum ruina, de animarum lapsu, de resurrectionis praestigiis, de mundo vel intermundiis Epicuri, de restitutione omnium in aequalem statum, et multo his deteriora vel ita vertisse, ut in graeco invenerat, vel de commentariolis Didymi exaggerata et firmiora posuisse: ut qui in Trinitate catholicum legerat, in aliis haereticum non caveret. Deinde aut totam

textum mutandum, aut totum intactum relinquendum fuisse, non inepte ab Hieronymo monetur, quamvis qui vituperaret nunc, iisdem fere quibus Rufinus in vertendo legibus uti, solitus esset.

Quibus Hieronymi de Rufino iudiciis, quoniam iusto plus auctoritatis sanctissimo illi Patri in ecclesia tribui soleret, usque ad hunc fere diem subscripserunt viri docti. Caveus in hist. lit. Patrum s. v, Origenes, Rufini versiones pessima fide confectas esse queritur: multis quippe omissis, multis interpolatis ac in melius mutatis, veram Origenis sententiam vix ac ne vix quidem deprehendi posse. Haud procul ab hac iudicii severitate Huetius abest (Origeniana II, 3 passim, et de Claris interpretibus p. 151); ipseque Ruaeus in notis ad libros a Rufino versos multo minus quam in Praefatione mitem ipsi se praebere solet. De Martianaeo, Stiltingo, iisque omnibus, qui Hieronymi laudes cantarunt, non est quod dicam.

E contrario qui proprios libros de Rufino scripserunt, aut sine partium studio de ipso, qualis fuisset, iudicarunt, aequiores tulerunt sententias. Gennadius de Script. eccl. c. 17, dexteritatem eius in versionibus parandis laudat, et inter praecipuos ecclesiae doctores eum refert. Inter recentiores scriptores Eusebianam Rufini translationem Petrus Thomas Cacciarius, monachus Carmelita, in dissertatione de vita, fide etc. Rufini, editioni versionis laudatae subiuncta (Romae 1740, 2 voll. 4.), commendavit; Fontaninus in hist. lit. Aquileiensi, Franc. de Rubeis l. c., praeterea in Monumentis ecclesiae Aquileiensis, Argentinae 1740 fol., c. 11 et 12; Tillemontius Tom. XII memorabilium, in vita Hieronymi, Fabricius in Biblioth. lat. mediae et inf. aetatis Tom. II, p. 130, denique Schroeckhius Tom. X hist. eccl. p. 125, 142, aequius, ac ut nobis quidem videtur, rectius de Rufini interpretis meritis statuerunt. Quaeritur enim quid sibi proposuerit in versionum editionibus, deinde qua ratione propositum assecutus,

Digitized by Google

officioque suo functus sit, denique quot numeris de posteritate his lucubrationibus meritus videatur.

Longe aliae quam quae nunc obtinent apud veteres fuerunt interpretandi leges, quandoquidem librorum ipsorum aliud omnino tunc pretium esset. Nostra aetate facili opera libri divulgantur, et qui nonnunquam importuna sane temeritate prodierint, publici statim iuris efficiuntur. Antea qui scriberent, vel sibimet ipsis, vel paucioribus numero scribebant lectoribus: qui comparassent sibi libros, aut pretio emtos, aut propria manu descriptos, mutare, emendare, addere, breviora reddere quae placeret, licitum habere solebant; totos iam enim suos ipsorum, non auctorum esse hos libros intelligebant. Quibus ita comparatis, Rufino theologiam graecam in ecclesiam latinam versionibus elucubratis invehere placuit. Quidni igitur immutare ea atque retractare, quae nec romanae aures ferre possent, nec ipsi satis orthodoxa viderentur, ius fasque esse censeret? praesertim quum de adulteratione librorum graecorum falsam semel animo imbibisset sententiam, repetitam adeo nostro fere tempore a Germone ex societate Iesu (de veteribus haereticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus, Parisiis 1713, 8.). Itaque Patrum graecorum opera temporibus mutatis accommodare, quam meri interpretis officio fungi maluit. Ipse satis diserte quid sibi proposuerit et in Peroratione ad Heraclium, supra exhibita, et in Prologo ad libros de Principiis profitetur. Nec sane perfidia est, emendare quae displiceant, maxime si consilii tui certiores ipse feceris lectores; nec facile fraudis factae reum iudicassent posteri, nisi Hieronymus, theologiam heterodoxam sic aliqua ex parte fucatam in ecclesiam occidentalem clam importare voluisse clamitasset. Aegre sane nunc ferimus, quod non ad verbum maluerit textum graecum expressum reddere, sed immortaliter tamen de re literaria versionibus suis meruit. Etsi enim concedatur graece fortassis fuisse

καὶ ἄλλοθι διεσπαρμένως κεῖται, ὑφ' ὧν δὲ ἀπαγγελλόμεναι εἰσὶν ἐν Ἰησοῦ τῷ τοῦ Ναυῆ. τούτων οὕτως ἐχόντων, ὕψωσον τὸ διανοητικὸν ἡμῶν· ὁ ἀπόστολός φησί που· „βλέπετε τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα“· ὡς ὄντος τινὸς Ἰσραὴλ κατὰ πνεῦμα. καὶ ἀλλαχοῦ λέγει· οὐ γὰρ τὰ τέκνα τῆς σαρκὸς ταῦτα τέκνα τοῦ θεοῦ· οὐδὲ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραὴλ, οὗτοι Ἰσραήλ. ἀλλ' οὐδὲ ὁ ἐν τῷ φανερῷ Ἰουδαῖός ἐστιν, οὐδὲ ἡ ἐν τῷ φανερῷ ἐν σαρκὶ περιτομή· ἀλλ' ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος, καὶ περιτομὴ καρδίας ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι. εἰ γὰρ ἡ κρίσις τοῦ Ἰουδαίου ἐκ τοῦ κρυπτοῦ λαμβάνεται, νοητέον ὅτι ὥσπερ Ἰουδαίων σωματικόν ἐστι γένος, οὕτω τῶν ἐν κρυπτῷ Ἰουδαίων ἐστί τι ἔθνος, τῆς ψυχῆς τὴν εὐγένειαν ταύτην κατά τινας λόγους ἀπορρήτους κεκτημένης. ἀλλὰ καὶ πολλαὶ προφητεῖαι περὶ τοῦ Ἰσραὴλ καὶ τοῦ Ἰούδα προφητεύουσι, διηγούμεναι τὰ ἐσόμενα αὐτοῖς. καὶ αἱ δήπου αἱ τοσαῦται τούτοις γεγραμμέναι ἐπαγγελίαι, ὅσον ἐπὶ τῇ λέξει ταπειναὶ τυγχάνουσαι, καὶ οὐδὲν ἀνάστημα παριστῶσαι καὶ ἀξίωμα ἐπαγγελίας θεοῦ, οὐχὶ ἀναγωγῆς μυστικῆς δέονται; εἰ δὲ αἱ ἐπαγγελίαι νοηταί εἰσι δι' αἰσθητῶν ἀπαγγελ-
183 λόμεναι· καὶ οἷς αἱ ἐπαγγελίαι, οὐ σωματικοί. καὶ ἵνα μὴ ἐπιδιατρίβωμεν τῷ λόγῳ τῷ περὶ τοῦ ἐν κρυπτῷ Ἰουδαίου, καὶ τοῦ περὶ τοῦ ἔσω ἀνθρώπου Ἰσραηλίτου, καὶ τούτων αὐτάρκων ὄντων τοῖς μὴ ἀκέντροις· ἐπὶ τὸ προκείμενον ἐπανερχόμεθα, καὶ φαμὲν τὸν Ἰακὼβ πατέρα εἶναι τῶν δώδεκα πατριαρχῶν, κἀκείνους τῶν δημάρχων· καὶ ἔτι ἐκείνους τῶν ἑξῆς Ἰσραηλιτῶν. ἆρ' οὖν οἱ μὲν σωματικοὶ Ἰσραηλῖται τὴν ἀναγωγὴν ἔχουσιν ἐπὶ τοὺς δημάρχους, καὶ οἱ δήμαρχοι πρὸς τοὺς πατριάρχας, οἱ δὲ πατριάρχαι πρὸς τὸν Ἰακὼβ καὶ τοὺς ἔτι ἀνωτέρω· οἱ δὲ νοητοὶ Ἰσρα-

4) 1 Cor. X, 18.
6) Rom. IX, 6. 8 et II, 28 s.
13) σωματικῶν cod. Reg.
23) ἀπαγγελλόμεναι cod. Reg., ἐπαγγελλόμεναι Tar.
28) ἐπανερχώμεθα cod. Reg.

ηλῖται· ὧν τύπος ἦσαν οἱ σωματικοὶ, οὐχὶ ἐκ δήμων εἰσὶ, τῶν δήμων ἐκ φυλῶν ἐληλυθότων, καὶ τῶν φυλῶν ἀπὸ ἑνός τινος, γένεσιν, οὐ τοιαύτην σωματικὴν ἔχοντος, ἀλλὰ τὴν κρείττονα, γεγενημένου κἀκείνου ἐκ τοῦ Ἰσαάκ, καταβεβηκότος κἀκείνου ἐκ τοῦ Ἀβραὰμ, πάντων ἀναγομένων ἐπὶ τὸν Ἀδὰμ, ὃν ὁ ἀπόστολος εἶναί φησι τὸν Χριστόν· πᾶσα γὰρ ἀρχὴ πατριῶν τῶν ὡς πρὸς τὸν τῶν ὅλων θεὸν, κατωτέρω ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ἤρξατο τοῦ μετὰ τὸν τῶν ὅλων θεὸν καὶ πατέρα οὕτω πατρὸς ὄντος πάσης ψυχῆς, ὡς ὁ Ἀδὰμ πατήρ ἐστι πάντων ἀνθρώπων. εἰ δὲ καὶ ἡ Εὔα ἐπιτέτευκται τῷ ἀποστόλῳ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀναγομένη, οὐ θαυμαστὸν τοῦ Κάϊν ἐκ τῆς Εὔας γεγενημένου, καὶ πάντων τῶν ἑξῆς ἀναγωγὴν ἐχόντων ἐπὶ τὴν Εὔαν, ἐκτυπώματα τῆς ἐκκλησίας τυγχάνειν· πάντων ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας προηγουμένῳ λόγῳ γεγενημένων. εἰ δὲ πληκτικά ἐστι τὰ περὶ τοῦ Ἰσραὴλ καὶ τῶν φυλῶν καὶ τῶν δήμων αὐτοῦ ἡμῖν εἰρημένα, ἐπὰν φάσκῃ ὁ σωτήρ· „οὐκ ἀπεστάλην εἰ μὴ εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ·“ οὐκ ἐκλαμβάνομεν ταῦτα ὡς οἱ πτωχοὶ τῇ διανοίᾳ Ἐβιωναῖοι τῆς πτωχείας τῆς διανοίας ἐπώνυμοι· ἐβίων γὰρ ὁ πτωχὸς παρ' Ἑβραίοις ὀνομάζεται· ὥστε ὑπολαβεῖν ἐπὶ τοὺς σαρκίνους Ἰσραηλίτας προηγουμένως τὸν Χριστὸν ἐπιδεδημηκέναι. οὐ γὰρ τὰ τέκνα τῆς σαρκὸς, ταῦτα τέκνα τοῦ θεοῦ. πάλιν ὁ ἀπόστολος περὶ τῆς Ἱερουσαλὴμ τοιαῦτά τινα διδάσκει, ὅτι ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ἐλευθέρα ἐστὶν, ἥτις ἐστὶ μήτηρ ἡμῶν. καὶ ἐν ἄλλῃ ἐπιστολῇ· „ἀλλὰ προσεληλύθατε Σιὼν ὄρει, καὶ πόλει θεοῦ ζῶντος, Ἱερουσα-

12) ἐπιτέτακται cod. Th.

20) Matth. XV, 24.

23) De Ebionitarum nomine et Origenis de eo interpretatione, v. Gieseler in Stäudlin u. Tzschirner's Archiv. vol. IV, 2, p. 297; cf. Neandrum Tom. I, p. 404.

24) ἐβίω Tar.

29) Gal. IV, 26.

31) Hebr. XII, 22. Ed. Kn. addit ante πανηγύρει vocem καί.

184 λὴμ ἐπουρανίῳ, καὶ μυριάσιν ἀγγέλων, πανηγύρει, ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων ἀπογεγραμμένων ἐν οὐρανοῖς.“ εἰ τοίνυν ἐστὶν ἐν ψυχῶν γένει ὁ Ἰσραὴλ, καὶ ἐν οὐρανῷ τις πόλις Ἱερουσαλήμ· ἀκολουθεῖ τὰς πόλεις Ἰσραὴλ μητροπόλει χρῆσθαι τῇ ἐν οὐρανοῖς Ἱερουσαλὴμ, ἀκολούθως τῇ πάσῃ Ἰουδαίᾳ. ὅσα τοιγαροῦν προφητεύεται περὶ Ἱερουσαλὴμ καὶ λέγεται περὶ αὐτῆς, εἰ θεοῦ ὡς θεοῦ ἀκούωμεν καὶ σοφίαν φθεγγομένου, περὶ τῆς ἐπουρανίου πόλεως καὶ παντὸς τοῦ τόπου τοῦ περιεκτικοῦ τῶν πόλεων τῆς ἁγίας γῆς νοητέον τὰς γραφὰς ἀπαγγέλλειν. τάχα γὰρ ὁ σωτὴρ ἐπ' ἐκείνας ἡμᾶς ἀνάγων τὰς πόλεις, τοῖς εὐδοκιμήσασιν ἐν τῷ τὰς μνᾶς καλῶς ᾠκονομηκέναι ἐπιστασίαν δίδωσι πέντε ἢ δέκα πόλεων. εἰ τοίνυν αἱ προφητεῖαι αἱ περὶ Ἰουδαίας καὶ περὶ Ἱερουσαλὴμ καὶ Ἰσραὴλ καὶ Ἰούδα καὶ Ἰακὼβ, μὴ σαρκίνως ἡμῶν ἐκλαμβανόντων ταῦτα, μυστήρια τοιάδε τινὰ ὑποβάλλουσιν, ἀκόλουθον ἂν εἴη καὶ τὰς προφητείας τὰς περὶ Αἰγύπτου καὶ Αἰγυπτίων, καὶ Βαβυλῶνος καὶ Βαβυλωνίων, καὶ Τύρου καὶ Τυρίων, καὶ Σιδῶνος καὶ Σιδωνίων ἢ τῶν λοιπῶν ἐθνῶν, μὴ μόνον περὶ τῶν σωματικῶν τούτων Αἰγυπτίων καὶ Βαβυλωνίων καὶ Τυρίων καὶ Σιδωνίων προφητεύειν, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν νοητῶν. εἰ γὰρ Ἰσραηλῖται νοητοὶ, ἀκόλουθον καὶ Αἰγυπτίους εἶναι καὶ Βαβυλωνίους νοητούς. οὐδὲ γὰρ πάνυ ἁρμόζει τὰ ἐν τῷ Ἰεζεχιὴλ λεγόμενα περὶ Φαραὼ βα-

5) χρήσασθαι cod. Reg.

8) εἰ θεοῦ] cod. Reg., ἐκ θεοῦ Tar., interpunctione addita post θεοῦ. Recte coniicit Ruaeus, legendum esse εἰ Παύλου. — Supra hoc quo terra circumdatur coelum, terram esse novam ac coelum novum, cuius ratione illud coelum, quod intuemur, infernum videatur, sicut terra nostra firmamento inferior est, sententia erat Origenis, cui hoc loco alludit. Nam loca quaeque terrestria regiones sibi cognomines in coelo habere dicit, et ad Aegyptum, Babyloniam, Tyrum etc., in coelo situm, prophetarum vaticinia allegoriae ope refert. V. de Princ. II, p. 82; hom. 28 in Num.; 23 in Ios., 5 in Ps. 36. Cf. Huetium II, 11, 11.

27) ἁρμόζει] codd. Th., ἁρμόζειν Tar.

σιλέως Αἰγύπτου, ἀνθρώπου τινὸς ἄρξαντος ἢ ἄρξοντος τῆς Αἰγύπτου λέγεσθαι, ὡς δῆλον ἔσται τοῖς παρατηρουμένοις. ὁμοίως τὰ περὶ τοῦ ἄρχοντος Τύρου, οὐ δύναται νοεῖσθαι περί τινος ἀνθρώπου ἄρξαντος τῆς Τύρου. καὶ τὰ περὶ τοῦ Ναβουχοδονόσορ πολλαχοῦ λεγόμενα καὶ μάλιστα 185
ἐν τῷ Ἡσαΐᾳ, οὐχ οἷόν τε ἐκλαβεῖν περὶ τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου. οὔτε γὰρ ἐξέπεσεν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, οὔτε ἑωσφόρος ἦν, οὐδὲ πρωῒ ἀνέτελλεν ἐπὶ τὴν γῆν ὁ Ναβουχοδονόσορ ὁ ἄνθρωπος. οὐ μὴν οὐδὲ τὰ λεγόμενα ἐν τῷ Ἰεζεκιὴλ περὶ Αἰγύπτου, ὡς τεσσαράκοντα ἔτεσιν ἐρημωθησομένης ποτὲ, ὥστε πόδα ἀνθρώπου μὴ εὑρεθῆναι ἐκεῖ, καὶ ὡς ἐπὶ τοσοῦτον πολεμηθησομένης ποτὲ, ὥστε τὸ αἷμα δι' ὅλης αὐτῆς γενέσθαι μέχρι τῶν γονάτων· νοῦν τις ἔχων ἐκλήψεται περὶ τῆς παρακειμένης Αἰγύπτου τοῖς τὰ σώματα ὑπὸ ἡλίου μεμελασμένοις Αἰθίοψι.

..... Τάχα δὲ ὥσπερ οἱ ἐντεῦθεν κατὰ τὸν κοινὸν θάνατον ἀποθνήσκοντες, ἐκ τῶν ἐνταῦθα πεπραγμένων οἰκονομοῦνται, εἰ κριθεῖεν ἄξιοι τοῦ καλουμένου χωρίου ᾅδου, τόπων διαφόρων τυγχάνειν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῶν ἁμαρτημάτων, οὕτως οἱ ἐκεῖθεν, ἵν' οὕτως εἴπω ἀποθνήσκοντες εἰς τὸν ᾅδην τοῦτον καταβαίνουσι, κρινόμενοι ἄξιοι τῶν τοῦ παντὸς περιγείου τόπου διαφόρων οἰκητηρίων βελτιόνων ἢ χειρόνων· καὶ παρὰ τοσ-

4) δύναται] δύνασθαι coniicit Tar., temere.

7) Ies. XIV.

11) Ezech. XXVI et XXIX.

12) ποτὲ om. Tar.

17) μεμελανωμένοις cod. Reg.

19) Nonnulla hic omiserunt minoris momenti Philocaliae editores, quae qualia fuerint e Rufini versione intelligitur. v. p. 185. Lacuna expletur in Philocalia inserto καὶ μεθ' ἕτερα.

20) ἐνταῦθα] αὐτόθι cod. Reg.

22) ᾅδου] Igne purgatorio, quem mox omnibus, mox piis modo, sed qui nondum perfecti videantur, sustinendum esse perhibet, superato varia loca pro meritis homines sortientur, alii infernum alii coelestes regiones. Cf. in Matth. comment. Series, p. 886, ubi extra mundum situm esse vult infernum, et Huetium II, 11, 3. De paradiso v. eundem ib. 12.

Digitized by Google

δε ἢ τοιόνδε τοῖς πατράσιν· ὡς δύνασθαί ποτε
186 Ἰσραηλίτην πεσεῖν ἐς Σκύθας, καὶ Αἰγύπτιον εἰς τὴν Ἰουδαίαν κατελθεῖν. πλὴν ὁ σωτὴρ συναγαγεῖν ἦλθε τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ. καὶ πολλῶν ἀπὸ τοῦ Ἰσραὴλ μὴ εἰξάντων τῇ διδασκαλίᾳ αὐτοῦ· οἱ ἀπὸ τῶν ἐθνῶν καλοῦνται ……. κέκρυπται δὲ ὡς ἡγούμεθα ἐν ταῖς ἱστορίαις ταῦτα. καὶ γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ὁμοία ἐστὶ θησαυρῷ κεκρυμμένῳ ἐν τῷ ἀγρῷ, ὃν εὑρὼν ἄνθρωπος ἔκρυψε καὶ ἀπὸ τῆς χαρᾶς αὐτοῦ ὑπάγει, καὶ πάντα ὅσα ἔχει πωλεῖ, καὶ ἀγοράζει τὸν ἀγρὸν ἐκεῖνον. ἐπιστήσωμεν οὖν εἰ μὴ τὸ βλεπόμενον τῆς γραφῆς καὶ τὸ ἐπιπόλαιον αὐτῆς καὶ πρόχειρον, ὁ πᾶς ἐστιν ἀγρὸς πλήρης παντοδαπῶν τυγχάνων φυτῶν· τὰ δὲ ἐναποκείμενα καὶ οὐ πᾶσιν ὁρώμενα, ἀλλ' ὡσπερεὶ ὑπὸ τὰ βλεπόμενα φυτὰ κατορωρυγμένα, οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι· οὓς τινὰς τὸ πνεῦμα διὰ τοῦ Ἡσαΐου σκοτεινοὺς καὶ ἀοράτους καὶ ἀποκρύφους καλεῖ· θεοῦ τοῦ μόνου δυναμένου τὰς κρυπτούσας αὐτοὺς πύλας χαλκᾶς συντρίψαι, καὶ τοὺς σιδηροῦς ἐπικειμένους μοχλοὺς ταῖς θύραις συνθλάσαι, ἵν' εὑρεθῇ πάντα τὰ ἐν τῇ Γενέσει περὶ τῶν διαφόρων ἀληθινῶν ψυχῆς γένων καὶ οἱονεὶ σπερμάτων ἐγγύς που τοῦ Ἰσραὴλ ἢ πόρρω τυγχανόντων, καὶ ἡ ἐς Αἴγυπτον καθ-

7) Hoc etiam loco nonnulla desunt in Philocalia, nulla lacunae mentione facta. Sed ad nos pervenit Hieronymi versio huius loci, Rufino longe fidelior, quam ex epistola ad Avitum desumtam exhibemus ad p. 186.

8) Matth. XIII, 44.

19) Ies. XLV.

20) Unice ad Deum accepta refert, quae in Scripturis latentia assecutus sibi videatur. Difficillimum enim esse, mysticos investigare sensus, ubique profitetur, praecipue initio singulorum fere tomorum omnium, quos ab imploratione auxilii divini orditur, modestissimus interpretum. Inde quod gratiam ab eo agnosci divinam nonnulli arbitrati sunt. Locus de obscuritate librorum sacrorum probans reperitur Comm. I in Ps. p. 526 s. Cf. in Ioh. Tom. X, p. 189, Philoc. p. 50. Eadem modestia vere christiana in Iustino M. erat, Dial. c. Tryph. p. 319.

οδος τῶν ἑβδομήκοντα ψυχῶν, ὅπως ἐκεῖ γένωνται ὡσεὶ τὰ ἄστρα τοῦ οὐρανοῦ τῷ πλήθει. ἀλλ' ἐπεὶ οὐ πάντες οἱ ἐξ αὐτῶν φῶς εἰσι τοῦ κόσμου· „οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραὴλ, οὗτοι Ἰσραὴλ“ γίνονται ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα, καὶ ὡσεὶ ἄμμος ἡ παρὰ τὸ χεῖλος τῆς θαλάσσης ἡ ἀναρίθμητος. E Philocaliae capite I, p. 1 ss.

2. Ἀλλὰ κἂν μέχρι τοῦ πάθους τις ζητήσῃ, 188
τολμηρὸν δόξει ποιεῖν περὶ τῶν οὐρανίων τόπων αὐτὸ ζητῶν. ἀλλ' εἰ ἔστι πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς οὐρανίοις, ἄρα εἰ ὥσπερ ἐνθάδε οὐκ αἰδούμεθα σταυρόμενον ὁμολογεῖν ἐπὶ καθαιρέσει ὧν καθεῖλε διὰ τοῦ πεπονθέναι· οὕτω τὸ κἀκεῖ παραπλήσιον διδόντες γίνεσθαι τὰ καὶ ἑξῆς ἐπὶ τῆς συντελείας τοῦ παντὸς αἰῶνος οὐ φοβηθησόμεθα. Ex epistola Iustiniani ad Mennam, Mansi Tom. IX, p. 532.

2) τὰ πλήθη codd. Th.

4) Rom. IX, 6.

5) γίνονται sc. veri Israelitae.

8) Inscriptum est huic fragm. a Iustiniano, ὅτι καὶ ὑπὲρ δαιμόνων δεῖ τὸν Χριστὸν σταυρωθῆναι καὶ πολλάκις τοῦτο εἰς τοὺς ἐσομένους αἰῶνας. Immerito, legendum enim est in fine fragmenti, ἐπὶ τῆς συντελείας κ. τ. λ., Hieronymo teste, qui vertit *in consummatione saeculorum*, v. de Princ. p. 188. Res sic se habet. Eum qui nunc est mundum in infinita, quae praecessisset, mundorum serie ultimum fere vult esse, ita ut mox subsequatur absoluta illa et omnibus numeris perfecta consummatio. Nam *ultimis temporibus* Salvatorem passum esse Apostoli perhibuerant. Inde concludit Origenes nusquam antea quidem mortuum esse eum in ullo quopiam mundo, at vero simul quum in nostra hac terra mortem pateretur, etiam in coelo, *ubi ecclesia primitivorum est et supernum altare*, hom. 1 in Lev. p. 186, sanguinem ipsius fusum esse. Haec pro sua de typis sententia. *Sicut enim inter nos homines repertus est habitu hominis, ita et inter angelos habitu repertus est ut angelus*, hom. 8 in Gen. p. 83. Cf. Huetium H, 2, 23. Affinis est aliqua ex parte Gnosticorum de Christo, septem coelos vario habitu transgrediente, opinio, cf. Visionem Iesaiae, ed. Gieseler, Gottingae 1832, p. 17, et Lücke Einleitung in die Offenbarung Johannis p. 136.

9) τῶν οὐρανίων τόπων] τὸν οὐράνιον τόπον vulg.

14) ἐπὶ τῆς] ἕως τῆς vulg., vers. latina *usque ad*. Errat Harduinus, qui vulgatam lectionem diserte tuetur

189 3. *Ὥρα, ἐπαναλαβόντα περὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, ὀλίγα τῶν τότε παραλελειμμένων διεξελθεῖν περὶ πατρὸς ὡς ἀδιαίρετος ὢν καὶ ἀμέριστος υἱοῦ γίνεται πατὴρ, οὐ προβαλὼν αὐτὸν, ὥς οἴονταί τινες. εἰ γὰρ προβολή ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς, καὶ γεννᾷ μὲν ἐξ αὐτοῦ ὁποῖα τὰ τῶν ζώων γεννήματα· ἀνάγκη σῶμα εἶναι τὸν προβάλλοντα καὶ τὸν προβεβλημένον.* Apud Eusebium contra Marcellum l. I, c. 4. (p. 22 ed. Vigeri, Coloniae 1688.)

4. *Μηδεὶς δὲ προσκοπτέτω τῷ λόγῳ, εἰ μέτρα ἐπιτίθεμεν καὶ τῇ τοῦ θεοῦ δυνάμει. ἄπειρα γὰρ περιλαβεῖν τῇ φύσει ἀδύνατον τυγχάνει. ἅπαξ δὲ πεπερασμένων ὄντων, ὧν περιδράττεται αὐτὸς ὁ θεὸς, ἀνάγκη ὅρον εἶναι μέχρι πόσων πεπερασμένων διαρκεῖ.* Apud Iustinianum l. c. p. 525.

5. *Οὗτος δὲ ὁ υἱὸς ἐκ θελήματος τοῦ πατρὸς γεννηθεὶς, ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου, καὶ ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτοῦ, χαρακτήρ τε τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, κτίσμα, σοφία. αὐτὴ γὰρ ἡ σοφία φησίν· ὁ θεὸς ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ.* Apud Iustinianum ib. p. eadem.

1) Opponuntur haec ab Origene quum rudioribus, velut Tertulliani, de generatione Filii sententiis, tum Gnosticorum emanationi. Summa rei in eo vertitur, ut sola voluntate Dei (cf. fragm. 5) Filium progenitum esse dicat, cf. de Princ. I, p. 55, Tom I in Ioh. p. 25, et fragm. a Pamphilo in apologia servatum, ap. Ruaeum Tom. IV, p. 92, quod verbum fere de verbo e nostro textu expressum videatur. — *ἐπαναλαβόντα*, quia leguntur haec in totius operis de Princ. *anacephalaeosi de Patre et Filio et Sp. S., et ceteris quae superius dicta sunt.* Displicuerunt haec Marcello, quod hinc sequi videretur *δευτέραν ὑπόθεσιν* ab Origene Filio adscribi. Refutatur ab Eusebio l. c.

11) Om. Ruaeus fragm. 4. Cf. fragm. l. II, 6.

21) Om. Ruaeus fragm. 5. De usu vocis *κτίσμα* apud Alexandrinos in dogmate de Filio v. Gieseleri Kirchengesch. I, p. 261, Münteri Dogmengesch. I, p. 445, Huetii Orig. II, 2, 21.

Digitized by Google

6. Εἰ δὲ ὁ πατὴρ ἐμπεριέχει τὰ πάντα, τῶν δὲ 193
πάντων τέ ἐστιν ὁ υἱὸς δῆλον ὅτι καὶ τὸν υἱόν. ἄλλος δέ τις ζητήσει εἰ ἀληθὲς τὸ ὁμοίως τὸν θεὸν ὑφ' ἑαυτοῦ γινώσκεσθαι τῷ γινώσκεσθαι αὐτὸν ὑπὸ τοῦ μονογένους· καὶ ἀποφανεῖται ὅτι τὸ εἰρημένον· ὁ πατὴρ ὁ πέμψας με μείζων μού ἐστιν· ἐν πᾶσιν ἀληθές. ὥστε καὶ ἐν τῷ νοεῖν ὁ πατὴρ μειζόνως καὶ τρανοτέρως καὶ τελειοτέρως νοεῖται ὑφ' ἑαυτοῦ, ἢ ὑπὸ τοῦ υἱοῦ. Ex epistola Iustiniani p. eadem.

7. Ἀνάγκη μὴ προηγουμένην τυγχάνειν τὴν τῶν σωμάτων φύσιν, ἀλλὰ ἐκ διαλειμμάτων ὑφίστασθαι διά τινα συμπτώματα γινόμενα περὶ τὰ λογικά, δεόμενα σωμάτων· καὶ πάλιν τῆς ἐπανορθώσεως τελείως γινομένης εἰς τὸ μὴ εἶναι ἀναλύεσθαι ταῦτα, ὥστε τοῦτο ἀεὶ γίνεσθαι. Ex epistola Iustiniani p. 532.

1) Vehementer offendebantur Origenis adversarii, quum assereret Filium non posse videre Patrem, Filium a Spiritu sancto non videri. Et frustra sane hanc criminationem Rufinus Invect. in Hier. I ita repellit, ut Origenem modo de visu et obtutu, qui oculis corporeis fit, haec accepisse dicat, quum hoc loco cognosci a Filio Patrem negetur, et causa huius rei afferatur eadem, quae fragm. 4 de circumscriptione potestatis divinae in medium profertur: non comprehendi posse a minore maiorem. Eadem docet Tom. XXXII in Ioh. p. 449. At vero Tom. I in Ioh. p. 31 cognitionem, qua Filius gaudeat, paternae diserte exaequat. Cf. Huet. II, 2, 19 s.

6) Ioh. XIV, 28.

11) Om. Ruaeus fragm. 7. Cf. fragm. l. III, 2.

16) Cf. fragm. l. I, 2.



Digitized by Google

# ORIGENES
# DE PRINCIPIIS
## RUFINO INTERPRETE.

### PROLOGUS RUFINI.*)

Ed. Ruaei p. 45 Scio quamplurimos fratrum, scientiae Scripturarum desiderio provocatos, poposcisse ab aliquantis viris et graecarum literarum peritis, ut Origenem Romanum facerent et latinis auribus eum donarent. In-

*) Nomen suum Rufinus non inscripserat versioni librorum de Principiis, Hieron. adv. Ruf. l. I, p. 353. Cf. ep. ad Ruf. p. 348: *praefatiuncula librorum* περὶ ἀρχῶν *ad me missa est, quam ex stylo intellexi tuam esse;* et p. 349 *non eduntur hi libri* etc.

1) quamplurimos] Quamvis Anastasius I. Papa in epist. ad Iohannem Hierosolymitanum, quae anno 401. scripta est (Opp. Hieronymi ed. Mart. Tom. V, p. 261, ap. Constant. p. 719), nescivisse se dicat *antea*, sc. quam versionem suam edidisset Rufinus, *quis fuerit Origenes et in quae verba processerit;* et eadem fere Augustinus profiteatur in epist. 40. ad Hieronymum: tamen non est quod dubites exeunte iam saeculo quarto permultos fuisse, qui Origenem latine legi posse optarent. Quin imo iam legebatur latine, quamvis non omni ex parte accurate translatus, sed pro temporis illius ratione multis numeris vel mutilatus, vel ad orthodoxiae leges transformatus. Verterat Hilarius Pictaviensis, qui in Phrygia exsulaverat, Origenis in Matthaeum et in Iobum commentarios (Hieron. Catal. Scriptor. eccl. Tom. IV, p. 124), Ambrosius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis, Victorinus Petabionensis Hilarii vestigia mox secuti sunt (Hier. in ep. 41. ad Pammach. et Ocean., adv. Rufinum l. II, p. 351, 405). Rufini autem tempore ii, qui ut vitam monasticam amplecterentur ex occidente in Palaestinam et Aegyptum se conferrent, singulari Origenis, qui asceticae vitae eximius exstitisset patronus (Mosheim de rebus Christ. ante Const. M. p. 658), amore teneri solebant. — Quibus versiones suas, quotquot edidit, dedicarit Rufinus v. ap. Franc. de Rubeis in dissert. de Rufino, Venetiis 1754, p. 127.

2) aliquantis] *eruditis* addit Mart. B.

Digitized by Google

ter quos etiam frater et collega noster, ab episcopo Damaso deprecatus, cum homilias duas de Cantico Canticorum in latinum transtulisset ex graeco, ita in illo opere ornate magnificeque praefatus est, ut cuivis legendi Origenem et avidissime perquirendi desiderium commoveret, dicens illius animae convenire quod dictum est quia „introduxit me rex in cubiculum suum:“ asserens eum, quod cum in ceteris libris omnes vincat, in Canticis Canticorum etiam ipse se vicerit. Pollicetur sane in ipsa praefatione, se et ipsos in Cantica Canticorum libros, et alios quamplurimos Origenis Romanis auribus largiturum. Sed ille, ut video, in stylo proprio placens, rem maioris gloriae sequitur, ut pater verbi sit potius quam interpres. Nos ergo rem ab illo quidem coeptam sequimur et probatam, sed non aequis eloquentiae viribus tanti viri ornare possumus dicta: unde vereor ne vitio meo id accidat, ut is vir, quem ille alterum post apostolos ecclesiae doctorem scientiae

1) Inter quos] *in quo* cod. R., Mart. A.

1) frater et] *frater Hieronymus sed et* edd. M. et G. At vero Pammachius et Oceanus in ep. ad Hieronymum (Tom. V, p. 341) *sane subtiliter*, inquiunt, *in praefatione operis sui mentionem tacito nomine tuae Sanctitatis expressit.* — Dolo malo haec scripsisse Rufinum post Hieronymum Huetius, Origeniana II, 4, 1, 16, et Martianaeus, Opp. Hier. IV, p. 339, sibi persuaserant, iniusto Rufinum odio prosecuti. Nam honoris causa se mentionem fecisse Hieronymi testatur Rufinus, invect. I. c. Hier. p. 352, 362, et mitius de hac re ipse sensit Hieronymus in ep. ad Ruf. p. 348, antequam in Apologia contra eum, qui quondam amicus fuerat, desaevire incepisset.

2) Reperiuntur hae homiliae, Hieronymo interprete, ap. Ruaeum Tom. III, p. 12. Epistolam Hieronymi ad Damasum vide ib. p. 11 (Mart. Tom. II, p. 807).

7) Cantic. Cant. I, 3.

10) vicerit] *vicit* M. et G. ex epistola Hieronymi.

10) Pollicetur sane] Haec non ad praefationem in homilias ad Canticum, ut ex ipso adeo Rufino invect. I. p. 426 cernitur, sed ad eam, quam in homilias Origenis de Ezechiele scripsit Hieronymus, ap. Ruaeum Tom. III, p. 354, pertinent.

13) Sed ille etc.] Non male Martianaeus: „mordet occulte Hieronymum quasi gloriae cupidum.“ Qua laudis cupidine ne Rufinus quidem, quamvis unice fere in vertendo stylum exerceret, liber fuit, v. perorationem eius ad Heraclium (Orig. Comment. ad Rom. Tom. IV, p. 689).

19) Cf. Hieron. in praef. ad Origenis hom. in Ezech. p. 354 Ruaei, praef. Interpret. nom. hebr. Tom. II, p. 3. ed. Mart.

ac sapientiae merito comprobat, inopia sermonis nostri longe inferior videatur. Quod ego saepe considerans reticebam, nec deprecantibus me frequenter in hoc fratribus annuebam: sed tua vis, fidelissime frater Macari, tanta est, cui obsistere ne imperitia quidem potest. Propter quod, ne te ultra gravem paterer exactorem, etiam contra propositum meum
46 cessi: ea tamen lege atque eo ordine, ut quantum fieri potest, interpretando sequar regulam praecessorum, et eius praecipue viri, cuius superius fecimus mentionem: qui cum ultra septuaginta libellos Origenis, quos homileticos appellavit, aliquantos etiam de tomis in Apostolum scriptis transtulisset in latinum, in quibus cum aliquanta offendicula inveniantur in graeco, ita elimavit omnia interpretando atque purgavit, ut nihil in illis quod a fide nostra discrepet latinus lector inveniat. Hunc ergo etiam nos, licet non eloquentiae viribus, disciplinae tamen regulis in quantum possumus sequimur, observantes scilicet ne ea, quae in libris Origenis a se ipsis discrepantia inveniuntur atque contraria, proferamus. Cuius diversitatis causam plenius tibi in Apologetico,

1) comprobat] cod. Cor. et R., *comprobavit* edd. M., Mart. A. et B., et cod. M.

1) inopia sermonis nostri] De scribendi genere, quo utitur Rufinus, disseruimus in Prooemio. Ibidem de Macario diximus.

4) in hoc] *opus* addit ed. Mart. A.

6) gravem exactorem] cf. Prologum Rufini in l. III, p. 107 Ruaei. Addunt edd. Mart. A. et B. *tam* ante „gravem".

9) regulam praecessorum] non obscure Hieronymum significat. Cuius de interpretandi genere v. ep. ad Pammach. et Ocean. 41, p. 345: „Ego enim correxi omnia" etc.; p. 346: „nec disertiores sumus Hilario — Victorino — Ambrosio — qui eius tractatus non ut interpretes, sed ut auctores proprii operis transtulerunt."

12) homileticos] *homiliticos* Mart. A., *homiliaticos* M., G. et Mart. B., *omeliticos* vel *homiliticos* codd. omnes Ruaei. Versiones Hieronymi, quorum in textu mentio fit, ipse enumerat in Catal. Script. eccl. p. 128.

20) ipsis] *ipso* Mart. A et B. Cf. Ruf. invect. I, p. 360, 364 et libellum de adulteratione librorum Origenis (Opp. Orig. IV. Append. p. 48). Hanc adulterationem fictam esse a Rufino, docuimus iam in Prooemio.

22) Apologetico] Postquam in monasterio, quod Pineti erat, exeunte anno 397 Basilii instituta monachorum verterat, ineunte deinde anno 398 Romae, Macario petente, Pamphili Apologiam transtulit (Opp. Orig. IV. App. p. 17), et librum de adulteratione etc. subiunxit. Temere

Digitized by Google

quem Pamphilus pro libris ipsius Origenis scripsit, edidimus, brevissimo libello superaddito, in quo evidentibus, ut arbitror, probamentis corruptos esse in quampluribus ab haereticis et malevolis libros eius ostendimus, et praecipue istos, quos nunc exigis ut interpreter, id est περὶ ἀρχῶν, quod vel de Principiis vel de Principatibus dici potest, qui sunt revera alias et obscurissimi et difficillimi. De rebus enim talibus ibi disputat, in quibus philosophi omni aetate sua consumta invenire potuerunt nihil. Hic vero noster quantum potuit id egit, ut creatoris fidem et creaturarum rationem, quam illi ad impietatem traxerant, ad pietatem iste converteret. Sicubi ergo nos in libris eius aliquid contra id invenimus, quod ab ipso in ceteris locis pie de Trinitate fuerat definitum, velut adulteratum hoc et alienum aut praetermisimus, aut secundum eam regulam protulimus, quam ab ipso frequenter invenimus affirmatam. Si qua sane velut peritis iam et scientibus loquens, dum breviter transire vult, obscurius protulit: nos, ut manifestior fieret locus, ea quae de ipsa re in aliis eius libris apertius legeramus adiecimus, explanationi studentes: nihil tamen nostrum diximus, sed licet in aliis locis dicta, tamen sua sibi reddidimus.

Hoc autem idcirco in praefatione commonui, ne

Pamphilo Apologiam abiudicare Hieronymum, Ruaeus in praef. ad Apologiam satis probavit.

5) *istos praecipue* Mart. A.

7) principatibus] codd. omnes Ruaei et Ruf. invect. I, Mart. IV, p. 364 (cf. Tom. V, p. 267); *potestatibus* edd. M., G. et Mart. B.

9) *sua aetate* Mart. A et B.

10) nihil] post „consumta" hanc vocem collocat Mart. A.

12) creaturarum] codd. omnes Ruaei et Ruf. invect. I, p. 364; *creaturarum rerum* Mart. A et B. Rufinus l. c.: „Etiam hic diligentius inspice, ut non te praetereat, quod creatoris quidem fidem diximus, creaturarum vero rationem: scientes quod ea quae de Deo dicuntur ad fidem pertinent, quae vero de creaturis disputamus, ad rationem."

12) *traxerant* Mart. A et B.

13) iste] *ipse* Mart. A, om. Mart. B.

15) ipso] *eo* Mart. A.

15) pie] praemittit Mart. A. *fideliter*.

24) tamen sua] Mart. B, *sua tamen* Mart. A, *sua tantum* Ruf. invect. I, p. 364, *sua tamen* idem l. c. p. 366, et quidem bis. De immutatione ipsa cf. l. c. p. 460.

25) Hoc] *Haec* Mart. B.

Digitized by Google

forte calumniatores iterum se criminandi putent invenisse materiam. Sed viderint quid perversi et contentiosi homines agant. Nobis interim tantus labor, si tamen orantibus vobis Deus iuverit, idcirco susceptus est, non ut calumniosis os (quod fieri non potest, licet forte etiam hoc Deus faciet) clauderemus: sed ut proficere ad scientiam rerum volentibus materiam praeberemus. Illud sane omnem qui hos libros descripturus est vel lecturus, in conspectu Dei Patris et Filii et Spiritus sancti contestor, atque convenio per futuri regni fidem, per resurrectionis ex mortuis sacramentum, per illum qui praeparatus est diabolo et angelis eius aeternum ignem: sic non illum locum aeterna haereditate possideat, ubi est fletus et stridor dentium, et ubi ignis eorum non extinguetur et vermis eorum non morietur: ne addat aliquid Scripturae, ne auferat, ne inserat, ne immutet, sed conferat cum exemplaribus unde scripserit, et emendet ad literam et distinguat, et inemendatum vel non distinctum codicem non habeat, ne sensuum difficultas, si distinctus codex non sit, maiores obscuritates legentibus generet.

1) iterum] „Quod dixi *iterum*, illa causa est, quia iam sancti episcopi Iohannis epistolam de fide ad sanctum Theophilum scriptam criminati sunt, quando corpus humanum aliud nescio quid fingebant esse quam carnem; idcirco *iterum* posui." Ruf. invect. I, p. 366. De epistola hac Iohannis v. Huetium II, 4, 1 (11).

1) putent] *putarent* Mart. A.

2) viderint quid] *viderint ipsi quod* Mart. A.

4) iuverit] *annuerit* Mart. A. et B.

5) os] *ora* Mart. A.

6) faciet] *faceret* codd. Cor. et R., *facere possit* cod. Col.

9) libros] addunt *vel* post „libros" Mart. A et B.

10) Eiusmodi formulae ex Apocalypsi, quae fertur Iohannis, in libros patrum transmigrasse videntur. Eusebius h. e. V, 20 formulam simillimam nostrae ex Irenaeo exhibet, et initio Chronici, ab Hieronymo translati, ipse iisdem fere verbis utitur. — Queritur Rufinus inv. I, p. 366: „Et tamen post ista omnia tam honorifica tamque horribilia adiurationum sacramenta falsare haec atque corrumpere non dubitarunt illi (qui ad insidiandum mihi de oriente transmissi sunt, p. 370). De hac adulteratione temere a Rufino magni facta v. infra p. 52 Ruaei; ibi enim „ipsum caput, in quod manus falsarias imposuerunt" exhibetur.

13) eius] *suis* Mart. A.

13) sic] *si* Mart. A.

16) ne addat] *ne quis addat* Mart. A.; *ne addat aliquid huic* Mart. B.

# ORIGENIS
# DE PRINCIPIIS
## LIBRI QUATUOR.

## LIBER PRIMUS.

Omnes qui credunt et certi sunt quod et gratia et veritas per Iesum Christum facta sit, et Christum veritatem esse norunt, secundum quod ipse dixit, „Ego sum veritas:“ scientiam quae provocat homines ad bene beateque vivendum non aliunde quam ab ipsis verbis Christi doctrinaque suscipiunt. Christi autem verbis dicimus, non his solum quae homo factus atque in carne positus docuit: et prius namque Christus Dei verbum in Moyse atque prophetis erat. Nam sine verbo Dei quomodo poterant prophetare de Christo? Ad cuius rei probationem non esset difficile ex divinis Scripturis ostendere, quo- 47 Praef.

1) Omnes — veritatem] cf. fragm. l. I, 1.

4) Ioh. XIV, 6.

8) et prius namque] Saepenumero vel Filium, Dei verbum ad prophetas factum, vel Patrem ipsum locutum esse in Scripturis testatur Origenes, ut Tom. I in Ioh. p. 4, σαφὰ μὲν καὶ πιστὰ καὶ σφόδρα ἐπιτεταγμένα τὰ ἀποστολικὰ· οὐ μὴν παραπλήσια τῷ „τάδε λέγει κύριος αὐτοκράτωρ.“ Ubi vero accuratius loquitur unice ad Spiritum sanctum refert sacrorum librorum inspirationem, ut Tom. II in Ioh. p. 62, et λαλεῖν quidem ἐκ προσώπου τοῦ Χριστοῦ, τοῦ θεοῦ, τοῦ λαοῦ κ. τ. λ. eundem hunc Spiritum docet hom. IV. in Acta apost. p. 457; hom. X. in Ierem. p. 182. Inspirationem ea in re contineri, ut Spiritus divini contactu sive illuminatione sacri auctorum mentes perspicaciores et splendidiores efficiantur, docet l. VII c. Cels. p. 696. Cf. Guerike de schola Alex. p. 170. — De intima inter utrumque Testamentum cognatione v. de Princ. II, p. 84 ss. — Egregie de hoc loco disseruit Lücke in: Sendschreiben über das Ansehn der h. Schrift und ihr Verhältniss zur Glaubensregel, Bonn 1827, p. 136.

Digitized by Google

modo vel Moyses vel prophetae spiritu Christi repleti, vel locuti sunt, vel gesserunt omnia quae gesserunt, nisi studio nobis esset, praesens hoc opus omni qua possumus brevitate succingere. Unde sufficere existimo, uno hoc Pauli testimonio debere nos uti ex epistola quam ad Hebraeos scribit, in qua ita ait: „Fide magnus factus Moyses negavit se dici filium filiae Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalem habere peccati iucunditatem, maiores divitias aestimans Aegyptiorum thesauris opprobrium Christi.“ Sed et post assumtionem eius in coelos, quod in apostolis suis locutus sit, hoc modo indicat Paulus; „Aut numquid probamentum eius quaeritis qui in me loquitur Christus?“

II. Quoniam ergo multi ex his qui Christo credere se profitentur, non solum in parvis et minimis discordant, verum etiam in magnis et maximis, id est, vel de Deo, vel de Domino Iesu Christo, vel de Spiritu sancto; non solum autem de his, sed et de aliis creaturis, id est, vel de Dominationibus, vel de Virtutibus sanctis: propter hoc necessarium videtur prius de his singulis certam lineam manifestamque regulam ponere, tum deinde etiam de ceteris quaerere. Sicut enim multis apud Graecos et Barbaros pollicentibus veritatem, desivimus apud omnes eam quaerere qui eam falsis opinionibus asserebant, posteaquam credidimus Filium Dei esse Christum, et ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus: ita cum multi sint qui se putant sentire quae Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita, et usque ad praesens in ecclesiis permanens: illa sola credenda est

7) Hebr. XI, 25, 26.

13) 2 Cor. XIII, 3.

16) se profitentur] sc. quamvis vere non credant; haeretici enim infidelibus multo peiores. Cf. c. Cels. III, p. 454; Comment. in Matth. p. 852.

24) Sicut enim — ac scientiae condonatur, paragr. VIII.] V. Apologiam Pamphili (Opp. Orig. Tom. IV App.) p. 20 seq.

33) illa sola credenda est etc.] Quid de regula fidei apostolicaque traditione, ac de utriusque ad Scripturas ratione senserit Origenes, praeclare exposuit Lücke l. c. p. 125 ss. De Clemente Alexandrino ibidem disseruit Nitzsch. p. 46 ss. Docet uterque contra Calixtum, Lessingium et alios, ecclesiam veterem regulae fidei, qualiscumque fuerit, auctoritatem nequaquam praehabuisse

veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione.

III. Illud autem scire oportet, quoniam sancti apostoli fidem Christi praedicantes, de quibusdam quidem, quaecunque necessaria crediderunt, omnibus, etiam his qui pigriores erga inquisitionem divinae scientiae videbantur, manifestissime tradiderunt, rationem scilicet assertionis eorum relinquentes ab his inquirendam, qui Spiritus dona excellentia mererentur, et praecipue sermonis, sapientiae et scientiae gratiam per ipsum Spiritum sanctum percepissent; de aliis vero dixerunt quidem, quia sint; quomodo

Scripturae sacrae. Nam nonnisi ut ex praescripto refutarentur haeretici, apostolica traditio, et quae eius summa velut et argumentum erat, fidei regula, a Patribus in auxilium vocari solebat. Est autem haec regula summa brevis et succincta doctrinae, quam Scripturis inesse catholica statueret ecclesia, v. Lücke l. c. p. 137. Itaque theologi qui Alexandriae florerent idem fere valuerunt notiones τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος, τῆς ἐκκλησιαστικῆς παραδόσεως, τῆς κυριακῆς γραφῆς, τοῦ εὐαγγελικοῦ κηρύγματος, et quae sunt similia, cf. Möhler, die Einheit der Kirche, Tubing. 1825. p. 53. — Quantum vero abfuerit Origenes, ut regulam fidei presse sequendam statueret, videre licet Tom. XIII. in Ioh. p. 225: — τὸν δὲ κανόνα κατὰ τοὺς πολλοὺς τῆς ἐκκλησίας, ὃν καὶ αὐτὸν ὁ τέλειος καὶ ἅγιος ὑπεραναβήσεται θεωρητικώτερον καὶ σαφέστερον προσκυνεῖν τῷ πατρὶ, διὰ τοῦ· οὔτε ἐν Ἱεροσολύμοις προσκυνήσετε τῷ πατρί (Ioh. IV, 21) κ. τ. λ. Et quum statuisset, Comment. in Ps. p. 527, summam esse Scripturae sacrae obscuritatem, tamen unice in Scripturis ipsis non in Symbolo aliquo remedia huius rei posita, eamque per se ipsam illustrandam esse docet. Eodem pertinet, quod praeceptoribus ecclesiasticis singula quaeque, quae proferunt, Scripturae locis probanda et stabilienda esse moneat: ἀμάρτυροι γὰρ αἱ ἐπιβολαὶ ἡμῶν καὶ αἱ ἐξηγήσεις ἄπιστοί εἰσιν, hom. I. in Ierem. p. 129.

8) rationem scilicet etc.] i. e. causas et rationes dogmatum, coniunctionemque eorum cum verae philosophiae elementis.

10) Alluditur ad 1 Cor. XII, 8. Est enim primaria sancti Spiritus efficacia in eo posita, ut quum Scripturae sacrae sensum mysticum et spiritualem recludat, tum causas, rationes et modum dogmatum christianorum aperiat, de Princ. II, p. 93.

12) quia sint] i. e. rationes quidem et causas rerum, quas docuerunt apostoli vel sacri scriptores, nonnunquam etsi obscurius indicarunt, ita ut allegorica interpretatione et philosophia vera (γνώσει) adhibita erui possint: modum vero ac formam rerum, e. c. qualis sit civitas coelestis, qualis animae Christi cum Filio Dei coniunctio, non exposuerunt. Itaque haec quidem nonnisi solius rationis s. γνώσεως

autem, aut unde sint, siluerunt, profecto ut studiosiores quique ex posteris suis, qui amatores essent sapientiae, exercitium habere possent, in quo ingenii sui fructum ostenderent, hi videlicet qui dignos se et capaces ad recipiendam sapientiam praepararent.

IV. Species vero eorum quae per praedicationem apostolicam manifeste traduntur, istae sunt. Primo, quod unus Deus est qui omnia creavit atque composuit, quique, cum nihil esset, esse fecit universa; Deus a prima creatura et conditione mundi, omnium iustorum Deus, Adam, Abel, Seth, Enos, Enoch, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, duodecim Patriarcharum, Moysis et prophetarum: et quod hic Deus in novissimis diebus, sicut per prophetas suos ante promiserat, misit Dominum nostrum Iesum Christum, primo
48 quidem vocaturum Israël, secundo vero etiam gentes post perfidiam populi Israël. Hic Deus iustus et bonus, pater Domini nostri Iesu Christi, legem et pro-

ope, sacro codice silente, erui possunt; v. Mosheim de rebus Christ. ante Const. M. p. 618.

6) Species vero] Inter omnes fidei regulas, Nicaeno symbolo priores, nulla hac, quam Origenes hoc loco undecim capitibus sive articulis comprehensam exhibet, uberior est, v. Ch. W. Fr. Walchii bibliothecam symbolicam veterem, Lemgo 1770. Itaque falluntur, qui Origenem specimen tantum, non indicem dogmatum per praedicationem apostolicam traditorum dedisse hoc loco arbitrantur. Dubius de hac re Moshemius est (de rebus Christ. ante Const. M. p. 618): at non legitur, ut Moshemius allegat: *hae sunt species*, sed: *species istae sunt*. Quae autem deesse videantur dogmata, v. c. de providentia, de opere Christi salutari, ea in regulam fidei non recepta erant. Denique *per praedicationem ecclesiasticam* minime, ut Moshemio placuit, idem est quod *de sacro codice*, quum plura quam praedicatio illa hic codex complectatur. Insunt enim huic mysteria et altiora quaedam, quae ad plebem christianam, in praedicatione apostolica acquiescentem, non pertinent. Cf. Semler Einleitung zu Baumg. Polemik II, p. 184. — Quae ab hinc sequuntur, usque ad *ne scientiae condenatur*, reperiuntur in libro de Incarnatione verbi ad Ianuarium I, p. 51 s. (Append. Opp. Augustini ed. Ben. Tom. VIII). Subiungitur varietas lectionis ubi operae pretium videtur, insignita Ianuarii nomine.

7) manifeste traduntur] Publica et manifesta capitula sunt quae ad doctrinam de Deo et Christo pertinent: reliqua sunt *modica s. minora*, Tom. III in Matth. p. 852. Praeterea manifestis opponuntur ea, quae non aperte definiantur, Apol. Pamph. p. 22.

9) cum nihil esset] *essent* Ian.

16) nostrum] om. Ian.

Digitized by Google

phetas et Evangelia ipse dedit, qui et apostolorum Deus est, et veteris et novi Testamenti. Tum deinde quia Iesus Christus ipse qui venit, ante omnem creaturam natus ex Patre est. Qui cum in omnium conditione Patri ministrasset, „per ipsum" enim „omnia facta sunt," novissimis temporibus seipsum exinaniens, homo factus incarnatus est cum Deus esset, et homo factus mansit quod erat Deus. Corpus assumsit nostro corpori simile, eo solo differens quod natum ex virgine et Spiritu sancto est. Et quoniam hic Iesus Christus natus et passus est in veritate, et non per phantasiam communem hanc mortem sustinuit, vere mortuus: vere enim a mortuis resurrexit, et post resurrectionem, conversatus cum discipulis suis, assumtus est. Tum deinde honore ac dignitate Patri ac Filio sociatum tradiderunt Spiritum sanctum. In hoc non iam manifeste discernitur, utrum natus an innatus vel Filius etiam Dei

3) ipse] om. Ian.

4) Qui cum in omnium] Annotat Ruaeus: „Non desunt exempla locutionum quibus Filius ante incarnationem dicitur Deo Patri ministrasse, non modo in iis qui ante Arium vixerunt, Iustino nempe martyre, Theophilo Antiocheno, Irenaeo, Clemente Alexandrino, Tertulliano, et in epistola sex episcoporum ad Paulum Samosatenum; sed et in illis qui post exortam haeresin scripsere; v. g. in Hilario l. III de Trinitate, Mario Victorino, hymno 3, et Epiphanio." Tamen ne sic quidem orthodoxus efficitur Origenes, qui ubique sibi constet docendo, οὐχ ὑπὸ τοῦ λόγου, ἀλλ' ὑπὸ κρείττονος καὶ μείζονος παρὰ τὸν λόγον, et nonnisi δι' αὐτοῦ creatum esse mundum, Tom. II in Ioh. p. 60. V. Huetium II, 2, 13, 25. In editione Origenianorum ap. Ruaeum Tom. IV App. p. 124 reperiuntur quae Prudentius Maranus et Georgius Bullus ad excusationem Origenis frustra congesserunt.

5) Ioh. I, 3.

11) et non] *et* om. Ian.

15) deinde] *demum natura* Ian.

16) *tradidit* Ian.

17) In hoc — investiganda] om. Ian.

18) natus an innatus] Quod vertit Rufinus *natus an innatus* (cf. Apol. Pamph. p. 32), ab Hieronymo in ep. ad Avitum p. 761 redditur: *factus an infectus.* Itaque aut legisse videtur Hieronymus: γενητὸς ἢ ἀγένητος, Rufinus vero: γεννητὸς ἢ ἀγέννητος; aut quae per se ambigua esset vox „γενητός", ab utroque in diversam partem accepta est. Minime enim accurate inter γεννητὸς et γενητὸς distinxerunt patres ecclesiastici, ita ut Epiphanius haer. 64. c. 8 concedat, in aliis ferri posse vocem γενητός, in Origene damnandam esse, i. e., apud alios potestate τοῦ γεννητὸς eam esse obviam, apud Ori-

ipse habendus sit, necne: sed inquirenda iam ista pro viribus sunt de sacra Scriptura, et sagaci perquisitione investiganda. Sane quod iste Spiritus unumquemque sanctorum, vel prophetarum, vel apostolorum inspiraverit, et non alius Spiritus in veteribus, alius vero in his qui in adventu Christi inspirati sunt fuerit, manifestissime in ecclesiis praedicatur.

V. Post haec iam quod anima substantiam vitamque habens propriam, cum ex hoc mundo discesserit, pro suis meritis dispensabitur, sive vitae aeternae ac beatitudinis haereditate potitura, si hoc ei sua gesta praestiterint, sive igni aeterno ac suppliciis mancipanda, si in hoc eam scelerum culpa detorserit: sed et quia erit tempus resurrectionis mortuorum, cum corpus hoc quod nunc „in corruptione seminatur, surget in incorruptione," et quod „seminatur in ignominia, surget in gloria." Est et illud definitum in ecclesiastica praedicatione, omnem animam rationabilem esse liberi arbitrii et voluntatis; esse quoque ei certamen adversus diabolum et angelos eius, contrariasque virtutes, ex eo quod illi peccatis eam onerare contendant, nos vero si recte consulteque vivamus, ab huiusmodi onere nos exuere conemur. Unde et con-

genem inter creaturas ea adhibita referri videri ad Filium. Sed quantum abfuerit ab Arianorum sententia Origenes neminem latet. Ariani enim consulto permiscuerunt et confuderunt utriusque vocis notionem: Origenes morem sui temporis, ubi ambigue ea utitur, secutus est. Licebat enim, teste Athanasio, dicere: ἓν ἀγέννητον ὁ πατήρ (orat. II contra Arianos). E contrario latini quidam Patres vocem ἀγέννητος expresserunt: *infectus, inoperatus, originis expers*; v. Ruaeum ad Tom. II in Ioh. p. 61, Huetium II, 2, 23. Docet autem Origenes c. Cels. III, p. 469 esse Filium μεταξὺ τῆς τοῦ ἀγενήτου καὶ τῆς τῶν γενητῶν πάντων φύσεως, quandoquidem res creatae exstiterint post Deum creatorem, Filius vero ne cogitatione quidem post Patrem existere incoeperit. Praeterea Filii natura a creaturarum natura prorsus diversa est, ita ut hac etiam ratione ἀγένητος dici queat, c. Cels. VI, p. 643. Ceterum Filium a Patre genitum sive natum esse, constans est Origenis sententia, quoties vel γεννηθέντα vel γενητὸν ἐκ τοῦ πατρὸς eum dicat. Cf. de Princ. I, p. 55 v. f. Utrumque enim Filius recte dicitur; Spiritus sanctus, si accurate loqui velis, non est γεννητὸς sed γενητός.

12) igni aeterno ac suppliciis] *aeterno supplicio* Ian.

13) *quia* om. Ian.

15) 1 Cor. XV, 42.

23) onere] *labe* codd. Ruaei, Ian. Sed Apol. Pamph. ut in textu. Om. M. et G.

Digitized by Google

sequens est intelligere, non nos necessitati esse subiectos, ut omni modo, etiamsi nolimus, vel mala vel bona agere cogamur. Si enim nostri arbitrii sumus, impugnare nos fortasse possunt aliquae virtutes ad peccatum, et aliae iuvare ad salutem: non tamen necessitate cogimur vel agere recte, vel male; quod fieri arbitrantur hi qui stellarum cursum et motus causam dicunt humanorum esse gestorum, non solum eorum quae extra arbitrii accidunt libertatem, sed et eorum quae in nostra sunt posita potestate. De anima vero utrum ex seminis traduce ducatur, ita ut ratio ipsius vel substantia inserta ipsis seminibus corporalibus habeatur, an vero aliud habeat initium; et hoc ipsum initium si genitum est, aut non genitum; vel certe si extrinsecus corpori inditur, necne: non satis manifesta praedicatione distinguitur.

De diabolo et angelis eius contrariisque virtutibus ecclesiastica praedicatio docuit, quoniam sunt VI.
quidem haec; quae autem sint, aut quomodo sint, non satis clare exposuit. Apud plurimos tamen ista habetur opinio, quod angelus fuerit iste diabolus, et apostata effectus quamplurimos angelorum secum declinare persuaserit, qui et nunc usque angeli ipsius nuncupantur.

Est praeterea et illud in ecclesiastica praedica- VII.
tione, quod mundus iste factus sit, et a certo tempore coeperit, et sit pro ipsa sui corruptione solvendus. Quid tamen ante hunc mundum fuerit, aut quid post mundum erit, iam non pro manifesto multis innotuit. Non enim evidens de his in ecclesiastica praedicatione sermo profertur.

Tum demum quod per Spiritum Dei Scripturae VIII.
conscriptae sint, et sensum habeant, non eum solum

2) omni modo] *omnino* Ian.

10) De anima vero etc.] Iure haec dici ab Origene probat Huetius, II, 6, 11. Augustinus adeo de animae origine ubique haesitavit: Hieronymo contra eam, quae creatianismi nomine postea insignita est, sententiam diserte profitente. Cf. Dialogum sub Hieronymi et Augustini nomine ex utriusque scriptis ab incerto auctore collectum, ap. Martian. V, p. 384. Cf. ib. p. 307 Augustinum ad Hier. de ratione animae, p. 316 de orig. animarum ad Optatum.

17) diabolo] addit *quoque* Ian.

29) post mundum] *postmodum* Ian.

29) multis] i. e. *οἱ πολλοὶ*, qui „pigriores erga inquisitionem divinae scientiae videantur;" v. supra p. 65. lin. 10; cf. Neandri Kirchengesch. I, p. 621.

qui in manifesto est, sed et alium quemdam latentem quamplurimos. Formae enim sunt haec quae
49 descripta sunt sacramentorum quorumdam, et divinarum rerum imagines. De quo totius ecclesiae una sententia est, esse quidem omnem legem spiritalem; non tamen ea quae spirat lex esse omnibus nota, nisi his solis quibus gratia Spiritus sancti in verbo sapientiae ac scientiae condonatur.

Appellatio autem ἀσωμάτου, id est, incorporei, non solum apud multos alios, verum etiam apud nostras scripturas est inusitata et incognita. Si vero quis velit nobis proferre ex illo libello qui Petri Doctrina appellatur, ubi Salvator videtur ad discipulos dicere: „Non sum daemonium incorporeum:" primo respondendum est ei, quoniam ille liber inter libros ecclesiasticos non habetur; et ostendendum quia neque Petri est ipsa scriptura, neque alterius cuiusquam qui spiritu Dei fuerit inspiratus. Quod etiamsi ipsum concederetur, non idem sensus ibi ex isto sermone ἀσωμάτου indicatur, qui a graecis et gentilibus auctoribus ostenditur, quum de incorporea natura a philosophis disputatur. In hoc enim libello incorporeum daemonium dixit pro eo, quod ipse ille, quicunque est, habitus vel circumscriptio daemonici corporis, non est similis huic nostro crassiori et vi-

6) omnibus] *hominibus* Ian.

9) Appellatio autem — requirendum est] om. Ian. et Apol. Pamph. p. 21, his tamen insertis: *Et post pauca ait.* Textus ep. Mart. B (V, p. 257) addit: *Statim sequitur.* Minus arcte enim haec inter se cohaerere videbantur, Rufino fortasse hoc loco non satis feliciter interpretante. — De voce ἀσώματος v. p. 83 v. f., p. 189 et fragm. l. II, 2; III, 2.

12) Petri Doctrina] Quinque ferebantur in vetere ecclesia libri apocryphi sub Petri nomine: Acta, Evangelium, Praedicatio, Apocalypsis, Iudicium Petri, Hieron. Catal. Script. eccl. p. 101. Idem autem liber mox Praedicatio (τὸ κήρυγμα Πέτρου Tom. in Ioh. XIII, p. 226), mox οἱ περίοδοι Πέτρου (Comment. in Gen. p. 21), denique Doctrina Petri inscribebatur, Coteler. ad Const. apost. p. 24. De hoc apocrypho, praeter eos, qui a Gieselero K. G. I, p. 148 laudantur, nuper scripsit Baur (Tübing. ev. theol. Zeitschrift 1831, fasc. 4, p. 188 ss.). — Eundem ad quem in textu provocatur locum Ignatius in ep. ad Smyrn. c. 3 exhibet: ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον; annotat vero Hieronymus in Catal. p. 108, desumta esse haec ex Evangelio Nazaraeorum. Itaque aut memoria lapsus est Origenes, aut in utroque apocrypho eadem reperiebantur.

sibili corpori: sed secundum sensum eius qui composuit illam scripturam, intelligendum est quod dixit; id est non se tale corpus quale habent daemones, quod est naturaliter subtile, et velut aura tenue, et propter hoc vel putatur a multis vel dicitur incorporeum, sed habere se corpus solidum et palpabile. In consuetudine vero hominum omne quod tale non fuerit, incorporeum simplicioribus vel imperitioribus nominatur: velut si quis aërem istum quo fruimur, incorporeum dicat, quandoquidem non est tale corpus ut comprehendi ac teneri possit, urgentique resistere. Quaeremus tamen si vel alio nomine IX. res ipsa quam graeci philosophi ἀσώματον, id est incorpoream, dicunt, in Scripturis sanctis invenitur. Deus quoque ipse quomodo intelligi debeat inquirendum est, corporeus, et secundum aliquem habitum deformatus, an alterius naturae quam corpora sunt, quod utique in praedicatione nostra manifeste non designatur. Eadem quoque etiam de Christo et de Spiritu sancto requirenda sunt: sed et de omni anima, atque omni rationabili natura nihilominus requirendum est.

X. Est etiam illud in ecclesiastica praedicatione, esse angelos Dei quosdam et virtutes bonas, qui ei ministrant ad salutem hominum consummandam: sed quando isti creati sint, vel quales, aut quomodo sint, non satis in manifesto designatur. De sole autem et luna et stellis, utrum animantia sint, an sine anima, manifeste non traditur.

Oportet igitur elementis ac fundamentis huiusmodi uti, secundum mandatum quod dicit: „Illuminate vobis lumen scientiae,“ omnem qui cupit seriem quamdam et corpus ex horum omnium ratione perficere, ut manifestis et necessariis assertionibus de singulis quibusque quid sit in vero rimetur, et unum, ut diximus, corpus efficiat exemplis et affirmationibus, vel his quas in sanctis Scripturis invenerit, vel

23) Est etiam — repererit] Ap. Pamph. p. 21, liber ad Ian. p. 51.
24) qui ei] *quae ei* Ian.
27) designatur] *distinguitur* Ian.
27) De sole — traditur] om. Ian.
30) igitur] addit *velut* Ian.
31) Hos. X, 12.
32) omnem] *omnis* Ian.
36) exemplis] i. e. παραδείγμασι, typice veritatem adumbrantibus.
37) his quas] *iis quas* Ian.
37) vel quas etc.] i. e. quae non reperiuntur in sacro codice, ne le-

quas ex consequentiae ipsius indagine ac recti tenore repererit.

---

Cap. I. De Deo. Scio quoniam conabuntur quidam etiam secundum Scripturas nostras dicere Deum corpus esse, quoniam inveniunt scriptum esse apud Moysen quidem: „Deus noster ignis consumens est;" in evangelio vero secundum Ioannem: „Deus spiritus est, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare." Ignis vero et spiritus non aliud apud eos, quam corpus esse putabitur. Quos interrogare volo, quid dicant de eo quod scriptum est, quia Deus lux est, sicut Ioannes in epistola sua dicit: „Deus lux est, et tenebrae non sunt in eo." Ista nempe lux est, quae illuminat omnem sensum eorum, qui possunt capere veritatem, sicut in xxxv. psalmo dicitur: „In lumine tuo videbimus lumen." Quid enim aliud lumen Dei dicendum est, in quo quis videt lumen, nisi virtus Dei, per quam quis illuminatus vel veritatem rerum omnium pervidet, vel ipsum Deum cognoscit, qui veritas appellatur? Tale est ergo quod dicitur: „In lumine tuo videbimus lumen;" hoc est, in verbo et sapientia tua, qui est Filius tuus, in ipso te videbimus Patrem. Numquidnam quia lumen nominatur, simile putabitur solis huius lumini? Et quomodo vel levis aliquis dabitur intellectus, ut ex isto quis corporali lumine causam scientiae capiat, et veritatis inveniat intellectum?

II. 50 Si ergo acquiescunt huic assertioni nostrae quam de natura luminis ipsa demonstravit ratio, et fatentur non posse corpus intelligi Deum secundum luminis intellectum, similis quoque ratio de igne con-

viter adumbrata quidem, sed concludendo tantum assequenda sunt.

4) Tantum abest Origenes, ut ulla ex parte corpus attribuat Deo, ut potius in corpore etsi subtilissimo ad peccandum ansam, aut saltim quod peccari possit causam, inesse statuat. Crassiora corpora carceres sunt et ergastula animae. Accedit quod qui materiae aeternitatem negaret, creanti materiam Deo corpus adscribere non poterat; omne enim corpus ex materia est, de Princ. II, p. 86. Cf. Guerike de schola Alex. II, p. 182.

6) Deut. IV, 24.

7) Ioh. IV, 24.

12) 1 Ioh. I, 5.

16) Ps. XXXV, 10.

sumente dabitur. Quid enim consumet Deus secundum hoc quod ignis est? Numquidnam putabitur consumere materiam corporalem, ut est lignum, vel foenum, vel stipula? Et quid in hoc dignum Dei laudibus dicitur, si Deus ignis est huiusmodi materias consumens? Sed consideremus quia Deus consumit quidem et exterminat, sed consumit malas mentium cogitationes, consumit gesta turpia, consumit desideria peccati, cum se credentium mentibus inserit, et eas animas, quae verbi eius ac sapientiae efficiuntur capaces, una cum Filio suo inhabitans secundum quod dictum est: „Ego et pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus," omnibus eorum vitiis passionibusque consumtis, purum sibi eas seque dignum efficit templum. Sed et his qui per hoc quod dictum est quoniam „Deus spiritus est," corpus esse arbitrantur Deum, hoc modo arbitror esse respondendum: Consuetudo est Scripturae sanctae, cum aliquid contrarium corpori huic crassiori et solidiori designare vult, spiritum nominare, sicut dicit: „Litera occidit, spiritus autem vivificat." In quo sine dubio per literam corporalia significat, per spiritum intellectualia, quae et spiritalia dicimus. Apostolus quoque dicit: „Usque in hodiernum cum legitur Moyses velamen est positum super cor eorum: cum autem conversus fuerit quis ad Dominum, auferetur velamen: ubi autem spiritus Domini, ibi libertas." Donec enim quis non se converterit ad intelligentiam spiritalem, est positum velamen super cor eius, quo velamine, id est intelligentia crassiore, Scriptura ipsa velari dicitur vel putatur: et hoc est quod ait superpositum esse velamen vultui Moysi cum loqueretur ad populum, id est, cum lex vulgo recitaretur. Si autem convertamus nos ad Dominum, ubi est et verbum Dei, et ubi Spiritus sanctus revelat scientiam spiritalem: tunc auferetur velamen, et tunc revelata facie in Scripturis sanctis gloriam Domini speculabimur.

III. Sed et cum de Spiritu sancto multi sancti participant, non utique corpus aliquod intelligi potest Spiritus sanctus, quod divisum in partes corporales percipiat unusquisque sanctorum: sed virtus profecto

12) Ioh. XIV, 23.
21) 2 Cor. III, 6.
24) Ibid. 15 seq.



Digitized by Google

sanctificans est, cuius participium habere dicuntur omnes qui per eius gratiam sanctificari meruerint. Et ut facilius quod dicimus possit intelligi, ex rebus quamvis imparibus sumamus exemplum. Multi sunt qui disciplinae sive artis medicinae participant: et numquid putandum est, omnes eos qui medicinae participant, corporis alicuius, quod medicina dicitur, in medio positi sibi auferre particulas, et ita eius participium sumere? an potius intelligendum est, quod quicunque promtis paratisque mentibus intellectum artis ipsius disciplinaeque percipiunt, hi medicinae participare dicantur? Sed haec non omnino similia exempla putanda sunt de medicina sancto Spiritui comparata; sed ad hoc tantummodo comprobandum, quia non continuo corpus putandum est id cuius participatio habetur a plurimis. Spiritus enim sanctus longe differt a medicinae ratione vel disciplina, pro eo quod Spiritus sanctus subsistentia est intellectualis, et proprie subsistit et extat: nihil autem tale est medicina.

IV. Sed ad ipsum iam sermonem Evangelii transeundum est, ubi scriptum est quia „Deus spiritus est," et ostendendum est quam consequenter his quae diximus intelligi debeat. Interrogemus namque quando ista dixerit Salvator noster, vel apud quem, vel cum quid quaereretur. Invenimus sine dubio quod ad Samaritanam mulierem loquens ista protulerit, ad eam quae putabat quod in monte Garizim secundum opinionem Samaritanorum adorari oporteret Deum, dicens quoniam „Deus spiritus est." Quaerebat enim ab eo Samaritana mulier, putans eum esse unum ex Iudaeis, utrum in Hierosolymis adorari oporteret Deum, an in hoc monte; et ita dicebat: „Patres nostri omnes hoc in monte adoraverunt, et vos dicitis, quia in Hierosolymis est locus ubi adorare oportet." Ad haec ergo quae opinabatur Samaritana, putans ex locorum corporalium praerogativa, quod minus recte vel rite adorabatur Deus, aut a Iudaeis in Hierosolymis, aut a Samaritanis in monte Garizim, respondit Salvator esse recedendum a praesumtione corporalium locorum huic qui vult sequi Dominum; et ita ait: „Venit hora ut veri adoratores,

22) Ioh. IV, 24.
33) Ibid. 20.
42) Ibid. 21 seq.

neque in Hierosolymis, neque in monte hoc adorent Patrem. Deus spiritus est, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.“ Et vide quam consequenter veritatem spiritui sociavit, ut ad distinctionem quidem corporum nominaret spiritum, ad distinctionem vero umbrae vel imaginis, veritatem. Qui enim adorabant in Hierosolymis, umbrae vel imagini coelestium deservientes, non veritate neque spiritu adorabant Deum: similiter autem et ii qui adorabant in monte Garizim.

Omni igitur sensu qui corporeum aliquid de Deo V. intelligi suggerit, prout potuimus, confutato, dicimus secundum veritatem quidem Deum incomprehensibilem esse atque inaestimabilem. Si quid enim illud est quod sentire vel intelligere de Deo potuerimus, multis longe modis eum meliorem esse ab eo quod 51 sensimus necesse est credi. Sicut enim si videamus aliquem vix posse scintillam luminis, aut brevissimae lucernae lumen aspicere; et eum cuius acies oculorum plus luminis capere quam supra diximus, non valet, si velimus de claritate ac splendore solis edocere: nonne oportebit nos ei dicere, quia omni hoc lumine quod vides, ineffabiliter et inaestimabiliter melior ac praestantior est solis splendor? Ita mens nostra cum intra carnis et sanguinis claustra concluditur, et pro talis materiae participatione hebetior atque obtusior redditur, licet ad comparationem naturae corporeae longe praecellens habeatur, tamen dum ad incorporea nititur atque eorum rimatur intuitum, tunc scintillae alicuius aut lucernae vix obtinet locum. Quid autem in omnibus intellectualibus, id est, incorporeis, tam praestans omnibus, tam ineffabiliter atque inaestimabiliter praecellens, quam Deus? cuius utique natura acie humanae mentis intendi atque intueri, quamvis ea sit purissima mens ac limpidissima, non potest.

Verum non videtur absurdum, si ad evidentio- VI. rem rei manifestationem etiam alia utamur similitudine. Interdum oculi nostri ipsam naturam lucis, id est, substantiam solis intueri non possunt: splendorem vero eius vel radios fenestris forte et quibus-

11) Omni igitur — deitatis speciei constare] cf. Apol. Pamph. p. 23. Locos quibus Deum corporeum esse negat Origenes, congesserunt Münscher, Dogmengesch. I, p. 304 Guerike l. c. p. 183.

libet luminum brevibus receptaculis infusos intuentes, considerare possumus, fomes ipse ac fons quantus sit corporei luminis. Ita ergo quasi radii quidam sunt Dei naturae opera divinae providentiae et ars universitatis huius, ad comparationem ipsius substantiae ac naturae. Quia ergo mens nostra ipsum per seipsam Deum sicut est non potest intueri, ex pulchritudine operum et decore creaturarum parentem universitatis intelligit. Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adiunctionis admittens; uti ne maius aliquid et inferius in se habere credatur, sed ut sit ex omni parte μονὰς, et ut ita dicam ἑνὰς, et mens, ac fons ex quo initium totius intellectualis naturae, vel mentis est. Mens vero ut moveatur vel operetur, non indiget loco corporeo, neque sensibili magnitudine, vel corporali habitu, aut colore; neque alio ullo prorsus indiget horum quae corporis vel materiae propria sunt. Propter quod natura illa simplex et tota mens ut moveatur vel operetur aliquid, nihil dilationis aut cunctationis habere potest, ne per huiusmodi adiunctionem circumscribi vel inhiberi aliquatenus videatur divinae naturae simplicitas, uti ne quod est principium omnium, compositum inveniatur et diversum, et sit multa, non unum, quod oportet totius corporeae admixtionis alienum una sola, ut ita dixerim, deitatis specie constare. Quia autem mens non indigeat loco, ut secundum naturam suam moveatur, certum est etiam ex nostrae mentis contemplatione. Haec enim si in sua mensura consistat, nec ex qualibet causa aliquid ei obtusionis eveniat, nihil unquam ex locorum diversitate tardabitur, quominus suis motibus agat: neque rursus ex locorum qualitate augmentum aliquod, vel incrementum mobilitatis acquirit. Quod si obtendat aliquis, verbi gratia, quia navigantibus et fluctibus maris iactatis minus aliquanto mens vigeat quam vigere in terris solet: non ex loci diversitate id pati, sed ex corporis commotione vel conturbatione credendum est, cui mens adiuncta vel inserta est. Videtur enim quasi contra naturam in mari degere corpus humanum, et propterea velut quadam sui inaequalitate motus mentis incomposite inordinateque suscipere, et acuminis eius ictus obtusiori ministerio dispensare, non minus quam

si qui etiam in terra positi febribus urgeantur: quorum certum est quod si minus aliquid per vim febrium mens suum non servet officium, non loci culpam, sed morbum corporis esse causandum, per quem turbatum corpus atque confusum nequaquam notis ac naturalibus lineis solita menti dependit officia, quandoquidem nos homines animal sumus compositum ex corporis animaeque concursu. Hoc enim modo habitare nos super terram possibile fuit. Deum vero, qui omnium est principium, compositum esse non est putandum: ne forte priora ipso principio inveniantur elementa esse, ex quibus compositum est omne quidquid illud est quod compositum dicitur. Sed nec magnitudine corporali mens indiget ut agat aliquid, vel moveatur: sicut oculus cum in maiora quidem corpora intuendo diffunditur, ad parva vero et exigua coarctatur et astringitur ad videndum. Indiget sane mens magnitudine intelligibili, quia non corporaliter, sed intelligibiliter crescit. Non enim corporalibus incrementis simul cum corpore mens usque ad vigesimum, vel trigesimum annum aetatis augetur, sed eruditionibus et exercitiis adhibitis acu- 52
men quidem elimatur ingenii, quaeque sunt ei insita ad intelligentiam provocantur, et capax efficitur maioris intellectus, non corporalibus incrementis aucta, sed eruditionis exercitiis elimata. Quae idcirco non statim a puero vel a nativitate recipere potest, quia invalida adhuc et imbecilla membrorum est compago, quibus velut organis ad exercitium sui mens utitur, neque operandi vim sustentare valet, nec percipiendae disciplinae exhibere sufficit facultatem.

Si qui autem sunt qui mentem ipsam animam- VII.
que corpus esse arbitrentur, velim mihi responde-

6) lineis] i. e. ratione.

32) animamque corpus etc.] Eandem sententiam de anima omnino incorporea profitetur Origenes in Exhortatione ad martyrium p. 306, ubi animam dicit habere συγγενές τι θεῷ· νοερὰ γὰρ ἑκάτερα καὶ ἀόρατα, καὶ ὡς ὁ ἐπικρατῶν ἀποδείκνυσι λόγος, ἀσώματα. Cf. ib. p. 275: Deum tota anima diligi ab iis, qui desiderio communicandi cum ipso abstrahant eam ac divellant οὐ μόνον ἀπὸ τοῦ γηΐνου σώματος, ἀλλὰ καὶ παντὸς σώματος; cf. de Princ. I, p. 75, *mortificantes membra sua* et quae seq. Itaque alia haec quaestio est, utrum naturâ videatur anima esse corporea; alia ista, utrum corpore vel velamine unquam prorsus carere possit, quod negatur de Princ. I, p. 71, ib. II, p. 101. Sed per se incorporea est,

rent, quomodo tantarum rerum, tam difficilium, tamque subtilium rationes assertionesque recipiat. Unde ei virtus memoriae? Et unde ei rerum invisibilium contemplatio? Unde certe incorporalium intellectus rerum corpori inest? Quomodo natura corporea disciplinas artium, rerum contemplationes rationesque rimatur? Unde etiam divina dogmata, quae manifeste incorporea sunt, sentire ac intelligere potest? Nisi forte aliquis putet, quod sicut forma ista corporea et habitus ipse aurium vel oculorum confert aliquid ad audiendum et ad videndum, et ut singula membra, quae a Deo formata sunt, habent aliquid opportunitatis etiam ex ipsa formae qualitate ad hoc quod agere naturaliter instituta sunt: ita etiam habitum animae vel mentis intelligi debere arbitretur, quasi apte accomodeque formatum ad hoc ut de singulis sentiat vel intelligat, atque ut vitalibus motibus moveatur. Verum qualem colorem mentis, secundum hoc quod mens est et intelligibiliter movetur, describere quis posset aut dicere, non adverto.

Adhuc ad confirmationem atque explanationem eorum quae de mente vel anima diximus, eo quod praestantior sit totius naturae corporeae, etiam haec addi possunt. Unicuique corporeo sensui substantia quaedam sensibilis subiacet propria in quam sensus ipse corporalis intenditur. Verbi gratia, visui subiacent colores, habitus, magnitudo; auditui voces et sonus; odoratui nidores, boni vel mali odores; gustui sapores; tactui calida vel frigida, dura vel mollia, aspera vel laevia. Horum autem sensuum de quibus supra diximus, quia multo melior sensus sit

c. Cels. VII, p. 716: *ὅτι ἡ τῇ ἑαυτῆς φύσει ἀσώματος καὶ ἀόρατος ψυχὴ, ἐν παντὶ σωματικῷ τόπῳ τυγχάνουσα, δέεται σώματος οἰκείου τῇ φύσει τῷ τόπῳ ἐκείνῳ.* Eadem Plato in Phaedone docuerat. — Repugnare tamen videntur, quae exstant in fragm. l. III, 2, et l. III, p. 152 e versione Hieronymi, nisi Deo ipsi corpus hoc loco attribui videatur. Egregie hunc nodum solvit Huetius II, 2, l. 7, qui Deum et animam corpore carere docet *ὁμωνύμως* quidem, sed non eodem modo: Deum quippe absolute, animam vero crassiorum duntaxat corporum ratione. Documento est illud: *quodammodo unius substantiae Deus et anima*, de Princ. IV, p. 194 in versione Hieronymi. Cf. Huetium l. II, 6, 13. 15, et Ruaeum ad Huet. II, 5. 5. Neoplatonicorum ibi de anima doctrina uberius exponitur.

Digitized by Google

mentis, omnibus clarum est. Quomodo ergo non videtur absurdum, his quidem quae inferiora sunt, substantias esse subiectas ad intendendum: huic autem virtuti quae melior est, id est mentis sensui, nihil omnino subiici substantiale, sed esse intellectualis naturae virtutem corporibus accidentem vel consequentem? Quod qui dicunt, sine dubio in contumeliam eius substantiae, quae in ipsis melior est, hoc proferunt: imo vero ex hoc etiam ad ipsum Deum refertur iniuria, cum putant eum per naturam corpoream posse intelligi, quo scilicet secundum ipsos corpus sit, et illud, quod per corpus potest intelligi vel sentiri; et nolunt hoc intelligi, quod propinquitas quaedam sit menti ad Deum, cuius et ipsa mens intellectualis imago sit, et per haec possit aliquid de divinitatis sentire natura, maxime si expurgatior et segregatior sit a materia corporali.

Verum istae assertiones minus fortassis auctori- VIII.

18) Verum istae assertiones] Quae abhinc sequuntur usque ad verba *eum intelligere atque cognoscere* repetit Rufinus in Invect. I, p. 368, et ab inimicis hunc locum, ut supra monuimus, adulteratum esse lamentatur. Res sic se habet. Fatetur Rufinus l. c. p. 370, declinavisse se hoc loco aliqua verba in graeco incautius fortasse posita. Quae qualia fuerint, intelligitur ex ep. Hieronymi ad Pamm. et Ocean. Tom. IV, p. 309. Substituit Hieronymus his quae p. 53 in textu sunt verbis *rationem quippe dabimus consequenter,* haec:

„Sicut enim incongruum est dicere, quod possit Filius videre Patrem, ita inconveniens est opinari, quod Spiritus sanctus possit videre Filium.“

Quae quum deessent in versione Rufini, inserebatur ab aliena manu, deletis verbis *rationem quippe dabimus consequenter:* „Quia sicut Filius Patrem non videt, ita nec Spiritus sanctus videt Filium“ (Invect. I. l. c. et p. 458). Nullum tamen huius adulterationis vestigium nec in libris editis nec in mss. hodie reperitur, et Hieronymus ne tunc quidem reperiri potuisse contendit, adv. Ruf. p. 439. Itaque nonnisi in singulo aliquo exemplo haec inserta fuisse videntur. Quaeritur iam utrum in graeco textu exstiterint, nec ne. Audiamus Rufinum p. 371: „Memini sane quod aliquis eorum, quum argueretur falsasse haec, respondit mihi: in graeco ita haberi. In quo omitto illud exsequi, quia nec quidem verum dicunt, sed tamen ponamus, quia sic est in graeco.“ Nihilominus Epiphanius in Ancorato c. 63 ex Origene haec exhibet: *ὡς οὐ δύναται ὁρᾷν τὸν πατέρα ὁ υἱὸς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα οὐ δύναται ἰδεῖν τὸν υἱόν. καὶ πάλιν· οἱ ἄγγελοι οὐ δύνανται ἰδεῖν τοὺς ἀγγέλους*, cf. haer. 64, 2. Accedit quod praeter Epiphanium haud pauci numero patres eandem carpant in

Digitized by Google

tatis habere videantur apud eos qui ex sanctis Scripturis de rebus divinis institui volunt, et etiam sibi inde approbari quaerunt, quomodo natura Dei supereminet corporum naturam. Vide ergo si non etiam Apostolus hoc idem ait, cum de Christo loquitur dicens: „Qui est imago invisibilis Dei, primogenitus omnis creaturae.“ Non enim, ut quidam putant, natura Dei alicui visibilis est, et aliis invisibilis: non enim dixit Apostolus, imago invisibilis Dei hominibus, aut invisibilis peccatoribus, sed valde constanter pronunciat de ipsa natura Dei dicens: „Imago invisibilis Dei.“ Sed et Ioannes in Evangelio dicens: „Deum nemo vidit unquam,“ manifeste declarat omnibus qui intelligere possunt, quia nulla natura est cui visibilis sit Deus: non quasi qui visibilis quidem sit per naturam, et velut fragilioris cre-
53 aturae evadat atque excedat aspectum, sed quoniam naturaliter videri impossibile est. Quod si requiras a me quid etiam de ipso Unigenito sentiam, si ne ipsi quidem visibilem dicam naturam Dei, quae naturaliter invisibilis est: ne tibi statim vel impium vi-

Origene sententiam, de quibus v. Huet. II, 2, 17. Quae quum ita sint, ne fallaciae simul et insipientiae arguamus Rufinum, nihil restat, nisi ut sententiam quidem Origenis esse, verba non esse, saltem ad hunc locum non pertinere iudicemus, praesertim quum Hieronymus veritatem textus accurate exhibuisse videatur. Ceterum ista, de qua tot verbis queritur Rufinus, adulteratio, tota in hac una vertitur sententia. Quod autem addit Rufinus, contra anthropomorphitas, praecipue Valentinianos quosdam, hoc loco disputare Origenem, atque unice quo minus corpus visibile tribuatur Deo haec proferre: verum id quidem est aliqua ex parte, ut documento est locus de Princ. II, p. 86; falso tamen *invisibilitatis aequalitatem in Trinitate* profiteri Origenem sibi persuaserat; v. de Princ. IV, p. 193. Conflaverat autem Rufinus, teste Hieronymo l. c. p. 401, interpretationem huius loci e Didymi scholiis ad libros περὶ ἀρχῶν.

ead. lin.) minus fortassis etc.] Quum nonnulla quae ad γνῶσιν pertineant in Scripturis quamvis occultius insint, nonnulla solius rationis et Spiritus sancti ope intelligantur: provocare solet ad sacrum codicem Origenes ubi fieri potuit, postquam e philosophia disputavit; quoties non suppeterent loci Scripturae, in ratiocinando consistit. Quanta autem librorum sacrorum cognitione gavisus fuerit, libri II c. IV. documento est.

6) Coloss. I, 15.

13) Ioh. I, 18.

21) ne tibi] *non tibi* Rufinus Invect. I, Mart. A (Tom. IV, p. 368, 372), at vero Mart. B (Tom. V, p. 269) ut in textu.

Digitized by Google

deatur esse vel absurdum; rationem quippe dabimus consequenter. Aliud est videre, aliud cognoscere: videri et videre corporum res est; cognosci et cognoscere intellectualis naturae est. Quidquid ergo proprium corporum est, hoc nec de Patre est, nec de Filio sentiendum: quod vero ad naturam pertinet deitatis, hoc inter Patrem et Filium constat. Denique etiam ipse in Evangelio non dixit, quia nemo vidit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater; sed ait: „Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius.“ Ex quo manifeste indicatur quod quidquid inter naturas corporeas videri et videre dicitur, hoc inter Patrem et Filium cognoscere dicitur et cognosci, per virtutem scientiae, non per visibilitatis fragilitatem. Quia igitur de incorporea natura et invisibili, nec videre proprie dicitur, nec videri: idcirco neque Pater a Filio, neque Filius a Patre videri in Evangelio dicitur, sed cognosci.

Quod si proponat nobis aliquis, quare dictum IX. est: „Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:“ multo magis etiam ex hoc, ut ego arbitror, assertio nostra firmabitur: nam quid aliud est corde Deum videre, nisi secundum id quod supra exposuimus mente eum intelligere atque cognoscere? Frequenter enim sensibilium membrorum nomina ad animam referuntur, ita ut oculis cordis videre dicatur, id est, virtute intelligentiae aliquid intellectuale coniicere. Sic et audire auribus dicitur, cum sensum intelligentiae profundioris advertit. Sic et uti eam posse dentibus dicimus, cum mandit et panem comedit vitae qui de coelo descendit. Similiter et ceteris uti membrorum officiis dicitur, quae ex corporali appellatione translata virtutibus animae coaptantur, sicut et Salomon dicit: „Sensum divinum invenies.“ Sciebat namque duo genera esse sensuum in nobis, unum genus sensuum mortale, corruptibile, humanum: aliud genus immortale, et intellectuale, quod nunc divinum nominavit. Hoc ergo sensu divino non oculorum, sed cordis mundi, quae est mens,

1) rationem quippe etc.] Huc pertinet versio huius loci Hieronymiana, quam supra exhibuimus: „Sicut enim incongruum est“ etc.

2) cognoscere] Rufinus l. c. noscere, et constanter quidem.

10) Matth. XI, 27.

20) Matth. V, 8.

24) Prov. II, 5.

Digitized by Google

Deus videri ab his qui digni sunt potest. Cor sane pro mente, id est, pro intellectuali virtute nominari in omnibus scripturis novis ac veteribus abundanter invenies. Hoc igitur modo quamvis longe inferius quam dignum est, utpote pro infirmitate humanae intelligentiae naturam Dei intelligentes, nunc quid sibi velit nomen Christi videamus.

**Cap. II. De Christo.** Primo illud nos oportet scire, quod aliud est in Christo deitatis eius natura, quod est unigenitus Filius Patris; et alia humana natura quam in novissimis temporibus pro dispensatione suscepit. Propter quod videndum primo est quid sit unigenitus Filius Dei, qui multis quidem et diversis nominibus pro rebus, vel opinionibus appellantium nuncupatur. Sapientia namque dicitur, sicut et Salomon dixit: „Dominus creavit me initium viarum suarum, et in opera sua, antequam aliquid faceret, ante saecula fundavit me. In initio priusquam terram faceret, priusquam produceret fontes aquarum, antequam firmarentur montes, ante omnes autem colles generat me.“ Dicitur autem et primogenitus, sicut dixit Apostolus: „Qui est primogenitus omnis creaturae.“ Nec tamen alius est primogenitus per naturam quam sapientia, sed unus atque idem est. Denique et apostolus Paulus dicit: „Christus Dei virtus et Dei sapientia.“

**II.** Nemo tamen putet aliquid nos insubstantivum dicere, cum eum Dei sapientiam nominamus; id est, ut exempli causa finxerim, quod eum non velut animal quoddam sapiens, sed rem aliquam quae sapientes efficiat, intelligamus, praebentem se et mentibus inserentem eorum qui capaces virtutum eius atque intelligentiae fiunt. Si ergo semel recte receptum est, unigenitum Filium Dei sapientiam eius esse substantialiter subsistentem, nescio si iam ultra evagari sensus noster debeat ad suspicandum, ne forte ipsa

11) pro dispensatione] i. e. *κατ' οἰκονομίαν*. De toto hoc capite v. Huetium II, 2, Guerike II, p. 197.

13) diversis nominibus] cf. Tom. I. in Ioh. p. 11 ss.

15) Prov. VIII, 28 ss.

22) Coloss. I, 15.

25) 1 Cor. I, 24.

32) Si ergo semel — est sapientiam] v. Apol. Pamph. p. 25.

Digitized by Google

ὑπόστασις, id est, substantia eius, corporeum aliquid habeat, cum omne quod corporeum est, vel habitu, vel colore, vel magnitudine designetur. Et quis unquam sani sensus habitum, vel colorem, vel mensurae magnitudinem in sapientia requisivit, per hoc
quod sapientia est? Quomodo autem extra huius 54
sapientiae generationem fuisse aliquando Deum patrem, vel ad punctum momenti alicuius, quis potest sentire vel credere, qui tamen pium aliquid de Deo intelligere noverit, vel sentire? Aut enim non potuisse Deum dicet generare sapientiam, antequam generaret, ut eam quae ante non erat, postea genuerit ut esset; aut potuisse quidem, et, quod dici de Deo nefas est, noluisse generare: quod utrumque et

1) *ὑπόστασις*] In mss. ante vocem *ὑπόστασις* comparet alia vox graeca sic delineata *IPIYA*, quae quid sibi velit ne coniectura quidem assequi possum, nisi forte legatur: *ἰδία*. Ruaeus.

1) substantia eius] *subsistentia eius* Apol. Pamph. — Documento est hic locus idem valuisse Origeni *ὑπόστασιν* et *οὐσίαν*, pro more veterum et philosophorum et ecclesiae doctorum. „Tota enim saecularium literarum schola nihil aliud *hypostasin*, nisi *usiam* novit.“ Hieron. ep. ad Damasum, Tom. IV, 2, p. 19. Internoscit quidem Origenes inter *hypostasin* et *usiam* Tom. I. in Ioh. p. 26: ita tamen ut non *personam*, quae ei est *ἰδιότης*, sed veram existentiam priori voce significet. Lites de ea post concilium Nicaenum motas v. ap. Gieselerum K. G. I, p. 386.

8) vel ad punctum momenti] Internoscit, praeeunte Philone (fragm. l. I, 2), inter illud, quod erat *πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι* (Ioh. XVII, 5), aevum, temporis quidem intervallis, sed ordine ac successione minime destitutum, et inter eum, qui nunc est, temporis proprio sensu dicti decursum. Filius enim ante omne tempus, in aevo illo, quod est *ὁ συμπαρεκτείνων τῇ ἀγεννήτῳ καὶ ἀϊδίῳ αὐτοῦ (τοῦ θεοῦ) βίῳ, ἵν' οὕτως εἴπω, χρόνος*, et qui Deo est *ἡμέρα σήμερον* (Ps. II, 7), genitus est, Tom. II. in Ioh. p. 60. Nihilominus *πρεσβύτερος παρ' αὐτὸ (τὸ πνεῦμα) ὁ λόγος τυγχάνει*. Spiritus sanctus est *τάξει πρῶτον* (ut emendavit Gieselerus I, p. 263) *τῶν ὑπὸ τοῦ πατρὸς διὰ Χριστοῦ γεγενημένων*, ibid. Itaque mox in textu Filium sine ullo initio esse dicit, et eandem hanc ubique servat sententiam, cf. de Princ. IV, p. 190, Comment. in Gen. p. 1, Athanasium de decretis Nic. Syn. c. 27. Sequitur aliud esse apud Origenem *τὸ συναΐδιον τῷ θεῷ* si ad mundum, aliud si ad Filium refertur, quod Methodium fugerat ap. Photium cod. 235. Cf. notam ad de Princ. lib. II, p. 79, et Prudentium Maranum de Divinit. Christi l. IV, 14, 5; Bulli defensionem fidei Nic. III, 6 (Opp. Orig. IV. Append.); denique Huet. II, 12, 5; 2, 24.

Digitized by Google

absurdum esse et impium omnibus patet; id est, ut aut ex eo quod non potuit Deus proficeret ut posset, aut cum posset, dissimularet ac differret generare sapientiam. Propter quod nos semper Deum patrem novimus unigeniti Filii sui, ex ipso quidem nati, et quod est ab ipso trahentis, sine ullo tamen initio, non solum eo quod aliquibus temporum spatiis distingui potest, sed ne illo quidem quod sola apud semetipsam mens intueri solet, et nudo, ut ita dixerim, intellectu atque animo conspicari. Extra omne ergo quod vel dici vel intelligi potest initium generatam esse credendum est sapientiam. In hac ipsa ergo sapientiae subsistentia quia omnis virtus ac deformatio futurae inerat creaturae, vel eorum quae principaliter exsistunt, vel eorum quae accidunt consequenter, virtute praescientiae praeformata atque disposita: pro his ipsis, quae in ipsa sapientia velut descriptae ac praefiguratae fuerant creaturis, seipsam per Salomonem dicit creatam esse sapientia initium viarum Dei, continens scilicet in semetipsa universae creaturae vel initia, vel formas, vel species.

III. Quali autem modo intelleximus sapientiam initium viarum Dei esse, et quomodo creata esse dicitur, species scilicet in se et initia totius praeformans et continens creaturae: hoc etiam modo verbum Dei eam esse intelligendum est, per hoc quod ipsa ceteris omnibus, id est universae creaturae mysteriorum et arcanorum rationem, quae utique intra Dei sapientiam continentur, aperiat: et per hoc verbum dicitur, quia sit tanquam arcanorum mentis interpres. Unde et recte mihi dictus videtur sermo ille qui in Actibus Pauli scriptus est quia „hic est verbum ani-

4) Propter quod seqq.] V. Librum ad Ianuar. p. 53.

6) quod est] i. e. τὸ εἶναι.

13) virtus ac deformatio] Platonis ideas hic agnoscas, et Philonis de Logo sententias; quamvis enim idearum doctrinam a se alienam esse profiteatur l. I, p. 59 med., l. II, p. 83, nihilominus omnia eius de typis, de vaticiniis, de variis mundis, de sensu Scripturae allegorico, placita unice a Platonica de ideis sententia pendent.

15) quae principaliter exsistunt] i. e. οἱ λογικοὶ, mentes, ratione praeditae.

18) descriptae ac praefiguratae] cod. R., recte; *descripta ac praefigurata* alii codd. et Ian.

31) Unde — vivens] om. Ian.

32) Acta Pauli] v. Fabricii cod. apocr. N. T. II, p. 743; Thilo acta Thomae, p. LII.

Digitized by Google

mal vivens." Ioannes vero excelsius et praeclarius in initio Evangelii sui dicit, propria definitione Deum esse definiens verbum, dicens: „Et Deus erat verbum, et hoc erat in initio apud Deum." Qui autem initium dat verbo Dei, vel sapientiae Dei, intuere, ne magis in ipsum ingenitum patrem impietatem suam iactet, cum eum neget semper patrem fuisse, et genuisse verbum, et habuisse sapientiam in omnibus anterioribus, vel temporibus, vel saeculis, vel si quid illud est quod nominari potest.

Hic ergo Filius etiam omnium quae sunt veritas est et vita; et recte. Nam quomodo viverent quae facta sunt, nisi ex vita? vel quomodo veritate constarent ea quae sunt, nisi ex veritate descenderent? vel quomodo rationabiles possent esse substantiae, nisi verbum vel ratio praecederet? vel quomodo saperent, nisi esset sapientia? Verum quoniam futurum erat ut etiam deciderent aliqui a vita, et mortem sibi ipsi consciscerent ex eo ipso quod a vita deciderent; non enim aliud est mors quam a vita discedere: et utique non esset consequens, ut ea, quae semel ad vivendum fuerant procreata a Deo, penitus deperirent, oportuit ante mortem esse talem virtutem, quae futuram dissolveret mortem, et esset resurrectio, quae in Domino et Salvatore nostro formata est, quae resurrectio in ipsa Dei sapientia, et verbo, ac vita consisteret. Tum deinde quoniam futurum erat ut aliqui ex his qui creati sunt, pro eo quod non naturaliter, id est substantialiter inesset eis bonum, sed accidens, non volentes inconvertibi-

(IV. in the margin beside "Hic ergo Filius etiam omnium quae sunt veri-")

1) Animal vivens] cf. Hebr. IV, 12: ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ ϑεοῦ. Hic enim locus auctori Actorum Pauli in mente fuit, quippe qui, ut plures antiquiores patres, ad Filium Dei eum pertinere arbitraretur. Fallitur Grabius in Spicil. Patr. sec. I, p. 128, qui suspicatur vel Origenem vitioso Actorum Pauli, vel Rufinum malo Origenis exemplari usum, atque in graeco scriptum fuisse ζῶν, non autem ζῶον ζῶν. Paulo ante enim monuit Origenes, sapientiam Dei esse velut *animal* quoddam sapiens, et angeli definiebantur in ecclesia veteri: ζῶα λογικά: quin imo fragm. l. I, 7 Filius Dei, unus ex Seraphim ζῶον appellatur, neque desunt loci, in quibus Deus ipse vocetur ζῶον. Cf. Semler Einleitung zu Baumg. Polem. II, p. 167.

3) Ioh. I, 1.

4) Qui autem — nominari potest] Apol. Pamph. p. 25.

15) rationabiles] *rationales* Ian.

17) saperent] cod. Colb., alii *sapiens*.

Digitized by Google

les et incommutabiles semper permanere, ac semper in eisdem bonis aequa ac moderata libratione durare, sed conversi atque mutati de statu suo deciderent: via factus est verbum Dei et sapientia. Quae via idcirco dicitur, quod ad patrem ducat eos qui per eam incedunt.

Quaecunque ergo diximus de sapientia Dei, haec convenienter aptabuntur et intelligentur etiam pro eo quod Filius Dei vita est, et pro eo quod verbum est, et pro eo quod veritas est, et pro eo quod resurrectio est: quia hae omnes appellationes ex operibus eius ac virtutibus nominatae sunt, et in nulla harum vel levi opinione intelligi corporale aliquid potest, quod vel magnitudinem designare videatur,
55 vel habitum, vel colorem; quoniam hi qui videntur apud nos hominum filii, vel ceterorum animalium, semini eorum a quibus seminati sunt respondent, vel earum quarum in utero formantur ac nutriuntur, habent ex his quidquid illud est quod in lucem hanc assumunt, ac deferunt processuri. Infandum autem est et illicitum, Deum Patrem in generatione unigeniti Filii sui atque in subsistentia eius exaequare alicui vel hominum vel aliorum animantium generanti; sed necesse est aliquid exceptum esse Deoque dignum cui nulla prorsus comparatio non in rebus solum, sed ne in cogitatione quidem vel sensu inveniri potest, ut humana cogitatio possit apprehendere quomodo ingenitus Deus pater efficitur unigeniti filii. Est namque ita aeterna ac sempiterna generatio sicut splendor generatur ex luce. Non enim per adoptionem Spiritus filius fit extrinsecus, sed natura filius est.

15) quoniam] *verum quoniam* Ian.

19) habent] Sic, inconcinne.

20) Infandum — natura filius est] Apol. Pamph. p. 26.

20) autem] om. Ian.

29) sicut splendor ex luce] non sicut radius, nam totius gloriae Dei splendor est, Tom. XXXII in Ioh. p. 450. Cf. hom. IX in Ierem. p. 181: *οὐχὶ ἐγέννησεν ὁ πατὴρ τὸν υἱὸν καὶ ἀπέλυσεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς γενέσεως αὐτοῦ, ἀλλ' ἀεὶ γεννᾷ αὐτὸν, ὅσον ἐστὶ τὸ φῶς ποιητικὸν τοῦ ἀπαυγάσματος.* Eadem utitur similitudine Augustinus de Trinit. l. VI, p. 843, et Symbolum Nic. p. 75 in biblioth. Walchii, *φῶς ἐκ φωτός.* Tertullianus contra *radium, qui portio est ex summa* in comparando adhibere maluit.

30) adoptionem] coniunge cum *Spiritus*, contra Paulum enim Samosatenum haec dicuntur. Cf. fragm. e l. I in Ies. ap. Pamph. Apol. p. 56: „Filius Dei proprius et unige-

Digitized by Google

V. Videamus tamen quomodo haec quae dicimus etiam divinae Scripturae auctoritate muniantur. Ait apostolus Paulus unigenitum Filium imaginem esse Dei invisibilis, et primogenitum eum esse totius creaturae: ad Hebraeos vero scribens dicit de eo quia „sit splendor gloriae, et figura expressa substantiae eius.“ Invenimus nihilominus etiam in Sapientia quae dicitur Salomonis descriptionem quamdam de Dei sapientia hoc modo scriptam: „Vapor est enim,“ inquit, „virtutis Dei, et ἀπόῤῥοια gloriae Omnipotentis purissima.“ Ideo ergo in eam nihil commaculatum incidere potest. Splendor enim est lucis aeternae, et speculum immaculatum operationis Dei, et imago bonitatis eius. Sapientiam vero dicimus, sicut superius diximus, subsistentiam habentem non alibi, nisi in eo qui est initium omnium: ex quo et nata est quaeque sapientia, quia ipse est qui est solus natura filius; idcirco et unigenitus dicitur.

VI. Videamus sane quid intelligi debeat etiam de hoc quod imago invisibilis dicitur, ut et per hoc advertamus quomodo Deus recte pater dicitur filii sui; et consideremus primo ex his quae consuetudine hominum imagines appellari solent. Imago interdum dicitur ea quae in materia aliqua, id est ligni vel lapidis, depingi vel exsculpsi solet. Interdum imago dicitur eius qui genuit is qui natus est, cum in nullo similitudinem lineamenta eius qui genuit in eo qui natus est, mentiuntur. Puto ergo posse priori quidem exemplo aptari eum qui ad imaginem et similitudinem Dei factus est, hominem, de quo diligentius, favente Deo, cum locum ipsum in Genesi ex-

nitus omnes eos qui percipiunt ab eo spiritum *adoptionis*, filios Dei facit.“

3) Coloss. I, 15.

5) Hebr. I, 3.

9) Sap. VII, 25.

10) ἀπόῤῥοια] latine *manatio* (s. *emanatio*), Comment. ad Rom. p. 612; cf. de Princ. IV, p. 190.

31) Itaque haec antequam ad interpretandum caput V Geneseos, i. e. ad tomum commentariorum IX, pervenisset, scripsit Origenes. V. Tillemont memoires pour servir à l'histoire eccl. III, p. 374. Tomi in Genesin quum perpaucis laciniis exceptis ad nos non pervenerint, homilia I in Gen. conferenda est, qua docetur hominem ad imaginem Filii Dei, qui ipse est Dei imago, factum esse, sed non ad humanam Salvatoris naturam, sed ad divinam; neque ad corpoream hominis partem, sed ad animam pertinere hanc similitudinem. Cf. Comment. in Cantic. III, p. 81: fortasse sicut Deus ho-

ponere coepimus, videbimus. Secundae vero comparationi imago Filii Dei, de quo nunc sermo est, comparari potest, etiam secundum hoc quod invisibilis Dei imago invisibilis est, sicut secundum historiam dicimus imaginem Adae esse filium eius Seth. Ita etiam scriptum est: „Et genuit Adam Seth, secundum imaginem suam, et secundum speciem suam.“ Quae imago etiam naturae ac substantiae Patris et Filii continet unitatem. Si enim omnia quae facit Pater, haec et Filius facit similiter, in eo quod omnia ita facit Filius sicut Pater, imago Patris in Filio deformatur, qui utique natus ex eo est velut quaedam voluntas eius ex mente procedens. Et ideo ego arbitror quod sufficere debeat voluntas Patris ad subsistendum hoc quod vult Pater. Volens enim non alia via utitur, nisi quae consilio voluntatis profertur. Ita ergo et Filii subsistentia generatur ab eo. Quod necesse est in primis suscipi ab his qui nihil ingenitum, id est innatum, praeter solum Deum patrem fatentur. Observandum namque est, ne quis incurrat in illas absurdas fabulas eorum, qui prolationes quasdam sibi ipsis depingunt, ut divinam naturam in partes vocent, et Deum patrem quantum in se est dividant, cum hoc de incorporea natura vel leviter suspicari, non solum extremae impietatis sit, verum etiam ultimae insipientiae, nec omnino ad intelligentiam consequens ut incorporeae naturae substantialis divisio possit intelligi. Magis ergo sicut voluntas procedit e mente, et neque partem aliquam mentis secat, neque ab ea

minem ad imaginem suam fecit, ita etiam ceteras creaturas ad coelestes imagines condidit.

6) Gen. V, 3.

8) naturae ac substantiae] Rufini haec sunt, locos de Trinitate constanter emendantis. Origenes enim *οὐσίας*, *ὑποστάσεως*, *φύσεως*, in Trinitate diversitatem haud obscure docet, propterea quod solus Pater sit *ἀγένητος*, neque eius *οὐσία* imminuta esse possit Filio progenito. Cf. Tom. II in Ioh. p. 50, Semler l. c. p. 50. Sin genuina sunt verba in textu, *unitas*, ut alibi, est *ἕνωσις*, non *ἑνάς*.

10) Ioh. V, 19. Refertur autem hic locus non ad humanam, sed ad divinam Salvatoris naturam.

13) velut quaedam etc.] Clementem sequitur, qui Filium appellaverat *ἀγαθοῦ πατρὸς ἀγαθὸν βούλημα*. Cf. fragm. l. IV, 5, p. 80.

14) ego arbitror — huius lumen] Apol. Pamph. p. 34.

19) ingenitum id est seq.] v. notam ad p. 91 n. 18.

separatur aut dividitur: tali quadam specie putandus est Pater Filium genuisse imaginem scilicet suam, ut sicut ipse invisibilis est per naturam, ita imaginem quoque invisibilem genuerit. Verbum enim est Filius, et ideo nihil in eo sensibile intelligendum est. 56
Sapientia est, et in sapientia nihil corporeum suspicandum est. Lumen est verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sed nihil habet commune ad solis huius lumen. Imago ergo est invisibilis Dei patris Salvator noster, quantum ad ipsum quidem Patrem veritas: quantum autem ad nos quibus revelat Patrem, imago est per quam cognoscimus Patrem, quem nemo alius novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Revelat autem per hoc, quod ipse intelligitur. A quo ipse enim fuerit intellectus, consequenter intelligitur et Pater, secundum hoc quod ipse dixit: „Qui me vidit, vidit et Patrem."

Sed quoniam sermonem Pauli inseruimus de Christo dicentis, in eo quod ait quia „splendor est gloriae Dei, et figura expressa substantiae eius:" quid ex hoc sentiendum sit videamus. „Deus lux est," secundum Ioannem. Splendor ergo huius lucis est unigenitus Filius, ex ipso inseparabiliter velut splendor ex luce procedens, et illuminans universam creaturam. Secundum haec namque quae superius exposuimus, quomodo via sit, et ducat ad Patrem, et quomodo verbum sit arcana sapientiae ac scientiae mysteria interpretans ac proferens rationabili creaturae, quomodo etiam veritas et vita est et resurrectio; consequenter intelligere debemus etiam splendoris opus: per splendorem namque quid sit lux ipsa intelligitur et sentitur. Qui splendor fragilibus se et infirmis mortalium oculis placidius ac lenius offerens, et paulatim velut edocens et assuefaciens claritatem luminis pati, cum ab eis dimoverit omne quod visum obducit et impedit, secundum quod Dominus VII.

7) Ioh. I, 9.

9) Imago ergo] Cf. fragm. l. I, 4 et 5. p. 4 sq. et ep. Hieron. ad Avit. p. 761: „Filium quantum ad Patrem non esse veritatem, quantum ad nos imaginariam veritatem." Vide, quae mox seq. ad p. 59.

17) Ioh. XIV, 9.

20) Hebr. I, 3.

22) ex hoc] *de hoc* Ian.

22) 1 Ioh. I, 5.

26) haec namque] *hoc namque* Ian.

26) quae] om. Ian.

dixit, „Eiice trabem de oculo tuo:"[1] capaces eos efficit ad suscipiendam gloriam lucis, etiam in hoc velut quidam mediator hominum ac lucis effectus.

VIII. Verum quoniam non solum splendor gloriae esse dicitur ab apostolo, sed et figura expressa substantiae vel subsistentiae eius, non mihi videtur otiosi esse intellectus, advertere quomodo alia praeter ipsam Dei substantiam, quaecumque illa substantia et subsistentia dicitur, figura substantiae eius esse dicatur. Et vide ne forte quoniam Filius Dei qui verbum eius et sapientia dicitur, et solus novit Patrem, et revelat quibus vult, id est, qui capaces verbi ipsius et sapientiae fuerint, secundum hoc ipsum quod intelligi atque agnosci facit Deum, figuram substantiae atque subsistentiae eius dicatur exprimere: id est, cum semetipsum primum describit sapientia ea quae revelare vult ceteris, ex quibus ab illis agnoscitur et intelligitur Deus, et hoc dicatur figura expressa substantiae Dei. Ut autem plenius adhuc intelligatur quomodo Salvator figura est substantiae vel subsistentiae Dei, utamur etiam exemplo, quod quamvis rem non plene nec proprie significet de qua agimus, tamen ad hoc solum videatur assumtum, quod exinaniens se Filius qui erat in forma Dei, per ipsam sui exinanitionem studet nobis deitatis plenitudinem demonstrare. Verbi causa, si facta esset aliqua statua talis quae magnitudine sui universum orbem terrae teneret, et pro sui immensitate considerari a nullo posset; fieret autem alia statua membrorum habitu ac vultus lineamentis, specie ac materia per omnia similis absque magnitudinis immensitate, pro eo ut qui illam immensam considerare atque intueri non possent, hanc videntes, illam se vidisse confiterentur, pro eo quod omnia membrorum et vultus lineamenta, vel ipsam speciem materiamque similitudine prorsus indiscreta servaret: tali quadam similitudine exinaniens se Filius Dei de aequalitate

1) Luc. VI, 42.

23) quod exinaniens etc.] Rufini haec sunt, qui ad humanam Salvatoris naturam refert, quae de divina dicta erant. Sic enim ea quae sequuntur iam orthodoxa videbantur. Sed non disseritur in toto hoc capite de incarnatione Filii Dei. Cf. Hieron. in ep. ad Avit. p. 761. Fucum tamen Rufinus fecit non Prudentio solum Marano de Divinit. Christi IV, 16, 1, sed Semlero etiam l. c. p. 168.

Digitized by Google

Patris, et viam nobis cognitionis eius ostendens, figura expressa substantiae eius efficitur; ut qui in magnitudine deitatis suae positam gloriam mirae lucis non poteramus aspicere, per hoc quod nobis splendor efficitur, intuendae lucis divinae viam per splendoris capiamus aspectum. Comparatio sane de statuis quasi in rebus materialibus posita, ad nihil aliud recipitur, quam ad hoc quod Filius Dei brevissimae insertus humani corporis formae ex operum virtutisque similitudine Patris in se immensam ac invisibilem magnitudinem designabat, per hoc quod dicebat ad discipulos suos quia „qui me videt, videt et Patrem;“ et „ego et Pater unum sumus.“ Quibus etiam illud simile intelligendum est quod ait quia „Pater in me est, et ego in Patre.“

IX. Videamus nunc etiam illud qualiter sentiendum est, quod in Sapientia Salomonis scriptum legimus, qui ita ait de sapiëntia quia „vapor est quidam virtutis Dei, et aporrhoea Omnipotentis gloriae purissima, et splendor lucis aeternae, et speculum immaculatum inoperationis sive virtutis Dei, et imago bonitatis eius.“ Quae ergo hic de Deo definit: ex singulis quibusque certa quaedam inesse sapientiae Dei 57 designat; virtutem namque Dei nominat, et gloriam et lucem aeternam, et inoperationem et bonitatem. Ait autem sapientiam vaporem esse non gloriae Omnipotentis, neque aeternae lucis, nec inoperationis Patris, nec bonitatis eius; neque enim conveniens erat alicui horum adscribi vaporem: sed cum omni proprietate ait virtutis Dei vaporem esse sapientiam. Intelligenda est ergo virtus Dei, qua viget, qua omnia visibilia et invisibilia vel instituit, vel continet, vel gubernat, quae ad omnia sufficiens est quorum providentiam gerit, quibus velut uni, ita omnibus adest. Huius ergo totius virtutis tantae et tam immensae vapor, et, ut ita dicam, vigor ipse in pro-

8) brevissimae insertus] Apte comparantur, quae Thaddaeus pollicetur Abgaro se praedicaturum: πῶς ἐσμίκρυνεν (ὁ Χριστὸς) αὑτοῦ τὴν θεότητα, Euseb. h. e. I. c. 12.

12) Ioh. XIV, 9.

13) Ioh. X, 30.

15) Ioh. X, 38. Hunc locum ita explicat hom. X in Ierem. p. 186: ἴδε αὐτοῦ τὸν οἶκον ὑπερουράνιον, — ἴδε αὐτοῦ οἶκον ὄντα τὸν θεόν.

18) Sap. VII, 25. 26.

22) Quae ergo hic] quinque ergo haec Ian.

22) definit] definiens Ian.

pria subsistentia effectus, quamvis ex ipsa virtute velut voluntas ex mente procedat, tamen et ipsa voluntas Dei nihilominus Dei virtus efficitur. Efficitur igitur virtus altera in sua proprietate subsistens, ut ait sermo Scripturae, vapor quidam primae et ingenitae virtutis Dei, hoc quidem quod est, inde trahens: non est autem quando non fuerit. Si enim quis voluerit dicere quasi prius non extiterit, sed postea ad subsistentiam venerit, dicat causam quare qui eam subsistere fecit Pater, ante hoc non fecerit. Quod si aliquod semel initium dederit, quo initio vapor iste ex Dei virtute processerit, iterum interrogabimus quare non et ante illud quod dixit initium: et ita semper de anterioribus inquirentes, et verbo interrogationis ascendentes, perveniemus in illum intellectum, ut quoniam semper poterat Deus et volebat, numquam vel decuerit, vel causa aliqua existere potuerit, ut non hoc, quod bonum volebat, semper habuerit. Ex quo ostenditur semper fuisse vaporem istum virtutis Dei, nullum habentem initium nisi ipsum Deum. Neque decebat aliud esse initium, nisi ipsum unde et est et nascitur, Deum. Secundum apostolum vero dicentem, quia Christus Dei virtus est: iam non solum vapor virtutis Dei, sed virtus ex virtute dicenda est.

X. Videamus etiam de eo quod dictum est, quoniam „aporrhoea est purissima gloriae Omnipotentis:“ et prius quidem consideremus quid est gloria omnipotentis Dei, deinde etiam quid sit eius aporrhoea sentiemus. Quemadmodum pater non potest esse quis si filius non sit, neque dominus quis esse potest sine possessione, sine servo: ita ne omnipotens quidem Deus dici potest, si non sint in quos exerceat potentatum: et ideo ut omnipotens ostendatur Deus, omnia subsistere necesse est. Nam si quis est qui velit vel saecula aliqua vel spatia transisse, vel quodcunque aliud nominare vult, cum nondum facta essent quae facta sunt; sine dubio hoc ostendet quod in illis saeculis vel spatiis omnipotens non erat Deus, et postmodum omnipotens factus est, ex

3) Efficitur — dicenda est] Apol. Pamph. p. 25.

25) 1 Cor. I, 24.

30) Quemadmodum] Fragmentum huic loco consimillimum refertur a Methodio ap. Photium cod. 235, et a Ruaeo in annotatione ad h. l. exhibetur.

quod habere coepit in quos ageret potentatum: et per hoc videbitur profectum quemdam accepisse, et ex inferioribus ad meliora venisse; siquidem melius esse non dubitatur, esse eum omnipotentem quam non esse. Et quomodo non videbitur absurdum, ut cum non haberet aliquid ex his Deus quae eum habere 58 dignum erat, postmodum per profectum quemdam in hoc venerit ut haberet? Quod si numquam est quando non omnipotens fuerit, necessario subsistere oportet etiam ea per quae omnipotens dicitur, et semper habuerit in quibus exercuerit potentatum, et quae fuerint ab ipso vel rege vel principe moderata: de quibus plenius in locis propriis, in quibus de creaturis eius disputandum fuerit, disseremus. Sed et nunc strictim licet, tamen admonere necessarium puto, quoniam quidem quaestio nobis de sapientia agitatur, quemadmodum aporrhoea sit sapientia gloriae Omnipotentis purissima, ne videatur alicui anterior esse in Deo omnipotentis appellatio nativitate sapientiae per quam Pater vocatur, quoniam dicta est aporrhoea Omnipotentis gloriae purissima esse sapientia, quae est Filius Dei. Audiat qui haec ita vult suspicari, quod manifestissime Scriptura pronunciat dicens, quia „omnia in sapientia fecisti:“ et per Evangelium docetur, quia „omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil:“ et intelligat ex hoc, quia non potest antiquior esse in Deo omnipotentis appellatio quam patris: per Filium enim omnipotens est Pater. Sed quoniam gloriam dixit esse Omnipotentis, cuius gloriae aporrhoea est sapientia, hoc intelligi datur, quod etiam in omnipotentiae gloria societatem habeat sapientia, per quam Deus omnipotens dicitur. Per sapientiam enim quae est Christus, tenet Deus omnium potentatum, non solum dominantis auctoritate, verum etiam subiectorum spontaneo famulatu. Ut autem unam et eamdem omnipotentiam Patris ac Filii esse cognoscas,

5) Et quomodo — moderata] V. fragm. l. I, 2, et de Princ. l. III, p. 149. Fragmentum l. I, 3, ad quem textus latini locum pertineat, non apparet.

13) in locis propriis] i. e. in commentariis in Genesin, ut supra annotavimus.

24) Psal. CIII, 24.

25) Ioh. I, 3.

36) unam et eandem] Intelligenda aut corrigenda sunt haec ex iis, quae sequuntur p. 62.

sicut unus atque idem est cum Patre Deus et Dominus; audi hoc modo Ioannem in Apocalypsi dicentem: „Haec dicit Dominus Deus qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens." Qui enim venturus est, quis est alius nisi Christus? Et sicut nemo debet offendi cum Deus sit Pater, quod etiam Salvator est Deus: ita et cum omnipotens dicitur Pater, etiam nullus debet offendi, quod etiam Filius Dei omnipotens dicitur. Hoc modo namque verum erit illud quod ipse dicit ad Patrem, quia „omnia mea tua sunt et tua mea, et glorificatus sum in eis." Si vero omnia quae Patris sunt, Christi sunt, inter omnia vero quae sunt, Pater est etiam omnipotens, sine dubio etiam unigenitus Filius debet esse omnipotens, ut omnia quae habet Pater etiam Filius habeat. Et glorificatus sum, inquit, in eis. In nomine enim Iesu omne genu flectetur coelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris. Igitur aporrhoea gloriae Dei secundum hoc quod omnipotens est, pura ac limpida ipsa sapientia est, glorificata tanquam aporrhoea omnipotentiae, vel gloriae. Ut autem manifestius intelligatur quae sit gloria omnipotentiae, etiam hoc addimus. Deus pater omnipotens est, eo quod potentatum omnium tenet, id est coeli et terrae, solis et lunae et stellarum, omniumque quae in ipsis sunt. Horum autem potentatum gerit per verbum suum, quoniam in nomine Iesu omne genu flectetur et coelestium, et terrestrium, et infernorum. Et si omne genu flectitur Iesu, sine dubio Iesus est cui subiecta sunt omnia, et ipse est qui potentatum agit in omnibus, et per quem subiecta sunt Patri omnia: per sapientiam namque, id est verbo et ratione, non vi ac necessitate, cuncta subiecta sunt. Et ideo in eo ipso quo obtinet omnia, gloria sua est: et haec est omnipotentiae purissima et limpidissima gloria, cum ratione et sapientia, non vi ac necessitate, cuncta subiecta sunt. Purissima vero ac limpidissima gloria sapientiae, satis convenienter dictum est ad distinctionem eius gloriae, quae non pure nec sincere gloria dicitur. Omnis vero

3) Apoc. I, 8.

10) Ioh. XVII, 10.

16) Philip. II, 10. 11.

24) Deus pater etc. ] cf. fragm. l. 1, 2; l. IV, 4.

natura, quae convertibilis est et commutabilis, etiamsi glorificatur in operibus iustitiae vel sapientiae, per hoc ipsum tamen quod accidentem habet iustitiam vel sapientiam, et quod hoc quod accidit, etiam decidere potest: gloria eius sincera ac limpidissima esse non potest. Sapientia vero Dei, quae est unigenitus Filius eius, quoniam in omnibus inconvertibilis est et incommutabilis, et substantiale in eo omne bonum est quod utique mutari atque converti numquam potest, idcirco pura eius ac sincera gloria praedicatur.

Tertio dicitur sapientia esse splendor lucis aeternae: cuius rei virtutem iam in praecedentibus exposuimus, cum solis similitudinem, et radiorum eius splendorem introduximus, et pro viribus nostris ostendimus quomodo hoc deberet intelligi. Addemus tamen etiam hoc unum. Sempiternum vel aeternum proprie dicitur quod neque initium ut esset habuit, neque cessare unquam potest esse quod est. Hoc autem designatur apud Ioannem cum dicit quoniam „Deus lux est.“ Splendor autem lucis eius sapientia sua est, non solum secundum quod lux est, sed et secundum quod sempiterna lux est, ita ut aeternus, et aeternitatis splendor sit sapientia sua. Quod si integre intelligatur, manifeste declarat, quia subsistentia Filii ab ipso Patre descendit, sed non temporaliter, neque ab ullo alio initio, nisi, ut diximus, ab ipso Deo. XI. 59

Sed et speculum immaculatum ἐνεργείας, id est, inoperationis Dei esse sapientia nominatur. Ergo inoperatio virtutis Dei quae sit, prius intelligenda est: quae est vigor quidam, ut ita dixerim, per quem inoperatur Pater, vel cum creat, vel cum providet, vel cum iudicat, vel cum singula quaeque in tempore suo disponit atque dispensat. Sicut ergo in speculo omnibus motibus quibus is qui speculum intuetur movetur vel agit, iisdem ipsis etiam ea imago quae per speculum deformatur, actibus et motibus commovetur vel agit, in nullo prorsus declinans: ita etiam sapientia de se vult intelligi, cum speculum immaculatum paternae virtutis inoperationisque nominatur; sicut et Dominus Iesus Christus qui est sapientia Dei, de se ipso pronunciat, dicens, quia XII.

17) Sempiternum — ipso Deo] Apol. Pamph. p. 25.

„opera quae facit pater, haec etiam filius facit similiter." Et iterum dicit, quoniam „non potest filius a se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem." Quoniam ergo in nullo prorsus Filius a Patre virtute operum immutatur ac differt, nec aliud est opus Filii quam Patris, sed unus atque idem, ut ita dicam, etiam motus in omnibus est: idcirco speculum eum immaculatum nominavit, ut per hoc nulla omnino dissimilitudo Filii intelligatur ad Patrem. Ea sane quae secundum similitudinem vel imitationem discipuli ad magistrum a quibusdam dicta sunt, et quod in materia corporali ea a Filio fiant, quae a Patre in substantiis spiritalibus prius fuerint deformata, convenire quomodo possunt, cum in Evangelio Filius dicatur non similia facere, sed eadem similiter facere?

XIII. Superest quid sit imago bonitatis eius inquirere: in quo eadem, ut opinor, intelligi convenit quae superius de imagine ea quae per speculum deformatur, expressimus. Principalis namque bonitas, sine dubio, ex qua Filius natus: qui per omnia imago est Patris, procul dubio etiam bonitatis eius convenienter imago dicetur. Non enim alia aliqua secunda bonitas existit in Filio praeter eam quae est in Patre. Unde et recte ipse Salvator in Evangelio dicit quoniam „nemo bonus nisi unus Deus Pater:" quo

1) Ioh. V, 19.

2) Ibid.

12) in materia corporali seq.] „Singula visibilia habent aliquid rationis ad invisibilia" et ad imagines coelestes condita sunt, Comment. in Cant. III, p. 82. Itaque haec videntur esse Rufini, qui, quum Plato et philosophia omnis male audiret apud Latinos, plus semel Origenem ab eo inducit abhorrentem. Quo iure v. ap. Moshemium de rebus Christ. p. 643.

20) Principalis — Filio est] Vide fragm. l. I, 5. Consentit cum textu graeco Hieron. in ep. ad Avitum p. 761, et Tom. XV in Matth. p. 664: πλεῖον ἡ ὑπεροχὴ πρὸς τὰ ὑποδεέστερα ἀγαθὰ ἐν τῷ σωτῆρι, καθό ἐστιν εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ τοῦ θεοῦ, ἤπερ ἡ ὑπεροχὴ τοῦ θεοῦ — πρὸς τὸν σωτῆρα. Itaque ἀγαθὸς quidem Filius, sed non κυρίως (absolute) ἀγαθός, ib. p. 666. — Annotandum est, tam longe abesse hoc loco a graeca veritate Rufinum, ut alienum prorsus Scripturae locum substituat.

26) Matth. XIX, 17, Marc. X, 18, Luc. XVIII, 19. Constanter hunc locum sic, addito ὁ πατήρ, excitat Origenes (de Orat. p. 223, Exhort. ad mart. p. 279). Temere igitur Epiphanius Marcionem in culpam adulterationis huius loci vocat, haer. 42, 11.

Digitized by Google

scilicet per hoc intelligatur Filius non esse alterius bonitatis, sed illius solius quae in Patre est: cuius recte imago appellatur, quia neque aliunde est, nisi ex ipsa principali bonitate; ne altera bonitas quam ea quae in Patre est, videatur in Filio. Neque aliqua dissimilitudo, aut distantia bonitatis in Filio est. Propter quod non debet velut blasphemiae aliquod genus putari in eo quod dictum est: „Nemo bonus nisi unus Deus Pater:" ut propterea putetur vel Christus vel Spiritus sanctus negari quod bonus sit; sed ut superius diximus, principalis bonitas in Deo sentienda est Patre, ex quo vel Filius natus, vel Spiritus sanctus procedens, sine dubio bonitatis eius naturam in se refert, quae est in eo fonte de quo vel natus est Filius, vel procedit Spiritus sanctus. Iam vero si qua alia bona in Scripturis dicuntur, vel angelus, vel homo, vel servus, vel thesaurus, vel cor bonum, vel arbor bona: haec omnia abusive dicuntur, accidentem, non substantialem in se continentia bonitatem. Multum autem est, et alterius vel operis vel temporis, congregare omnes Filii Dei appellationes: verbi causa, quomodo vel lumen verum est, vel ostium, vel iustitia, vel sanctificatio, vel redemtio, et alia innumera; et quibus causis unumquodque horum nominetur, exponere. Sed contenti his de quibus superius disseruimus, consequenter etiam reliqua perquiramus.

Cap. III. De Spiritu Sancto.

Consequens igitur est nunc, ut de Spiritu sancto quam possumus breviter requiramus. Et omnes quidem qui quoquomodo providentiam esse sentiunt, Deum esse ingenitum qui universa creavit atque disposuit, confitentur, eumque parentem universitatis agnoscunt. Huic tamen esse filium non nos soli pronunciamus; quamvis satis hoc et mirum et incredulum videatur iis qui apud Graecos et Barbaros philosophari videntur: tamen a nonnullis etiam

20) alterius operis] sc. tomorum in Ioh., quorum quinque priores Alexandriae scripsit (Tillemont l. c. p. 375). Cf. Tom. I in Ioh. p. 11.

28) Consequens — lapsum] V. lib. ad Ianuarium p. 56. Totum hoc caput paucis omissis ibi repetitur.

36) a nonnullis] Quae ad h. l. e Platonis et Neoplatonicorum libris in medium profert Ruaeus, ea retractanda sunt ex dissertatione Oel-

ipsorum habita eius videtur opinio, cum verbo Dei, vel ratione creata esse omnia confitentur. Nos vero secundum fidem doctrinae eius, quam divinitus aspiratam pro certo habemus, eminentiorem diviniorem-que rationem de Filio Dei nullius alterius possibilitatis esse credimus exponere, atque in hominum cognitionem proferre, nisi eius solius Scripturae quae a Spiritu sancto inspirata est, id est, evangelicae atque apostolicae, nec non legis ac prophetarum, sicut ipse Christus asseruit. De subsistentia vero Spiritus sancti ne suspicionem quidem ullam habere quis potuit, praeter eos qui in lege et prophetis versati sunt, vel eos qui se Christo credere confitentur. Nam de Deo quidem patre quamvis quidem proloqui nemo valeat, tamen possibile est intellectum aliquem capi ex occasione visibilium creaturarum et ex his quae humana mens naturaliter sentit; insuper etiam de Scripturis sanctis confirmari possibile est. Sed et de Filio Dei, quamvis nemo noverit Filium nisi Pater, tamen ex divinis Scripturis etiam de ipso qualiter sentiri debeat, mens humana formatur; et non solum ex novo, sed etiam ex veteri Testamento, per ea quae a sanctis gesta ad Christum figuraliter referuntur, ex quibus adverti vel divina eius natura, vel humana quae ab eo assumta est, potest.

II. De Spiritu vero sancto, quod sit, multae nos Scripturae docuerunt, sicut David in L. Psalmo dicit: „Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.“ Et in Daniele dicitur: „Spiritus sanctus qui est in te.“ In novo vero Testamento abundantibus testimoniis edocemur, cum Spiritus sanctus super Christum descendisse describitur, et cum ipse Dominus insufflavit in apostolos post resurrectionem, dicens:

richsii de doctrina Platonis de Deo a Christianis et recentioribus Platonicis varie explicata et corrupta, Marb. 1788.

10) De subsistentia vero] *Anima enim mundi* Platonicorum cum Spiritu sancto, qualem Christiani confitentur, nulla ex parte comparari potest; v. Boeckh über die Bildung der Weltseele im Timaeos (Studien v. Daub u. Creuzer, fasc. 3).

22) etiam ex vet. Test.] V. de Princ. IV, p. 158.

23) figuraliter] i. e. per typum, Tom. XIII in Ioh. p. 228; Tom. X, p. 178, 197; Mosheim de rebus Christ. p. 641.

26) De Spiritu — futuro] Apol. Pamph. p. 27.

28) Psal. L, 13.

29) Dan. IV, 6.

Digitized by Google

„Accipite Spiritum sanctum.“ Et ad Mariam ab angelo dicitur: „Spiritus sanctus superveniet in te.“ Paulus vero dicit: „Quia nemo potest dicere Dominum Iesum nisi in Spiritu sancto.“ Et in Actibus apostolorum per impositionem manuum apostolicarum Spiritus sanctus dabatur in baptismo. Ex quibus omnibus didicimus, tantae esse auctoritatis et dignitatis substantiam Spiritus sancti, ut salutaris baptismus non aliter nisi excellentissimae omnium Trinitatis auctoritate, id est Patris, et Filii, et Spiritus sancti cognominatione compleatur, et ingenito Deo Patri, et unigenito eius Filio nomen quoque Spiritus sancti copuletur. Quis ergo non obstupescat quanta maiestas sit Spiritus sancti, cum eum qui dixerit verbum in Filium hominis, audiat sperare veniam posse; eum vero qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, veniam non habere neque in praesenti saeculo, neque in futuro? 61

III. Quod autem a Deo universa creata sint, nec sit ulla creatura quae non ab eo hoc ipsum ut esset acceperit, ex multis Scripturae assertionibus comprobatur, repudiatis atque depulsis his quae a quibusdam falso perhibentur, vel de materia Deo coaeterna, vel de ingenitis animabus, quibus non tam subsistendi naturam, quam aequalitatem atque ordinem a Deo insitum volunt. Nam et in eo libello qui Pastoris dicitur angeli poenitentiae, quem Hermas conscripsit, ita refertur: „Primo omnium crede,

1) Ioh. XX, 22.

2) Luc. I, 35.

3) 1 Cor. XII, 13.

4) Act. VIII, 18.

7) tantae esse etc.) itaque multum deest, ut *eadem* vel *aequalis* sit substantia eius et Filii, nedum Patris.

19) Quod autem] cf. de Princ. II, p. 78.

25) aequalitatem etc.] ad materiam s. ὕλην, qualem philosophi et Gnostici profiterentur, haec spectant. Itaque de animis etiam ingenitis, quae in Persicis systematibus Gnosticorum reperiuntur, commemorat.

27) Hermae Past. vis. V, mand. 12, cf. de Princ. IV, p. 168. Disseruit de hoc libro nuperrime Lücke, Einleitung in die Offenbar. Ioh. p. 141. De authentia eius et inspiratione nonnunquam dubius (Comment. in Matth. p. 649, hom. VIII in Num. p. 294), nonnunquam certus est Origenes (Comment. in ep. ad Rom. p. 683. Solent enim eos tantum respuere libros apocryphos, qui a regula fidei dissentirent (ad Matth. XXI, 19): ceterum a Philone nimiam erga eos proclivitatem didicerat.

Digitized by Google

quia unus est Deus qui omnia creavit atque composuit: qui cum nihil esset prius, esse fecit omnia: qui est omnia capiens, ipse vero a nemine capitur.“ Sed et in Enoch libro his similia describuntur. Verumtamen usque ad praesens nullum sermonem in Scriptis sanctis invenire potuimus per quem Spiritus sanctus factura esse vel creatura diceretur, ne eo quidem modo quo de sapientia referre Salomonem supra edocuîmus, vel quae de vita, vel verbo, aliisque appellationibus Filii Dei intelligenda esse tractavimus. Spiritus igitur Dei qui super aquas ferebatur, sicut scriptum est in principio facturae mundi, puto quod non sit alius quam Spiritus sanctus, secundum quod ego intelligere possum, sicut et cum ipsa loca exponeremus, ostendimus, non tamen secundum historiam, sed secundum intelligentiam spiritalem.

IV. Quidam sane ex praecessoribus nostris in novo Testamento observarunt, quod sicubi Spiritus nominatur sine adiectione ea quae assignet qualis sit spiritus, de sancto Spiritu debet intelligi, ut puta: „Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, et

4) De libro Enoch v. die Apocalyptiker der älteren Zeit unter Juden u. Christen, auct. A. G. Hoffmann, vol. I. Ienae 1833. Quamvis non divinum haberi hunc librum Origenes concedat c. Cels. V, p. 619, tamen liberum esse vult unicuique de eo iudicium Tom. VI in Ioh. p. 142. Quanti eum fecerint Patres v. ap. Spencerum ad libb. c. Cels. l. c.

4) Verumtamen — diceretur] Apol. Pamph. p. 27.

7) factura vel creatura] i. e. *ποίημα ἢ κτίσμα.*

7) ne eo quidem modo] nam alio sensu Filius creatura est Patris, quam ceterae, v. fragm. l. IV, 5. p. 80; de Princ. I, p. 54; II, p. 79.

11) Gen. I, 2.

12) factura mundi] vulgo *opificium mundi* vel *hexaëmeron.*

15) exponeremus] Priora enim Geneseos capita iamiam absolverat.

16) Sensum historicum in prioribus Geneseos capitibus omnino pessum dabat Origenes, Huet. II, 12, 7.

18) Nominatim praecessores, ad quos provocat, nonnisi in libris c. Cels. excitare solet. Indicem horum scriptorum locupletissimum v. ap. Fabricium in bibl. gr. Tom. V, p. 244. Plerumque, ut philosophos ab Eusebio h. e. VI, 19 laudatos praetermittam, Philonem, Clementem utrumque, Ignatium, Iosephum sequitur, legerat autem omnes fere, qui tunc ferebantur, maxime qui ad Scripturas illustrandas aliquid contulisse visi essent. Ab omni tamen eruditionis iactantia, quam in eo criminatur Theophilus Alex. ep. Pasch. I., longissime abest.

22) Galat. V, 22.

Digitized by Google

pax," etc. Item et ibi: „Cum coeperitis Spiritu, nunc carne perficimini." Nos vero etiam in veteri Testamento putamus distinctionem istam posse servari, sicut cum dicit: „Qui dat Spiritum populo qui est super terram, et Spiritum his qui calcant eam." Sine dubio enim omnis qui calcat terram, id est terrena et corporalia, particeps est Spiritus sancti a Deo eum accipiens. Dicebat autem et Hebraeus magister, quod duo illa Seraphim, quae in Esaia senis alis describuntur clamantia adinvicem, et dicentia: „Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth," de unigenito Filio Dei, et Spiritu sancto essent intelligenda. Nos vero putamus etiam illud quod in cantico Abacuc dictum est: „In medio" vel „duorum animalium," vel „duarum vitarum cognosceris," de Christo et de Spiritu sancto sentiri debere. Omnis enim scientia de Patre revelante Filio in Spiritu sancto cognoscitur, ut ambo haec quae secundum prophetam vel animantia vel vitae dicuntur, causa scientiae Dei Patris existant. Sicut enim de Filio dicitur, quia „nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare:" haec eadem etiam de Spiritu sancto dicit apostolus, cum ait: „Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur etiam alta Dei." Sed et rursus in evangelio de divinis ac profundioribus doctrinis commemorans Salvator quas nondum capere poterant discipuli sui, ita ait ad apostolos: „Adhuc multa habeo quae vobis dicam, sed non potestis illa modo capere: cum autem venerit consolator Spiritus sanctus, ille vos docebit omnia, et commonebit omnia

1) Galat. III, 3.

4) Ies. XLII, 5.

8) Dicebat — sentiri debere] V. fragm. l. I, p. 61.

11) Ies. VI, 3.

14) Habac. III, 3. Cf. hom. in Ies. p. 112, interprete Hieronymo, qui post illa: *Qui sunt ista duo Seraphim? Dominus meus Iesus Christus et Spiritus sanctus* de suo addidit: *ne putes Trinitatis dissidere naturam, si nominum servantur officia*, teste Rufino Invect. II, p. 438. Hinc nata est Iustiniani calumnia, vocasse Origenem Filium et Spiritum sanctum *ζῶα λειτουργικά*. — Parum calluisse Origenem linguam hebraeam, satis docuerunt Rosenmüller, hist. interpr. III, p. 23, Gesenius Gesch. d. hebr. Sprache, p. 90, Comment. in Ies. II, p. 184. Exemplo esse potest ep. ad Afric. p. 12.

21) Luc. X, 22.

23) 1 Cor. II, 10.

28) Ioh. XVI, 12. 13, et XIV, 26.

quae dixi vobis." Et ita sentiendum est quod sicut Filius, qui solus cognoscit Patrem, revelat cui vult: ita Spiritus sanctus, qui solus scrutatur etiam alta Dei, revelat Deum cui vult. „Spiritus enim ubi vult
62 spirat." Neque enim putandum est quod etiam Spiritus Filio revelante cognoscit. Si enim revelante Filio cognoscit Patrem Spiritus sanctus, ergo ex ignorantia ad scientiam venit: quod utique et impium pariter et stultum est, Spiritum sanctum confiteri, et ignorantiam ei adscribere. Non enim cum aliud aliquid esset antequam Spiritus sanctus, per profectum venit in hoc ut esset Spiritus sanctus; ut quis audeat dicere, quia tunc quidem cum nondum esset Spiritus sanctus, ignorabat Patrem, postea vero quam recepit scientiam, Spiritus sanctus effectus est: quod si esset, nunquam utique in unitate Trinitatis, id est, Dei Patris inconvertibilis et Filii eius, etiam ipse Spiritus sanctus haberetur, nisi quia et ipse semper erat Spiritus sanctus. Hoc sane quod dicimus, vel *semper*, vel *erat*, vel si quod aliud tale temporalis significationis nomen adsciscimus, simpliciter et cum venia accipiendum est: quoniam nominum quidem horum significationes temporales sunt, ea autem de quibus loquimur, tractatu quidem sermonis temporaliter nominantur, natura autem sui omnem intelligentiam sensus temporalis excedunt.

V. Rectum tamen videtur inquirere quid causae sit, quod qui regeneratur per Deum in salutem, opus habet et Patre et Filio et Spiritu sancto, non percepturus salutem nisi sit integra Trinitas; nec pos-

4) Ioh. III, 8.

5) Neque — Spiritus s.] Apol. Pamph. p. 27. Consensio utriusque textus documento est, Apologiam non minus quam libros de Principiis a Rufino adulteratam esse (praef. Ruaei ad Apol. Pamph. p. 10). Nam Trinitatis vox in graeco fuisse non potest, quippe quae neque apud Origenem, neque apud ullum scriptorem Origene priorem eo qui nunc solennis est sensu reperiatur. Loci enim, quos Suicerus laudat in Thes. p. 1288, spuriorum librorum sunt, ita ut ante synodum Alexandrinam primam (anno 317) in theologiam haec vox usu non venerit. Eadem versionis Rufinianae p. 62 fides est. Itaque Testimonia adeo falsare non dubitavit, Hieron. adv. Ruf. I, p. 357.

27) Rectum — iustos et peccatores] Apol. Pamph. p. 27, hoc loco sin minus quam alibi in verbis, tamen in sententiis omni ex parte cum textu nostro congruens, ideoque adulterata.

sibile sit participem fieri Patris vel Filii sine Spiritu sancto. De quibus discutientes sine dubio necessarium erit ut operationem specialem Spiritus sancti, et specialem Patris ac Filii describamus. Arbitror ergo operationem quidem esse Patris et Filii tam in sanctis quam in peccatoribus, in hominibus rationalibus et in mutis animalibus; sed et in his quae sine anima sunt, et in omnibus omnino quae sunt: operationem vero Spiritus sancti nequaquam prorsus incidere vel in ea quae sine anima sunt, vel in ea quae animantia quidem, sed muta sunt; sed ne in illis quidem inveniri qui rationabiles quidem sunt, sed in malitia positi, nec omnino ad meliora conversi. In illis solis arbitror esse opus Spiritus sancti qui iam se ad meliora convertunt, et per vias Christi Iesu incedunt, id est, qui sunt in bonis actibus, et in Deo permanent.

Quia autem operatio Patris et Filii et in sanctis et peccatoribus sit, manifestatur ex eo quod omnes qui rationabiles sunt, verbi, id est rationis participes sunt, et per hoc velut quaedam semina insita sibi gerunt sapientiae et iustitiae, quod est Christus. Ex eo autem qui vere est, qui dixit per Moysen: „Ego sum qui sum,“ omnia quaecunque sunt participant: quae participatio Dei patris pervenit in omnes tam VI.

4) Arbitror — permanent] V. fragm. l. 1, 8; de Princ. II, p. 92. Frustra Huetius II, 2, 28 orthodoxiam huius loci tueri conatur. Cf. fragm. Orig. e l. I in Ies. ap. Pamph. Apol. p. 56: „Unus ergo est *verus* Deus, qui ut ita dixerim, praestator est deitatis; et unus Christus *factor* Christorum (*λόγων*); et unus Spiritus sanctus, qui per singulas animas *sanctorum* facit Spiritum sanctum.“ Neque excusatur Origenes iis, quae habentur Tom. II in Ioh. p. 60, *διακονοῦντος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ (τοῦ πνεύματος) τῇ ὑποστάσει οὐ μόνον εἰς τὸ εἶναι κ. τ. λ.*; utique enim ministrat Patri. Quae autem habentur hom. I in Ies. p. 107, ea prorsus Hieronymi sunt. Itaque in ep. ad Avit. p. 761 iure crimini vertitur Origeni, quod dixerit Filium esse minorem Patre, eo quod secundus ab illo sit, et maiorem patris *fortitudinem* esse, quam Filii et Spiritus sancti, et rursum maiorem Filii *fortitudinem*, quam Sp. sancti, denique huius maiorem esse *virtutem* ceteris, quae sancta dicuntur.

6) hominibus] Ingeniose Semlerus l. c. p. 170 *omnibus*.

7) muti] i. e. *ἄλογοι*, *irrationales*.

22) Ex eo autem cet.] Vestigia hic latent veritatis graecae, quam falsaverat Rufinus.

23) Exod. III, 14. Inde illud in fragm. graeco: *ὢν γὰρ ἐστιν*.

iustos quam peccatores, et rationabiles atque irrationabiles, et in omnia omnino quae sunt. Ostendit sane et apostolus Paulus quod omnes habeant participium Christi, dicens: „Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in coelum? id est, Christum deducere: aut quis descendet in abyssum? id est, Christum a mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo.“ Ex quo in corde omnium significat esse Christum secundum id quod verbum vel ratio est, cuius participatione rationabiles sunt. Sed et illud quod in evangelio dictum est: „Nisi venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent pro peccato suo,“ his qui rationem norunt usque ad quod tempus peccatum homo non habeat, et ex qua aetate obnoxius peccato sit, manifestum est et patet quomodo ex participatione verbi vel rationis homines peccatum habere dicuntur: videlicet ex quo intellectus atque scientiae capaces effecti, cum iam eis boni vel mali discretionem ratio intrinsecus inserta suggesserit; et cum scire iam
63 coeperint quid sit malum, si faciunt illud, peccato efficiuntur obnoxii. Et hoc est quod dicit, quia excusationem non habent homines pro peccato suo, ex quo eis divinus sermo vel ratio ostendere coeperit in corde discretionem boni et mali, ut per hanc debeant refugere et cavere quod malum est; quia „scienti bonum et non facienti, peccatum est illi.“ Item quod omnes homines non sunt extra communionem Dei, hoc modo evangelium docet, dicente Salvatore: „Regnum Dei cum observatione non venit: neque dicent, ecce hic, aut ibi: sed regnum Dei intra vos est.“ Sed et illud videndum est, ne forte idem significet quod in Genesi scriptum est, cum ait: „Et insufflavit in faciem eius inspirationem vitae, et factus est homo in animam vivam.“ Quod si generaliter in omnes homines datum esse intelli-

4) Christi] sc. τοῦ λόγου; ut statim sequitur, *secundum id quod verbum vel ratio est.*

4) Rom. X, 6. 7. 8.

9) in corde] sc. quod apud Hebraeos non tam affectuum sedes, quam pars animae ea, qua cognoscimus, est; cf. hom. V in Ierem. p. 360: ἔνθα ἐστὶ τὰ νοήματα.

12) Ioh. XV, 22.

28) Iacob. IV, 17.

31) Luc. XVII, 20. 21.

35) Gen. II, 7.

Digitized by Google

gitur, omnes homines habent participium Dei; si VII. vero hoc de Spiritu Dei dictum intelligendum est, quoniam et Adam prophetasse de nonnullis invenitur: ergo iam non generaliter, sed sanctis quibusque datum accipi potest. Denique etiam diluvii tempore cum omnis caro corrupisset viam Dei, tanquam de indignis et peccatoribus scriptum est dixisse Deum: „Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis in aeternum, propter quod caro sunt.“ In quo manifeste ostenditur, quod ab indignis quibusque aufertur Spiritus Dei. In Psalmis quoque scribitur: „Auferes Spiritum eorum, et deficient, et in terram suam revertentur. Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae:“ quod manifeste de Spiritu sancto designatur, qui ablatis atque extinctis peccatoribus et indignis, ipse sibi novum populum creet, et renovet faciem terrae, cum per gratiam Spiritus deponentes veterem hominem cum actibus suis, in novitate vitae coeperint ambulare. Et ideo de eo competenter dicitur, quia non in omnibus, neque in his qui caro sunt, sed in his quorum terra renovata fuerit, Spiritus sanctus habitabit. Denique idcirco per impositionem manuum apostolorum post baptismum gratia et revelatio sancti Spiritus tradebatur. Sed et Salvator noster post resurrectionem, cum vetera iam transissent, et facta fuissent omnia nova, novus ipse homo et primogenitus ex mortuis renovatis quoque per fidem suae resurrectionis apostolis ait: „Accipite Spiritum sanctum.“ Hoc est nimirum quod et ipse Salvator Dominus in Evangelio designabat, cum vinum novum in utres mitti posse veteres denegabat, sed iubebat utres fieri novos, id est homines in novitate vitae ambulare, ut vinum novum, id est Spiritus sancti gratiae susciperent novitatem. Hoc ergo pacto operatio virtutis Dei Patris et Filii indiscrete super omnem

3) Adam prophetasse] quippe qui „magnum mysterium prophetavit in Christo et in ecclesia, dicens: Propter hoc relinquet homo patrem et matrem (Gen. II, 24; Ephes. V, 32)“ etc., hom. II in Cantic. p. 62. Similia apud Clementem Alex. Strom. I, p. 235, et apud multos alios Patres, quos excitat Ruaeus ad h. l., reperiuntur.

8) Gen. VI, 3.

12) Psal. CIII, 29. 30.

29) Ioh. XX, 22.

31) Matth. XIX, 16. 17.

protenditur creaturam: Spiritus sancti vero participationem a sanctis tantummodo haberi invenimus. Propter quod dicitur: „Nemo potest dicere Dominum Iesum nisi in Spiritu sancto." Et vix aliquando ipsi apostoli digni habentur audire: „Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos." Propter quod et consequens puto, quia qui peccaverit quidem in Filium hominis venia dignus est; pro eo quod is qui verbi Dei vel rationis est particeps, si desinat rationabiliter vivere, videtur in ignorantiam vel stultitiam decidisse, et propter hoc veniam promereri: qui autem dignus iam habitus est sancti Spiritus participatione, et retro fuerit conversus, hic reipsa et opere blasphemasse dicitur in Spiritum sanctum. Ne quis sane existimet nos, ex eo quod diximus Spiritum sanctum solis sanctis praestari, Patris vero et Filii beneficia vel inoperationes pervenire ad bonos et malos, iustos et iniustos, praetulisse per hoc Patri et Filio Spiritum sanctum, vel maiorem eius per hoc asserere dignitatem; quod utique valde inconsequens est. Proprietatem namque gratiae eius operisque descripsimus. Porro autem nihil in Trinitate maius minusve dicendum est, quum unius divinitatis fons verbo ac ratione sua teneat universa, Spiritu vero oris sui, quae digna sunt sanctificatione, sanctificet, sicut in Psalmo scriptum est: „Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum." Est etiam quaedam inoperatio Dei patris praecipua praeter illam qua omnibus ut essent naturaliter praestitit. Est et Domini Iesu Christi praecipuum quoddam ministerium in eos quibus naturaliter ut rationabiles sint confert, per quod ad haec, quae sunt, praestatur eis ut bene sint. Est et alia quoque etiam Spiritus sancti gratia quae dignis praestatur, ministrata quidem per Christum, inoperata autem a Patre secundum meritum eorum qui capaces eius efficiuntur. Quod manifestissime indicat apostolus Paulus, unam eamdemque virtutem Trinitatis exponens in eo dum dicit: „Divisiones
64 sunt donorum, idem autem Spiritus: et divisiones sunt ministeriorum, idem autem Dominus: et divi-

1) Spiritus — Sp. sanctum] Apol. Pamph. p. 28.
3) 1 Cor. XII, 3.
5) Act. I, 8.
26) Psal. XXXII, 6.
30) 1 Cor. XII, 4 seq.

siones operationum sunt; idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus secundum id quod expedit." Ex quo manifestissime designatur quod nulla est in Trinitate discretio, sed hoc quod donum Spiritus dicitur, manifestatur per Filium, et inoperatur per Deum patrem. „Omnia autem operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult."

VIII. His igitur de unitate Patris, et Filii, et Spiritus sancti protestatis, redeamus nunc ad eum ordinem quem disserere coeperamus. Deus pater omnibus praestat ut sint; participatio vero Christi secundum id quod verbum vel ratio est, facit ea esse rationabilia. Ex quo consequens est ea vel laude digna esse, vel culpa, quia virtutis et malitiae sunt capacia. Propter hoc consequenter adest etiam gratia Spiritus sancti, ut ea quae substantialiter sancta non sunt, participatione ipsius sancta efficiantur. Cum ergo primo ut sint, habeant ex Deo patre, secundo ut rationabilia sint, habeant ex verbo, tertio ut sint sancta, habeant ex Spiritu sancto: rursum Christi secundum hoc quod iustitia Dei est, capacia efficiuntur ea quae iam sanctificata ante fuerint per Spiritum sanctum; et qui in hunc gradum proficere meruerint per sanctificationem Spiritus sancti, consequuntur nihilominus donum sapientiae secundum virtutem et inoperationem Spiritus Dei. Et hoc puto Paulum dicere, cum ait quibusdam dari sermonem sapientiae, aliis sermonem scientiae secundum eundem Spiritum. Et designans unamquamque discretionem donorum, refert omnia ad universitatis fontem, et dicit: „Divisiones sunt inoperationum, sed unus Deus qui operatur omnia in omnibus." Unde et inoperatio Patris, quae esse praestat omnibus, clarior ac magnificentior invenitur, cum unusquisque per participationem Christi secundum id quod sapientia est, et secundum id quod scientia est et sanctificatio est, proficit et in altiores profectuum gra-

7) 1 Cor. XII, 11.

18) Cum ergo etc.] Haec immutare oblitus est Rufinus; non enim conveniunt cum iis, quae paulo ante p. 62 exhibuit.

32) 1 Cor. XII, 6.

38) Altiores gradus] Est enim humana quaedam rerum cognitio, quae sacri codicis ope nobiscum communicatur; ἀπειροστομόριον et μωρία οὖσα πρὸς τὴν γνῶσιν τὴν ἐν τοῖς οὐρανοῖς (hom. VIII in Ierem.

dus venit: et per hoc quod participatione sancti Spiritus factus est quis purior atque sincerior, effectus dignus recipit sapientiae ac scientiae gratiam, ut depulsis omnibus, expurgatisque pollutionis atque ignorantiae maculis, tantum profectum sinceritatis ac puritatis accipiat, ut hoc quod accepit a Deo ut esset, tale sit quale Deo dignum est, eo qui ut esset pure utique praestitit ac perfecte: ut tam dignum sit id quod est, quam est ille qui id esse fecit. Ita namque et virtutem semper esse atque in aeternum manere percipiet a Deo is qui talis est, qualem eum esse voluit ille qui fecit. Quod ut accidat, et ut indesinenter atque inseparabiliter adsint ei qui est ea quae ab ipso facta sunt, sapientiae id opus est instruere atque erudire ea, et ad perfectionem perducere ex Spiritus sancti confirmatione atque indesinenti sanctificatione, per quam solum Deum capere possunt. Ita ergo indesinenti erga nos opere Patris, et Filii, et Spiritus sancti per singulos quosque profectuum gradus instaurato, vix si forte aliquando intueri possumus sanctam ac beatam vitam; in qua cum post agones multos in eam perveniri potuerit, ita perdurare debemus ut nulla unquam nos boni illius satietas capiat: sed quanto magis de illa beatitudine percipimus, tanto magis in nobis vel dilatetur eius desiderium, vel augeatur, dum semper ar-

p. 175): est angelica quaedam s. coelestis, quae ἀπὸ αὐτοῦ τοῦ λόγου καὶ αὐτῆς τῆς σοφίας est (Tom. XIII in Ioh. p. 217; X, p. 177): est denique supercoelestis, ὑπερκόσμιος καὶ ὑπερουράνιος γνῶσις, qua qui visibile hoc coelum transgressi sunt, fruuntur (hom. VIII in Ierem. l. c.). Cf. Tract. in Matth. p. 871, hom. XI in Num. p. 308. Minime tamen sicut Philo inter υἱοὺς τοῦ λόγου et τοῦ ὄντος internoscit Origenes: sed nunquam praetergredi licet Filium et Spiritum sanctum iis qui ad Patrem tendant, Tom. XXXII in Ioh. p. 404; ne tunc quidem, quum Deus erit omnia in omnibus, de Princ. III, p. 152.

10) Semper esse] Quamvis nunquam eo usque nos progredi posse doceat, ut non possimus peccare, tamen vehementer ipsi arrisit Stoicorum ἀπάθεια, qua fit ut in charitate perfectionem adepti scandalis iam non obnoxii videantur, Tom. XII in Matth. p. 542; cf. Huet. II, 7, 18. Sed absoluta *impeccabilitas* apud Origenem non datur. Itaque quid sibi velit illud *semper et in aeternum* iam intelligitur.

17) solum Deum] sc. facie ad faciem et in veritate, Tom. XIII in Ioh. p. 229, et ita ut Deus in nobis sit omnia.

Digitized by Google

dentius et capacius Patrem, et Filium, ac Spiritum sanctum vel capimus, vel tenemus. Si autem aliquando satietas capit aliquem ex his qui in summo perfectoque constiterint gradu, non arbitror quod ad subitum quis evacuetur, ac decidat, sed paulatim et per partes defluere eum necesse est: ita ut fieri possit interdum, ut si brevis aliquis lapsus acciderit, et cito resipiscat, atque in se revertatur, non penitus ruere, sed revocare pedem, et redire ad statum suum, et rursum statuere possit id quod per negligentiam fuerat lapsum.

Cap. IV. De diminutione vel lapsu.*)

Ut autem istam diminutionem, vel lapsum eorum qui se negligentius egerint ostendamus, etiam similitudine alicuius exempli uti non videtur absurdum. Igitur si sit aliquis qui peritia vel arte, verbi gratia, geometriae, vel medicinae paulatim fuerit imbutus usquequo venerit ad perfectum, multo scilicet tempore institutionibus atque exercitiis semetipsum informans ut ad integrum supradictae artis assumeret disciplinam: huic numquam profecto accidere poterit, ut cum peritus dormierit, evigilet imperitus. Non enim ea quae per laesionem aliquam vel debilitatem accidunt in medium adducere aut commemorare nunc convenit: neque enim similitudini propositae exemploque conveniunt. Secundum ergo id quod proposuimus, geometres ille vel medicus donec exercet se in meditationibus artis suae, et rationabilibus institutis, permanet apud eum etiam scientia 65 disciplinae. Si vero dissimulet ab exercitiis, et negligat ab industria, paulatim primo per negligentiam pauca excidunt, tum deinde etiam plura, et ita per multum tempus abeunt omnia in oblivionem, atque universa ex memoria penitus abolentur. Potest sane fieri, ut cum decidere ab initio coeperit, et parva adhuc corrumpi negligentia, si resuscitetur, et citius in semetipsum revertatur, reparet ea quae adhuc nuper amissa sunt, et recolat ea quae ab eo fuerant tenui adhuc abolitione sublata. Transferamus nunc haec ad eos qui se Dei scientiae ac sapientiae dediderunt, cuius eruditio atque industria incomparabi-

*) De diminutione etc.] sc. ad peccatum originale haec pertinent. ante mundum conditum: non enim

libus omnes reliquas disciplinas supereminet modis, et secundum propositae similitudinis formam vel quae sit assumptio scientiae, vel quae sit eius abolitio contemplemur: maxime cum audiamus ab apostolo quod de perfectis dicitur, quod facie ad faciem gloriam Domini ex mysteriorum revelationibus speculabuntur.

II. Verum nos volentes divina in nos beneficia demonstrare, quae nobis per Patrem et Filium et Spiritum sanctum praebentur, quae Trinitas totius est sanctitatis fons, excessu quodam usi haec diximus, et sermonem de anima qui inciderat, strictim licet contingendum putavimus, vicinum utpote locum de natura rationabili disserentes. Opportunius tamen in loco proprio de omni rationabili natura quae in tria genera speciesque distinguitur, Deo nobis per Iesum Christum et sanctum Spiritum concedente, disputabimus.

Cap. V. De rationabilibus naturis.

Post eam dissertionem quam de Patre, et Filio, et Spiritu sancto, quantum valuimus, breviter digessimus, consequens est etiam de naturis rationabilibus, ac de speciebus earum et ordinibus, vel officiis tam sanctarum quam etiam malignarum virtutum, sed et de his qui inter has bonas et malas medii quidam sunt, et adhuc in agone atque in certamine positi, pauca disserere. Quamplurima namque in sanctis Scripturis invenimus ordinum quorumdam atque officiorum tam sanctorum quam etiam contrariorum nomina: quae prius proponentes, tum deinde quid sibi velit horum significatio, pro viribus nostris discutere pertentabimus. Sunt quidam sancti angeli Dei, quos Paulus ministeriales spiritus appellat ad ministerium destinatos, propter eos qui haereditatem capiunt in salutem. Apud ipsum quoque sanctum

5) 2 Cor. III, 18.

15) loco proprio] cf. l. II, p. 97 seq.

25) virtutum] i. e. δυνάμεων.

32) Hebr. I, 14. Hanc epistolam aut a Clemente Romano, aut a Luca, Paulo tamen sententias suppeditante, conscriptam esse censuit. Cf. quae de ep. ad Philemonem hom. XIX in Ierem. p. 268 statuat: utramque tamen scriptionem ad Paulum referre solet. Similia sunt, quae de ep. ad Thess. hom. VIII in Ierem. p. 274 indicat.

Paulum invenimus, nescio unde sumentem, cognominantem tamen quasdam sedes, et dominationes, et principatus, et potestates, et post enumerationem horum, velut alia adhuc quaedam rationabilia officia atque ordines esse sentiens praeter eos quos supra dixerat, ait de Salvatore: „Qui est super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.“ Ex quo videlicet ostendit esse quaedam praeter haec quae commemoravit, quae nominentur quidem in hoc saeculo, non tamen ab ipso enumerata nunc fuerint, forte nec ab alio aliquo intellecta: esse vero alia quae in hoc saeculo quidem non nominentur, in futuro tamen nominabuntur.

II. Tunc deinde sciendum est, quia omne quod rationabile est, et rationis terminos statutaque declinat, sine dubio per praevaricationem recti iustique efficitur in peccato. Est ergo omnis creatura rationabilis laudis et culpae capax; laudis, si secundum rationem quam in se habet, ad meliora proficiat; culpae, si rationem recti, tenoremque declinet: propter quod recte etiam poenis et suppliciis subiacet. Quod etiam de ipso diabolo et his qui cum ipso sunt et dicuntur eius angeli, sentiendum est. Exponendae tamen sunt etiam appellationes eorum, ut sciamus quae sint ista de quibus sermo nobis movendus est. Diaboli igitur nomen, et Satanae, et maligni in multis Scripturae locis designatur, qui et inimicus Dei esse describitur. Necnon et quidam angeli diaboli nominantur, sed et princeps mundi huius, qui utrum ipse sit diabolus, an alius quis, nondum manifeste declaratum est. Principes quoque huius mundi quidam dicuntur sapientiam quamdam habentes quae destruetur: sed utrum ipsi sint isti principes, qui et illi sunt principatus adversus quos nobis est colluctatio, an alii sint, non facile mihi ab aliquo pronunciandum videtur. Post principatus autem etiam potestates quaedam nominantur, adversus quas colluctatio nobis est et agon geritur: sed et adversus principes mundi huius, et rectores tenebrarum harum. Quaedam etiam spiritalia malitiae in coelesti-

1) nescio unde] ergo non ex inspiratione, ut videtur.

6) Ephes. I, 21.

bus ab ipso Paulo nominantur. Quid autem dicendum est etiam de spiritalibus malignis et daemonibus immundis, qui in Evangeliis nominantur? Tum 66 deinde appellantur etiam quaedam simili nomine coelestia, sed quae dicuntur genu flectere, vel esse flexura in nomine Iesu, sed et terrestria et inferna quae per ordinem Paulus enumerat. In eo sane loco in quo de rationalibus naturis disserimus, reticere non convenit nec de nobis quidem hominibus, qui utique rationabile animal esse dicimur; sed ne illud quidem otiose praetereundum est, quod etiam de nobis ipsis hominibus diversi quidam ordines nominantur, cum dicitur: „Pars Domini populus eius Iacob, funiculus haereditatis eius Israel." Pars autem angelorum dicuntur ceterae nationes: quoniam quidem „cum divideret Excelsus gentes, et dispergeret filios Adam, statuit fines gentium secundum numerum angelorum Dei." Et idcirco cum ceteris rationalibus naturis etiam humanae animae ratio pervidenda est.

III. Igitur tot et tantis ordinum officiorumque nominibus cognominatis, quibus certum est subesse substantias, requirendum est, utrum conditor et creator omnium Deus quosdam quidem ex his ita fecerit sanctos ac beatos, ut nihil possint recipere omnino contrarium, et quosdam ita fecerit, ut possint tam virtutis quam malitiae effici capaces; aut si putandum est quod alios ita fecerit, ut omnino incapaces sint ad virtutem, et alios malitiam quidem nequaquam posse recipere, solummodo autem posse in beatitudine permanere, alios vero tales qui possint utraque recipere. Ut autem etiam ex ipsis nominibus prima nobis inquisitio moveatur, consideremus si sancti angeli ex quo sunt, semper sancti fuerunt, et sancti sunt, sanctique erunt, et neque receperunt unquam, neque recipere potuerunt peccati locum. Tum deinde etiam hi qui sancti principatus appellantur, consideremus si statim ut creati a Deo sunt, principatum exercere coeperunt in aliquos qui eis essent subiecti, et illos tales creatos et ad hoc factos ut essent subditi et subiecti. Similiter autem et quae appellantur potestates, utrum tales et in hoc ipsum creatae sunt, ut exercerent potestatem; an meritum ali-

7) Philip. II, 10. 13) Deut. XXXII, 8. 9.

quod istud est et praemium virtutis, per quod ad potestatem istam dignitatemque venerunt. Necnon et hi qui throni dicuntur vel sedes, an istam beatitudinis sedem stabilitatemque simul cum substantiae suae prolatione meruerint, ut ex voluntate sola hoc possideant creatoris; vel quae appellantur dominationes, hoc quod dominantur, non per profectus sui meritum eis fuerit additum, sed conditionis praerogativa donatum sit, et ideo sit ab eis inseparabile quodammodo, ac naturale. Quod utique si ita recipiamus, ut putentur sancti angeli, et sanctae potestates, et beatae sedes, gloriosaeque virtutes, et magnificae dominationes substantialiter potestates istas ac dignitates gloriasque possidere: consequens sine dubio videbitur etiam ea, quae in contrariis officiis nominata sunt, ad hunc modum intelligi debere; ita ut principatus illi, adversus quos nobis est colluctatio, illud ipsum obluctans ac resistens omni bono propositum non postmodum recepisse declinantes a bono per arbitrii libertatem putentur, sed cum ipsis simul substantialiter exstitisse; similiter etiam potestates et virtutes, nec esse in eis iuniorem substantia sua posterioremque malitiam. Illi quoque quos mundi tenebrarum rectores et principes appellavit, hoc quod principantur et obtinent tenebras, non ex perversitate propositi, sed ex conditionis necessitate dicuntur descendere. Eadem quoque de spiritalibus nequitiae, et de spiritalibus malignis, et daemonibus immundis consequentiae ipsius ratio coget intelligi. Quod si haec ita de malignis contrariisque virtutibus intelligi videtur absurdum, sicut certe absurdum est, ut causa malitiae ipsarum remota ab arbitrii sui proposito, conditori earum necessario adscribatur; quomodo non etiam de bonis sanctisque virtutibus cogimur similia confiteri, id est, quia non substantiale sit in ipsis bonum; quod utique in solo Christo et in Spiritu sancto evidenter esse ostendimus, sine dubio utique et in Patre. Non enim Trinitatis natura habere aliquid compositionis ostensa est, ut haec ei consequenter videantur accidere. Unde superest ut in omni creatura sui operis suorumque motuum fuerit, quod virtutes istae quae vel principatum agere in aliis, vel potestatem exercere vel dominationem videntur, ex merito, et non per conditionis praero-

gativam praelatae sint et superpositae his quibus praeesse, vel in quos potestatem exercere dicuntur.

IV. Sed ne de tantis ac tam difficilibus rebus consequentiae solius ratione invitati videamur asserere, atque ex coniecturis tantummodo in assensum cogere auditores, videamus si quid etiam de Scripturis sanctis possumus assertionis assumere, quarum auctoritate haec credibilius astruantur. Et primum quidem de malis virtutibus quid sancta Scriptura
67 contineat, proferemus; tum deinde etiam de ceteris investigabimus, secundum quod Dominus nos fuerit illuminare dignatus, ut in rebus tam difficilibus quid magis veritati sit proximum, vel quid secundum pietatis regulam opinandum sit, consequamur. Invenimus namque in Ezechiele propheta duas quasdam prophetias scriptas esse ad principem Tyri, quarum prima fortasse videbitur alicui antequam audiat et secundam, dici de homine aliquo qui princeps fuerit Tyriorum. Et ideo nos interim nihil de prima illa sumemus: secunda vero quoniam evidentissime talis est, ut nihil prorsus de homine, sed de virtute aliqua superiori intelligi debeat, quae delapsa fuerit a superioribus et in inferiora ac deteriora deiecta; ex ipsa deferemus exemplum, ex quo manifestissime demonstretur contrarias istas malignasque virtutes non natura tales esse conditas, vel creatas, sed de melioribus venisse in peius, atque in deterius esse conversas; beatas quoque illas virtutes non esse talis naturae quae contrarium recipere non possit si velit, ac negligat, et status sui beatitudinem non omni cautela custodiat. Si enim is qui dicitur princeps Tyri refertur quia inter sanctos erat, et immaculatus erat, et in paradiso Dei constitutus, corona quoque decoris et pulchritudinis exornatus, is qui talis erat quomodo aliquo sanctorum inferior fuisse putandus est? Corona enim decoris et pulchritudinis ipse fuisse, et in paradiso Dei ambulasse immaculatus describitur: et quomodo ab aliquo putari potest quod iste talis non unus fuerit de illis sanctis beatisque virtutibus, quas utique in beatitudine positas,

15) Ezech. XXVI, XXVIII.

21) ut nihil prorsus] cf. h III, p. 138; IV, p. 174. Plerique Patres ad lapsum daemonis hoc Ezechielis caput referebant, non tamen sensu literali pessumdato. — De hoc principe Tyriorum, Ithobalo, v. Iosephi Antiq. X, 11, 1.

non alio quam tali honore praeditus esse credendus est? Sed videamus tandem quid etiam ipsa prophetiae verba nos doceant. „Et factus est," inquit, „sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, accipe lamentum super principem Tyri, et dic ei: Haec dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis, et corona decoris in deliciis paradisi fuisti; omni lapide vel gemma bona exornatus es, et indutus sardio et topazio et smaragdo et carbunculo et sapphiro et iaspide, argento et auro insertis, et achate, amethysto et chrysolitho, et beryllo et onychino; auro quoque replesti thesauros tuos, et promptuaria tua in temetipso. Ex qua die creatus es cum Cherubim, posui te in monte sancto Dei. Fuisti in medio lapidum igneorum; fuisti immaculatus tu in diebus tuis, ex qua die creatus es tu, donec inventae sunt iniquitates in te; ex multitudine negotiationis tuae replesti iniquitate promptuaria tua, et peccasti, et vulneratus es a monte Dei. Et eiecit te Cherub de medio lapidum ignitorum; et elatum est cor tuum in decore tuo; corrupta est disciplina tua cum pulchritudine tua: propter multitudinem peccatorum tuorum in terram proieci te coram regibus; dedi te in ostentationem atque illusionem propter multitudinem peccatorum tuorum et iniquitatum tuarum; ex negotiatione tua polluisti sancta tua. Et educam ignem de medio tui, et comedet te, et dabo te in cinerem ac favillam super terram in conspectu omnium videntium te; et omnes qui sciebant in gentibus, moerebunt super te. Perditio effectus es, et non subsistes ultra in aeternum tempus." Haec cum ita dicta sint, quis est qui audiens: „Signaculum similitudinis et corona decoris in deliciis paradisi fuisti;" vel audiens quod „ex quo creatus es tu cum Cherubim, posui te in monte sancto Dei," ultra sensum suum poterit relaxare, ut de aliquo hominum vel sanctorum, non dicam Tyri principe, haec dicta esse suspicetur? aut quos lapides igneos putabit, in quorum medio homo aliquis conversari poterit? aut quis immaculatus ab ipsa die qua creatus est, intelligi poterit, in quo postea aliquando iniustitiae in ipso inventae sint, et tunc in terram proiectus esse dicatur? Quod utique significat, quia de

3) Ezech. XXVIII, 12 seqq.

eo dicitur, qui cum non esset in terra, in terram projectus est: cujus etiam sancta polluta esse dicuntur. Haec quidem de principe Tyri ex propheta Ezechiele quae in adversariam virtutem referuntur ostendimus, per quae manifestissime demonstratur, quod sancta ante virtus haec fuerit et beata, de qua beatitudine, ex quo in ea inventa est iniquitas, ruerit, in terramque demersa sit, et non per naturam conditionemque talis exstiterit. Arbitramur ergo dici haec de angelo quodam, qui Tyriorum gentis dispensandae sit sortitus officium, cui etiam animae eorum procurandae videntur esse commissae. Quam sane Tyrum, vel quas Tyriorum animas sentire debeamus; utrumne hanc quae in Phoenices provinciae
68 regionibus sita est, an aliam aliquam, cujus haec quam in terris novimus, forma est; et animas Tyriorum utrum horum, an eorum qui domestici sunt illius Tyri quae spiritaliter intelligitur; in hoc loco non videtur requirendum, ne forte velut in transitu de tantis et tam absconditis rebus videamur inquirere, quod utique proprium vel opus exigit, vel laborem.

V. 9. Rursum tamen etiam de alia virtute contraria ab Esaia propheta talia quaedam docemur. Ait enim: „Quomodo cecidit de coelo Lucifer, qui mane oriebatur? Confractus est et collisus in terram qui immittebat ad omnes gentes. Tu vero dixisti in sensu tuo: Ascendam in coelum, super stellas coeli ponam meum thronum, sedebo in monte excelso super montes excelsos qui sunt ad aquilonem, ascendam super nubes, ero similis altissimo. Nunc autem in infernum demergeris et in fundamenta terrae. Qui te viderint admirabuntur super te, et dicent: Hic est homo qui exacerbabat totam terram, qui movebat reges, qui fecit universum orbem desertum, qui urbes destruxit, nec eos qui in vinculis sunt resolvit. Omnes reges gentium dormierunt in honore, unusquisque in domo sua: tu vero proiicieris in montibus sicut mortuus exsecrabilis cum multis mortuis qui transfossi sunt gladiis, et descenderunt in infernum. Sicut vestimentum sanguine concretum et in-

23) de alia virtute] sc. Satana. Quinam Patres de diabolo hunc Isaiae locum acceperint, v. ap. Ruaeum ad h. l.

25) Ies. XIV, 12 seqq.

factum non erit mundum, ita nec tu quidem eris mundus pro eo quod terram meam perdidisti, et populum meum occidisti; non manebis in aeternum tempus, semen pessimum. Praepara filios tuos ad interfectionem pro peccatis patris tui, ne resurgant, et terram haereditate possideant, et repleant terram bellis. Et insurgam in eos, dicit Dominus Sabaoth, et deperire faciam nomen ipsorum, et reliquias, et semen eorum." Manifestissime per haec ostenditur cecidisse de coelo is utique qui prius erat Lucifer, et qui mane oriebatur. Si enim, ut putant aliqui, natura tenebrarum erat, quomodo ante fuisse Lucifer dicitur? Vel quomodo poterat oriri mane qui nihil in se habebat ex luce? Sed et Salvator docet nos de diabolo dicens: „Ecce video Satanam cecidisse de coelo sicut fulgur." Lux enim erat aliquando. Sed et Dominus noster qui veritas est, gloriosi adventus sui potentiam nihilominus fulguri comparavit dicens: „Sicut enim fulgur a summo coelo fulget usque ad summum eius, ita erit adventus Filii hominis." Et nihilominus hunc fulguri comparat, et dicit eum cecidisse de coelo: ut ostenderet per hoc fuisse et ipsum aliquando in coelo, et habuisse locum inter sanctos, et participasse de hac luce, de qua omnes sancti participant, ex qua angeli lucis efficiuntur, et apostoli lux mundi dicuntur a Domino. Hoc ergo modo erat etiam iste lux aliquando antequam praevaricaretur et caderet in hunc locum et gloria eius converteretur in pulverem, quod est proprie impiorum, sicut et propheta dicit, ex quo et princeps huius mundi, id est terrenae habitationis, appellatus est: principatum namque egit in eos qui eius malitiae obsecuti sunt, quoniam quidem „totus hic mundus," mundum autem nunc terrenum istum appello locum, „in maligno positus est," et in hoc apostata. Quod autem apostata sit iste, id est refuga, etiam Dominus in Iob ita dicit: „Adduces autem draconem in hamo apostatam," id est refugam. Certum est autem quia draco ipse diabolus intelligitur. Si ergo contrariae virtutes nominantur, et immaculatae fuisse aliquando dicuntur; immaculatum autem esse praeter Patrem et Filium et Spi-

15) Luc. X, 18.
19) Matth. XXIV, 27.
33) 1 Ioh. V, 19.
37) Hieb XL, 20.

ritum sanctum nulli substantialiter inest, sed sanctitas in omni creatura accidens res est; quod autem accidit, et decidere potest; et istae virtutes contrariae immaculatae aliquando fuerunt, et inter illas utique fuerunt quae adhuc immaculatae permanent: per hoc ostenditur neque substantialiter vel naturaliter esse aliquem immaculatum, neque substantialiter esse pollutum. Et per hoc consequens est in nobis esse, atque in nostris motibus, ut vel beati vel sancti simus, vel per desidiam et negligentiam a beatitudine in malitiam et perditionem vergamus in tantum ut nimius profectus, ut ita dixerim, malitiae, si quis in tantum sui neglexerit, usque ad eum statum deveniat, ut ea quae dicitur contraria virtus efficiatur.

**Cap. VI. De fine vel consummatione.**

69 Finis vel consummatio, rerum perfectarum consummatarumque esse videtur indicium. Quae res etiam nos in hoc loco commonet, quod ad haec tam ardua et difficilia intelligenda, si quis ille est qui legendi horum et talia cognoscendi desiderium ceperit, perfectum et eruditum sensum debet adhibere; ne forte si aut nullum usum in huiuscemodi quaestionibus habuit, vana quaedam haec illi et superflua videantur; aut si iam praeiudicatum et praeventum in aliis animum gerit, haeretica haec et contra fidem ecclesiasticam putet, non tam ratione convincens, quam animi sui praeiudicio definiens. Quae quidem a nobis etiam cum magno metu et cautela dicuntur,

8) „Quibus moti disputationibus arbitrantur sua sponte alios esse in numero sanctorum et ministerio Dei, alios ob culpam propriam de sanctimonia corruentes, in tantam negligentiam corruisse, ut etiam in contrarias fortitudines verterentur." Hieronymo interprete in ep. ad Avit. p. 761. Omisit autem Rufinus in antecedentibus, si Hieronymo fides, haec: „Grandis negligentiae atque desidiae est, in tantum unumquemque defluere atque evacuari, ut ad vitia perveniens irrationabilium iumentorum possit crasso corpore colligari." Hier. l. c. Cf. infra p. 173.

21) perfectum etc.] i. e. *πνευματικῶς*, non *σαρκικῶς* sentire, variaque eruditione subactum esse.

28) cum magno metu] Cf. Tom. XXVIII in Ioh. p. 379, ubi de suppliciis aeternis disserens, *οὐ δοκεῖ δέ μοι*, inquit, *ἀσφαλὲς εἶναι — μάλιστα τῷ μὴ γεγράφθαι περὶ αὐτοῦ, ἀποφήνασθαι.*

discutientibus magis et pertractantibus, quam pro certo ac definito statuentibus. Indicatum namque a nobis in superioribus est, quae sint de quibus manifesto dogmate terminandum sit; quod et pro viribus nos fecisse puto, cum de Trinitate loqueremur. Nunc autem disputandi specie magis quam definiendi, prout possumus, exercemur. Finis ergo mundi et consummatio dabitur, cum unusquisque pro merito peccatorum etiam poenis subiicietur: quod tempus Deus solus agnoscit, quando unusquisque quod meretur, expendet. In unum sane finem putamus quod bonitas Dei per Christum suum universam revocet creaturam, subactis et subditis etiam inimicis. Sic enim dicit sancta Scriptura: „Dixit Dominus domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum." Quod si minus nobis manifestum est quid in hoc indicet propheticus sermo, Paulo apostolo discamus apertius dicente, quod „oportet C h r i s t u m regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis." Quod si ne ista quidem apostoli tam aperta sententia satis nos edocuit quid sit inimicos poni sub pedibus, audi adhuc eum in consequentibus: „Oportet enim ei omnia esse subiecta." Quae ergo est subiectio qua Christo debent esse omnia subiecta? Ego arbitror quia haec ipsa qua nos quoque optamus ei esse subiecti, qua subiecti ei sunt et apostoli et omnes sancti qui secuti sunt Christum. Subiectionis enim nomen qua Christo subiicimur, salutem quae a Christo est indicat subiectorum: sicut et David dicebat: „Nonne Deo

1) discutientibus etc.] Singularis erat in ecclesia sentiendi libertas, antequam hierarchia iubente liberalior theologia prorsus e medio tolleretur.

4) quod et seq.] Suspecta haec; sequitur enim Trinitas.

5) disputandi magis] „Aliud est γυμναστικῶς scribere, aliud δογματικῶς. In priori vagam esse disputationem, et adversario respondentem nunc haec nunc illa proponere, argumentari ut libet, aliud loqui, aliud intelligere. In sequenti autem aperta frons, et, ut ita dicam, ingenuitas necessaria est." Hieron. in ep. ad Pammach. 30. Eadem Origenes, ut libri c. Celsum satis superque testantur, licere sibi persuaserat, v. Mosheim de rebus Christ. p. 609. Quid mirum, quod disputando haeretici perraro ab errore revocati fuerint.

14) Psal. CX, 1.

19) 1 Cor. XV, 25.

23) Ibid. 26.

30) Psal. LXI, 1.

subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum."

II. Talem igitur finem videntes, cum omnes inimici subiecti erunt Christo, et cum novissimus inimicus destruetur mors, et cum tradetur a Christo cui omnia subiecta sunt, regnum Deo patri: ab isto, inquam, tali fine rerum contemplemur initia. Semper enim similis est finis initiis: et ideo sicut unus omnium finis, ita unum omnium intelligi debet initium; et sicut multorum unus finis, ita ab uno initio multae differentiae ac varietates, quae rursum per bonitatem Dei, et subiectionem Christi, atque unitatem Spiritus sancti in unum finem qui sit initio similis revocantur: omnes scilicet hi qui, in nomine Iesu genu flectentes, per hoc ipsum subiectionis suae insignia declararunt; qui sunt coelestium, terrestrium et infernorum: in quibus tribus significationibus omnis universitas indicatur, hi videlicet qui ab illo uno initio pro suis unusquisque motibus et varietatibus per diversos ordines pro merito dispensati sunt; non enim in his bonitas substantialiter inerat, sicut in Deo et Christo eius, et in Spiritu sancto. In hac enim sola Trinitate, quae est auctor omnium, bonitas substantialiter inest: ceteri vero accidentem eam ac decidentem habent, et tunc sunt in beatitudine, cum de sanctitate ac sapientia et de ipsa divinitate participant. Si vero ab huiusmodi participatione negligant atque dissimulent, tunc vitio propriae desidiae alius citius, alius tardius, plus alius, alius minus, ipse sibi causa sui lapsus vel casus efficitur. Et quoniam, ut diximus, casus iste vel lapsus, quo de statu suo quisque declinat, quamplurimam in se habet diversitatem pro mentis ac propositi motibus, quod alius levius, alius gravius ad inferiora declinat: in hoc iam iustum iudicium Dei providentiae, ut unicuique secundum diversitatem motuum pro
70 merito sui decessus et commotionis occurrat. Ex his sane qui in illo initio permanserunt quod futuro fini simile esse descripsimus, quidam ex ipsis in ordinatione ac dispensatione mundi ordinem angelicum sortiuntur, alii virtutum, alii principatuum, alii potestatum, quod in eos videlicet exerceant potestatem qui habere super caput indigent potestatem; alii

28) tunc vitio — providentia] cf. fragm. l. I, p. 70.

thronorum ordinem, id est, iudicandi vel regendi eos qui hoc indigent habentes officium; alii dominationem, sine dubio super servos: quae omnia eis pro merito et profectibus suis, quibus in Dei participationem imitationemque profecerant, aequo iustoque iudicio divina contulit providentia. Hi vero qui de statu primae beatitudinis moti quidem sunt, non tamen irremediabiliter moti, illis quos supra descripsimus, sanctis beatisque ordinibus dispensandi subiecti sunt ac regendi: quorum adiutorio usi, et institutionibus ac disciplinis salutaribus reformati, redire ac restitui ad statum suae beatitudinis possint. Ex quibus existimo, prout ego sentire possum, hunc ordinem humani generis institutum, qui utique in futuro saeculo, vel supervenientibus saeculis, cum coelum novum et terra nova secundum Isaiam erit, restituetur in illam unitatem quam promittit Dominus Iesus dicens ad Deum patrem de suis discipulis: „Non pro istis rogo solum, sed et pro omnibus qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut ego in te, Pater, et tu in me, ita et isti in nobis unum sint.“ Et iterum ubi ait: „Ut sint unum, sicut et nos unum sumus, ego in ipsis, et tu in me, ut sint et ipsi consummati in uno.“ Et sicut confirmat nihilominus etiam Paulus apostolus dicens: „Donec occurramus omnes in unitatem

6) *Hi vero qui seq.*] Sive huc, sive ad lib. III, p. 136, et ad illud, quod ab Hieronymo servatum ibi in medium latine profertur, fragmentum, pertinent quae supra inter fragm. l. I. exhibuimus: *Οἶμαι δὲ δύνασθαι κ. τ. λ.* Haec eadem in compendium redacta proferuntur ab Hieronymo in ep. ad Avit. p. 762. — Ibidem haec ipsa Origenis, teste Hieronymo, verba reperiuntur, quibus certus aliquis locus in his libris assignari non potest: „In fine atque consummatione mundi, quando velut de quibusdam repagulis atque carceribus missae fuerint a Domino animae et rationabiles creaturae, alias earum tardius incedere ob segnitiem, alias pernici volare cursu propter industriam. Quumque omnes liberum habeant arbitrium, et sponte sua vel virtutes possint capere vel vitia, illae multo in peiori statu erunt quam nunc sunt; hae ad meliorem statum pervenient: quia diversi motus et variae voluntates in utramque partem diversum accipient statum, id est, ut angeli homines vel daemones, et rursum ex his homines vel angeli fiant.“ Exhibet haec Ruaeus p. 76.

16) Ies. LXVI, 22.

19) Ioh. XVII, 20. 21.

22) Ibid. 22. 23.

26) Ephes. IV, 13.

fidei in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.“ Et sicut idem apostolus iam nos etiam in praesenti vita in ecclesia positos, in qua utique futuri regni est forma, ad hanc eamdem unitatis similitudinem cohortatur dicens: „Ut eadem dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in uno eodemque sensu, atque in una eademque sententia.“

III. Sciendum tamen est quosdam qui ex uno principio, quod supra diximus, delapsi sunt, in tantam indignitatem ac malitiam se dedisse, ut indigni habiti sint institutione hac vel eruditione qua per carnem humanum genus adiutorio virtutum coelestium instituitur atque eruditur, sed e contrario etiam adversarii atque repugnantes his qui erudiuntur atque imbuuntur, existunt. Unde et agones quosdam atque certamina omnis haec habet vita mortalium, reluctantibus scilicet et repugnantibus adversum nos his qui sine ullo respectu de statu meliori delapsi sunt, qui appellantur diabolus et angeli eius, ceterique ordines malitiae, quos apostolus de virtutibus contrariis nominavit. Iam vero si aliqui ex his ordinibus qui sub principatu diaboli agunt, ac malitiae eius obtemperant, poterunt aliquando in futuris saeculis converti ad bonitatem, pro eo quod est in ipsis liberi facultas arbitrii; an vero permanens et inveterata malitia velut in naturam quamdam ex consuetudine convertatur: etiam tu qui legis probato, si omnimode neque in his quae videntur temporalibus saeculis, neque in his quae non videntur et aeterna sunt, penitus pars ista ab illa etiam finali unitate, atque convenientia discrepabit. Interim tam in his quae videntur et temporalibus saeculis, quam in illis quae non videntur et aeterna sunt, omnes isti pro ordine, pro ratione, pro modo et meritorum dignitatibus dispensantur: ut alii in primis, alii in secundis, nonnulli etiam in ultimis temporibus, et per
71 maiora ac graviora supplicia, nec non et diuturna, ac multis, ut ita dicam, saeculis tolerata, asperioribus emendationibus reparati et restituti eruditionibus

5) 1 Cor. I, 10.

24) poterunt aliquando] cf. de Princ. III, p. 154 „quod tamen non ad subitum“ et quae sequuntur.

38) diuturna] De vocis *αἰώνιος* apud Origenem potestate erudite disserit Huetius II, 11, 26. Cf. de Princ. II, p. 102 seq.

primo angelicis, tum deinde etiam superiorum graduum virtutibus, et sic per singula ad superiora provecti usque ad ea quae sunt invisibilia et aeterna perveniant, singulis videlicet quibusque coelestium virtutum officiis quadam eruditionum specie peragratis. Ex quo, ut opinor, hoc consequentia ipsa videtur ostendere, unamquamque rationabilem naturam posse ab uno in alterum ordinem transeuntem per singulos in omnes, et ab omnibus in singulos pervenire, dum accessus profectuum defectuumve varios pro motibus vel conatibus propriis unusquisque pro liberi arbitrii facultate perpetitur.

IV. Quoniam sane visibilia quaedam dicit esse Paulus et temporalia, alia vero praeter haec invisibilia et aeterna, quaerimus quomodo haec quae videntur temporalia sint: utrumne pro eo quod nihil omnino post haec erunt in omnibus illis futuri saeculi spatiis, quibus dispersio illa unius principii atque divisio ad unum et eumdem finem ac similitudinem reparetur; an pro eo quod habitus quidem eorum quae videntur transeat, non tamen eorum substantia omnimode corrumpatur. Et Paulus quidem videtur id quod posterius diximus confirmare, cum dicit: „Transit enim habitus huius mundi.“ Sed et David cum dicit: „Coeli peribunt, tu autem permanebis, et omnes sicut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, sicut vestimentum mutabuntur,“ eadem videtur ostendere. Si enim mutabuntur coeli, utique non perit quod mutatur: et si habitus mundi transit, non omnimode exterminatio vel perditio substantiae materialis ostenditur, sed immutatio quaedam fit qualitatis, atque habitus transformatio. Esaias quoque cum per prophetiam dicit, quia „erit coelum novum, et terra nova,“ similem sine dubio suggerit intellectum. Innovatio namque coeli et terrae et transmutatio habitus huius mundi, et immutatio coelorum, his sine dubio praeparabitur, qui per illam viam, quam supra ostendimus, iter agentes, ad illum finem beatitudinis tendunt, cui etiam ipsi inimici subiiciendi dicuntur, in quo fine omnia et in omnibus dicitur esse Deus. In hoc fine si quis materia-

23) 1 Cor. VII, 31.
25) Psal. CII, 27.
33) Ies. LXVI, 22.
40) in quo fine] cf. lib. III, p. 452 seq.

lem naturam, id est corpoream, penitus interituram putet, nullo omnino genere intellectui meo occurrere potest quomodo tot et tantae substantiae vitam agere et subsistere sine corporibus possunt, cum solius Dei, id est Patris et Filii et Spiritus sancti naturae id proprium sit, ut sine materiali substantia, et absque ulla corporeae adiectionis societate intelligatur subsistere. Alius fortasse dicet, quoniam in illo fine omnis substantia corporalis ita pura erit atque purgata, ut aetheris in modum et coelestis cuiusdam puritatis atque sinceritatis possit intelligi. Certius tamen qualiter se habitura sit res, scit solus Deus, et si qui eius per Christum et Spiritum sanctum amici sunt.

**Cap. VII. De incorporeis et corporeis.*)**

Haec quidem quae superius disseruimus, generali nobis sermone digesta sint, per consequentiam magis intellectuum quam definito dogmate pertractata atque discussa de rationabilibus naturis, post eum locum quem de Patre et Filio et Spiritu sancto pro nostris viribus exposuimus. Nunc ergo videamus quae sint de quibus disserere in consequentibus convenit secundum dogma nostrum, id est secundum ecclesiae fidem.

Omnes animae atque omnes rationabiles naturae factae sunt vel creatae, sive sanctae sint, sive nequam; quae omnes secundum propriam naturam incorporeae sunt: sed et per hoc ipsum quod incorporeae sunt, nihilominus factae sunt; quoniam quidem omnia a Deo per Christum facta sunt, sicut generaliter Ioannes docet in Evangelio, dicens: „In principio erat verbum et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.“ Per species autem et numeros ordinemque describens ea quae facta sunt, Paulus apostolus disserit hoc modo, quo omnia ostendat

2) nullo omnino ss.] Non genuina videntur haec si Hieronymum audiamus in ep. ad Avit. p. 762; cf. tamen quae annotavimus ad fragm. l. III, 2, et infra l. II, p. 79 seq., l. III, p. 152, ex interpretatione Hieronymi.

*) Rectius: de sole, luna et stellis.

30) Ioh. I, 1 ss.

facta esse per Christum, dicens: „Et omnia in ipso creata sunt quae in coelis sunt et quae in terra, sive visibilia, sive invisibilia, sive sedes, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes; et ipse est caput.“ Manifeste ergo in Christo et per Christum facta esse omnia et creata pronunciat, sive visibilia quae sunt corporalia, sive invisibilia, quae non alia etiam arbitror quam incorporeas spiritualesque virtutes. Horum autem quae vel corporea vel incorporea generaliter dixerat, ut mihi videtur, in sequentibus enumerat species, id est sedes, dominationes, 72 principatus, potestates, virtutes.

Haec autem a nobis praedicta sint volentibus per ordinem ad inquisitionem solis et lunae vel stellarum per consequentiam pervenire: utrum etiam ipsa inter principatus haberi conveniat pro eo quod dicuntur in *ἀρχάς*, id est, in principatum diei facta vel noctis; an putanda sint istum solum habere principatum diei ac noctis, quas illuminando officium gerunt, non tamen sint de illo ordine principatuum principes. II. Verumtamen cum dicitur quia omnia per ipsum facta sunt, et in ipso creata sunt omnia, sive quae in coelis sunt, sive quae sunt in terra, non potest dubitari quod etiam ea quae in firmamento sunt, quod coelum utique appellatur, in quo luminaria ista posita esse dicuntur, inter coelestia numerentur. Tum deinde cum omnia facta esse vel creata, et in his quae facta sunt, nihil esse quod non bonum malumque recipiat, atque utriusque capax sit, evidenter sermo disputationis invenerit: quomodo putabitur consequens quod etiam nostrorum quidam de sole et luna vel sideribus opinantur, ut inconvertibiles sint, et contrarii incapaces? Idque nonnulli etiam de sanctis angelis, haeretici vero etiam de animabus quae apud illos spiritales naturae appellantur, existimaverunt.

Primo ergo videamus quid ipsa ratio de sole et luna ac stellis inveniat, si rectum est quod quidam putant, convertibilitatis eos esse alienos; et quantum fieri potest de sanctis Scripturis primum

1) Coloss. I, 16. 17.
19) solum] cod. V., alii *solem.*
36) spiritales naturae] i. q. *φύσεις πνευματικαί*, quales Gnostici induxerant, Iren. I, 16, p. 28.

Digitized by Google

ritum sanctum nulli substantialiter inest, sed sanctitas in omni creatura accidens res est; quod autem accidit, et decidere potest; et istae virtutes contrariae immaculatae aliquando fuerunt, et inter illas utique fuerunt quae adhuc immaculatae permanent: per hoc ostenditur neque substantialiter vel naturaliter esse aliquem immaculatum, neque substantialiter esse pollutum. Et per hoc consequens est in nobis esse, atque in nostris motibus, ut vel beati vel sancti simus, vel per desidiam et negligentiam a beatitudine in malitiam et perditionem vergamus in tantum ut nimius profectus, ut ita dixerim, malitiae, si quis in tantum sui neglexerit, usque ad eum statum deveniat, ut ea quae dicitur contraria virtus efficiatur.

**Cap. VI. De fine vel consummatione.**

**69** Finis vel consummatio, rerum perfectarum consummatarumque esse videtur indicium. Quae res etiam nos in hoc loco commonet, quod ad haec tam ardua et difficilia intelligenda, si quis ille est qui legendi horum et talia cognoscendi desiderium ceperit, perfectum et eruditum sensum debet adhibere; ne forte si aut nullum usum in huiuscemodi quaestionibus habuit, vana quaedam haec illi et superflua videantur; aut si iam praeiudicatum et praeventum in aliis animum gerit, haeretica haec et contra fidem ecclesiasticam putet, non tam ratione convincens, quam animi sui praeiudicio definiens. Quae quidem a nobis etiam cum magno metu et cantela dicuntur,

8) „Quibus moti disputationibus arbitrantur sua sponte alios esse in numero sanctorum et ministerio Dei; alios ob culpam propriam de sanctimonia corruentes, in tantam negligentiam corruisse, ut etiam in contrarias fortitudines verterentur.“ Hieronymo interprete in ep. ad Avit. p. 761. Omisit autem Rufinus in antecedentibus, si Hieronymo fides, haec: „Grandis negligentiae atque desidiae est, in tantum unumquemque defluere atque evacuari, ut ad vitia perveniens irrationabilium iumentorum possit crasso corpore colligari.“ Hier. l. c. Cf. infra p. 76.

21) perfectum etc.] i. e. *πνευματικῶς*, non *σαρκικῶς* sentire, variaque eruditione subactum esse.

28) cum magno metu] Cf. Tom. XXVIII in Ioh. p. 379, ubi de suppliciis aeternis disserens, *οὐ δοκεῖ δέ μοι*, inquit, *ἀσφαλὲς εἶναι — μάλιστα τῷ μὴ γεγράφθαι περὶ αὐτοῦ, ἀποφήνασθαι.*

discutientibus magis et pertractantibus, quam pro certo ac definito statuentibus. Indicatum namque a nobis in superioribus est, quae sint de quibus manifesto dogmate terminandum sit; quod et pro viribus nos fecisse puto, cum de Trinitate loqueremur. Nunc autem disputandi specie magis quam definiendi, prout possumus, exercemur. Finis ergo mundi et consummatio dabitur, cum unusquisque pro merito peccatorum etiam poenis subiicietur: quod tempus Deus solus agnoscit, quando unusquisque quod meretur, expendet. In unum sane finem putamus quod bonitas Dei per Christum suum universam revocet creaturam, subactis et subditis etiam inimicis. Sic enim dicit sancta Scriptura: „Dixit Dominus domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.“ Quod si minus nobis manifestum est quid in hoc indicet propheticus sermo, Paulo apostolo discamus apertius dicente, quod „oportet Christum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis.“ Quod si ne ista quidem apostoli tam aperta sententia satis nos edocuit quid sit inimicos poni sub pedibus, audi adhuc eum in consequentibus: „Oportet enim ei omnia esse subiecta.“ Quae ergo est subiectio qua Christo debent esse omnia subiecta? Ego arbitror quia haec ipsa qua nos quoque optamus ei esse subiecti, qua subiecti ei sunt et apostoli et omnes sancti qui secuti sunt Christum. Subiectionis enim nomen qua Christo subiicimur, salutem quae a Christo est indicat subiectorum: sicut et David dicebat: „Nonne Deo

1) discutientibus etc.] Singularis erat in ecclesia sentiendi libertas, antequam hierarchia iubente liberalior theologia prorsus e medio tolleretur.

4) quod et seq.] Suspecta haec: sequitur enim *Trinitas*.

6) disputandi magis] „Aliud est *γυμναστικῶς* scribere, aliud *δογματικῶς*. In priori vagam esse disputationem, et adversario respondentem nunc haec nunc illa proponere, argumentari ut libet, aliud loqui, aliud intelligere. In sequenti autem aperta frons, et, ut ita dicam, ingenuitas necessaria est.“ Hieron. in ep. ad Pammach. 30. Eadem Origenes, ut libri c. Celsum satis superque testantur, licere sibi persuaserat, v. Mosheim de rebus Christ. p. 609. Quid mirum, quod disputando haeretici porro ab errore revocati fuerint.

14) Psal. CX, 1.

19) 1 Cor. XV, 25.

23) Ibid. 26.

30) Psal. LXI, 1.

subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum."

II. Talem igitur finem videntes, cum omnes inimici subiecti erunt Christo, et cum novissimus inimicus destruetur mors, et cum tradetur a Christo cui omnia subiecta sunt, regnum Deo patri: ab isto, inquam, tali fine rerum contemplemur initia. Semper enim similis est finis initiis: et ideo sicut unus omnium finis, ita unum omnium intelligi debet initium; et sicut multorum unus finis, ita ab uno initio multae differentiae ac varietates, quae rursum per bonitatem Dei, et subiectionem Christi, atque unitatem Spiritus sancti in unum finem qui sit initio similis revocantur: omnes scilicet hi qui, in nomine Iesu genu flectentes, per hoc ipsum subiectionis suae insignia declararunt; qui sunt coelestium, terrestrium et infernorum: in quibus tribus significationibus omnis universitas indicatur, hi videlicet qui ab illo uno initio pro suis unusquisque motibus et varietatibus per diversos ordines pro merito dispensati sunt; non enim in his bonitas substantialiter inerat, sicut in Deo et Christo eius, et in Spiritu sancto. In hac enim sola Trinitate, quae est auctor omnium, bonitas substantialiter inest: ceteri vero accidentem eam ac decidentem habent, et tunc sunt in beatitudine, cum de sanctitate ac sapientia et de ipsa divinitate participant. Si vero ab huiusmodi participatione negligant atque dissimulent, tunc vitio propriae desidiae alius citius, alius tardius, plus alius, alius minus, ipse sibi causa sui lapsus vel casus efficitur. Et quoniam, ut diximus, casus iste vel lapsus, quo de statu suo quisque declinat, quamplurimam in se habet diversitatem pro mentis ac propositi motibus, quod alius levius, alius gravius ad inferiora declinat: in hoc iam iustum iudicium Dei providentiae, ut unicuique secundum diversitatem motuum pro
70 merito sui decessus et commotionis occurrat. Ex his sane qui in illo initio permanserunt quod futuro fini simile esse descripsimus, quidam ex ipsis in ordinatione ac dispensatione mundi ordinem angelicum sortiuntur, alii virtutum, alii principatuum, alii potestatum, quod in eos videlicet exerceant potestatem qui habere super caput indigent potestatem; alii

28) tunc vitio — providentia] cf. fragm. l. I, p. 70.

Digitized by Google

thronorum ordinem, id est, iudicandi vel regendi eos qui hoc indigent habentes officium; alii dominationem, sine dubio super servos: quae omnia eis pro merito et profectibus suis, quibus in Dei participationem imitationemque profecerant, aequo iustoque iudicio divina contulit providentia. Hi vero qui de statu primae beatitudinis moti quidem sunt, non tamen irremediabiliter moti, illis quos supra descripsimus, sanctis beatisque ordinibus dispensandi subiecti sunt ac regendi: quorum adiutorio usi, et institutionibus ac disciplinis salutaribus reformati, redire ac restitui ad statum suae beatitudinis possint. Ex quibus existimo, prout ego sentire possum, hunc ordinem humani generis institutum, qui utique in futuro saeculo, vel supervenientibus saeculis, cum coelum novum et terra nova secundum Isaiam erit, restituetur in illam unitatem quam promittit Dominus Iesus dicens ad Deum patrem de suis discipulis: „Non pro istis rogo solum, sed et pro omnibus qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut ego in te, Pater, et tu in me, ita et isti in nobis unum sint." Et iterum ubi ait: „Ut sint unum, sicut et nos unum sumus, ego in ipsis, et tu in me, ut sint et ipsi consummati in uno." Et sicut confirmat nihilominus etiam Paulus apostolus dicens: „Donec occurramus omnes in unitatem

6) Hi vero qui seq.] Sive huc, sive ad lib. III, p. 136, et ad illud, quod ab Hieronymo servatum ibi in medium latine profertur, fragmentum, pertinent quae supra inter fragm. l. l. exhibuimus: *Οἶμαι δὲ δύνασθαι κ. τ. λ.* Haec eadem in compendium redacta proferuntur ab Hieronymo in ep. ad Avit. p. 762. — Ibidem haec ipsa Origenis, teste Hieronymo, verba reperiuntur, quibus certus aliquis locus in his libris assignari non potest: „In fine atque consummatione mundi, quando velut de quibusdam repagulis atque carceribus missae fuerint a Domino animae et rationabiles creaturae, alias earum tardius incedere ob segnitiem, alias pernici volare cursu propter industriam. Quumque omnes liberum habeant arbitrium, et sponte sua vel virtutes possint capere vel vitia, illae multo in peiori statu erunt quam nunc sunt; hae ad meliorem statum pervenient: quia diversi motus et variae voluntates in utramque partem diversum accipient statum, id est, ut angeli homines vel daemones, et rursum ex his homines vel angeli fiant." Exhibet haec Ruaeus p. 76.

16) Ies. LXVI, 22.

19) Ioh. XVII, 20. 21.

22) Ibid. 22. 23.

26) Ephes. IV, 13.

fidei in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi." Et sicut idem apostolus iam nos etiam in praesenti vita in ecclesia positos, in qua utique futuri regni est forma, ad hanc eamdem unitatis similitudinem cohortatur dicens: „Ut eadem dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in uno eodemque sensu, atque in una eademque sententia."

III. Sciendum tamen est quosdam qui ex uno principio, quod supra diximus, delapsi sunt, in tantam indignitatem ac malitiam se dedisse, ut indigni habiti sint institutione hac vel eruditione qua per carnem humanum genus adiutorio virtutum coelestium instituitur atque eruditur, sed e contrario etiam adversarii atque repugnantes his qui erudiuntur atque imbuuntur, existunt. Unde et agones quosdam atque certamina omnis haec habet vita mortalium, reluctantibus scilicet et repugnantibus adversum nos his qui sine ullo respectu de statu meliori delapsi sunt, qui appellantur diabolus et angeli eius, ceterique ordines malitiae, quos apostolus de virtutibus contrariis nominavit. Iam vero si aliqui ex his ordinibus qui sub principatu diaboli agunt, ac malitiae eius obtemperant, poterunt aliquando in futuris saeculis converti ad bonitatem, pro eo quod est in ipsis liberi facultas arbitrii; an vero permanens et inveterata malitia velut in naturam quamdam ex consuetudine convertatur: etiam tu qui legis probato, si omnimodo neque in his quae videntur temporalibus saeculis, neque in his quae non videntur et aeterna sunt, penitus pars ista ab illa etiam finali unitate, atque convenientia discrepabit. Interim tam in his quae videntur et temporalibus saeculis, quam in illis quae non videntur et aeterna sunt, omnes isti pro ordine, pro ratione, pro modo et meritorum dignitatibus dispensantur: ut alii in primis, alii in secundis, nonnulli etiam in ultimis temporibus, et per
71 maiora ac graviora supplicia, nec non et diuturna, ac multis, ut ita dicam, saeculis tolerata, asperioribus emendationibus reparati et restituti eruditionibus

5) 1 Cor. I, 10.

24) poterunt aliquando] cf. de Princ. III, p. 154 „quod tamen non ad subitum" et quae sequuntur.

38) diuturna] De vocis αἰώνιος apud Origenem potestate erudite disserit Huetius II, 11, 26. Cf. de Princ. II, p. 102 seq.

primo angelicis, tum deinde etiam superiorum graduum virtutibus, et sic per singula ad superiora provecti usque ad ea quae sunt invisibilia et aeterna perveniant, singulis videlicet quibusque coelestium virtutum officiis quadam eruditionum specie peragratis. Ex quo, ut opinor, hoc consequentia ipsa videtur ostendere, unamquamque rationabilem naturam posse ab uno in alterum ordinem transeuntem per singulos in omnes, et ab omnibus in singulos pervenire, dum accessus profectuum defectuumve varios pro motibus vel conatibus propriis unusquisque pro liberi arbitrii facultate perpetitur.

Quoniam sane visibilia quaedam dicit esse Paulus et temporalia, alia vero praeter haec invisibilia et aeterna, quaerimus quomodo haec quae videntur temporalia sint: utrumne pro eo quod nihil omnino post haec erunt in omnibus illis futuri saeculi spatiis, quibus dispersio illa unius principii atque divisio ad unum et eumdem finem ac similitudinem reparetur; an pro eo quod habitus quidem eorum quae videntur transeat, non tamen eorum substantia omnimode corrumpatur. Et Paulus quidem videtur id quod posterius diximus confirmare, cum dicit: „Transit enim habitus huius mundi.“ Sed et David cum dicit: „Coeli peribunt, tu autem permanebis, et omnes sicut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, sicut vestimentum mutabuntur,“ eadem videtur ostendere. Si enim mutabuntur coeli, utique non perit quod mutatur: et si habitus mundi transit, non omnimode exterminatio vel perditio substantiae materialis ostenditur, sed immutatio quaedam fit qualitatis, atque habitus transformatio. Esaias quoque cum per prophetiam dicit, quia „erit coelum novum, et terra nova,“ similem sine dubio suggerit intellectum. Innovatio namque coeli et terrae et transmutatio habitus huius mundi, et immutatio coelorum, his sine dubio praeparabitur, qui per illam viam, quam supra ostendimus, iter agentes, ad illum finem beatitudinis tendunt, cui etiam ipsi inimici subiiciendi dicuntur, in quo fine omnia et in omnibus dicitur esse Deus. In hoc fine si quis materia- IV.

23) 1 Cor. VII, 31.
25) Psal. CII, 27.
33) Ies. LXVI, 22.
40) in quo fine] cf. lib. III, p. 452 seq.

lem naturam, id est corpoream, penitus interituram putet, nullo omnino genere intellectui meo occurrere potest quomodo tot et tantae substantiae vitam agere et subsistere sine corporibus possunt, cum solius Dei, id est Patris et Filii et Spiritus sancti naturae id proprium sit, ut sine materiali substantia, et absque ulla corporeae adiectionis societate intelligatur subsistere. Alius fortasse dicet, quoniam in illo fine omnis substantia corporalis ita pura erit atque purgata, ut aetheris in modum et coelestis cuiusdam puritatis atque sinceritatis possit intelligi. Certius tamen qualiter se habitura sit res, scit solus Deus, et si qui eius per Christum et Spiritum sanctum amici sunt.

Cap. VII. De incorporeis et corporeis.*)

Haec quidem quae superius disseruimus, generali nobis sermone digesta sint, per consequentiam magis intellectuum quam definito dogmate pertractata atque discussa de rationabilibus naturis, post eum locum quem de Patre et Filio et Spiritu sancto pro nostris viribus exposuimus. Nunc ergo videamus quae sint de quibus disserere in consequentibus convenit secundum dogma nostrum, id est secundum ecclesiae fidem.

Omnes animae atque omnes rationabiles naturae factae sunt vel creatae, sive sanctae sint, sive nequam; quae omnes secundum propriam naturam incorporeae sunt: sed et per hoc ipsum quod incorporeae sunt, nihilominus factae sunt; quoniam quidem omnia a Deo per Christum facta sunt, sicut generaliter Ioannes docet in Evangelio, dicens: „In principio erat verbum et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.“ Per species autem et numeros ordinemque describens ea quae facta sunt, Paulus apostolus disserit hoc modo, quo omnia ostendat

2) nullo omnino ss.] Non genuina videntur haec si Hieronymum audiamus in ep. ad Avit. p. 762; cf. tamen quae annotavimus ad fragm. l. III, 2, et infra l. II, p. 79 seq., l. III, p. 152, ex interpretatione Hieronymi.

*) Rectius: de sole, luna et stellis.

30) Ioh. I, 1 ss.

facta esse per Christum, dicens: „Et omnia in ipso
creata sunt quae in coelis sunt et quae in terra, sive
visibilia, sive invisibilia, sive sedes, sive dominatio-
nes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum
et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes; et
ipse est caput.“ Manifeste ergo in Christo et per
Christum facta esse omnia et creata pronunciat, sive
visibilia quae sunt corporalia, sive invisibilia, quae
non alia etiam arbitror quam incorporeas spiritua-
lesque virtutes. Horum autem quae vel corporea
vel incorporea generaliter dixerat, ut mihi videtur,
in sequentibus enumerat species, id est sedes, domi- 72
nationes, principatus, potestates, virtutes.

Haec autem a nobis praedicta sint volentibus
per ordinem ad inquisitionem solis et lunae vel stel-
larum per consequentiam pervenire: utrum etiam
ipsa inter principatus haberi conveniat pro eo quod
dicuntur in ἀρχάς, id est, in principatum diei facta
vel noctis; an putanda sint istum solum habere prin-
cipatum diei ac noctis, quas illuminando officium
gerunt, non tamen sint de illo ordine principatuum
principes. Verumtamen cum dicitur quia omnia per II.
ipsum facta sunt, et in ipso creata sunt omnia, sive
quae in coelis sunt, sive quae sunt in terra, non
potest dubitari quod etiam ea quae in firmamento
sunt, quod coelum utique appellatur, in quo lumina-
ria ista posita esse dicuntur, inter coelestia numeren-
tur. Tum deinde cum omnia facta esse vel creata,
et in his quae facta sunt, nihil esse quod non bonum
malumque recipiat, atque utriusque capax sit, evi-
denter sermo disputationis invenerit: quomodo puta-
bitur consequens quod etiam nostrorum quidam de
sole et luna vel sideribus opinantur, ut inconvertibi-
les sint, et contrarii incapaces? Idque nonnulli etiam
de sanctis angelis, haeretici vero etiam de animabus
quae apud illos spiritales naturae appellantur, existi-
maverunt.

Primo ergo videamus quid ipsa ratio de sole
et luna ac stellis inveniat, si rectum est quod qui-
dam putant, convertibilitatis eos esse alienos; et
quantum fieri potest de sanctis Scripturis primum

1) Coloss. I, 16. 17.
19) solum] cod. V., alii *solem*.
36) spiritales naturae] i. q. φύσεις πνευματικαὶ, quales Gnostici induxerant, Iren. I, 16, p. 28.

Digitized by Google

adhibeatur assertio. Iob namque ita videtur ostendere, quod non solum stellae possunt esse subditae peccatis, verum etiam quod mundae non sint a contagione peccati. Ita namque scriptum est: „Stellae quoque non sunt mundae in conspectu eius.“ Quod non utique de corporis earum splendore sentitur; verbi causa, ut si diceremus: Vestimentum non est mundum: quod si ita intelligatur, ad conditoris sine dubio revocatur iniuriam, si quid immundum in splendore earum corporis accusetur. Si enim per industriam suam neque lucidius sibi corpus assumere, neque minus purum per desidiam poterunt, cur quasi non mundae stellae culpentur, si neque, quia mundae sunt, laudabuntur?

III. Sed ut haec manifestius intelligi possint, etiam illud primo debemus inquirere, si animantia haec esse et rationabilia intelligi fas est; tum deinde utrum animae ipsarum pariter cum suis corporibus exstiterunt, an anteriores suis corporibus videantur; sed et post consummationem saeculi si intelligendum est eas relaxandas esse corporibus, et sicut nos cessamus ab hac vita, si ita etiam ipsae a mundi illuminatione cessabunt. Quamvis hoc inquirere audaciae cuiusdam videatur, quoniam tamen captandae veritatis studio provocamur, quae possibilia nobis sunt, secundum gratiam Spiritus sancti scrutari et pertentare non videtur absurdum.

Putamus ergo posse ea per hoc animantia designari, quod et mandata dicuntur accipere a Deo, quod utique non nisi rationabilibus animantibus fieri solet. Ait ergo: „Mandatum ego omnibus stellis praecepi.“ Quae autem sunt ista praecepta? scilicet ut unumquodque astrum suo ordine suisque cursibus indultae sibi quantitatis splendorem praebeat mundo. Aliis enim qui vocantur planetae moventur ordinibus, aliis hi quos ἀπλανεῖς vocant. In quo id mani-

4) Hiob XXV, 5. Haec fortasse ὑπερβολικῶς dicta esse, docetur Tom. I in Ioh. p. 42. Itaque Moshemius de rebus Christ. p. 613, 662 statuit, alias ex animarum numero recte et sapienter se gessisse, antequam hic conderetur mundus, nulliusque peccati reas teneri; alias peccasse vel gravius, vel levius. Rectius Guerike de schola Alex. II, p. 212 leviter multos, peccasse tamen omnes. Neque ipsa anima Christi prorsus excipienda videtur, cf. l. II, p. 95.

31) Ies. XLV, 2.

festissime ostenditur, quod neque motus illius corporis sine anima effici potest; neque quae animantia sunt possunt aliquando esse sine motu. Stellae vero cum tanto ordine ac tanta ratione moveantur, ut in nullo prorsus cursus earum aliquando visus sit impeditus, quomodo non est ultra omnem stoliditatem tantum ordinem tantamque disciplinae ac rationis observantiam dicere ab irrationabilibus exigi vel expleri? Apud Hieremiam sane etiam regina coeli luna esse nominatur. Quod si animantes sunt stellae, et rationabiles animantes, sine dubio videbitur inter eas et profectus aliquis et decessus. Hoc enim quod ait Iob: „Stellae non sunt mundae in conspectu eius,“ talem mihi quemdam videtur indicare intellectum.

IV.

Iam vero ea quae animantia esse et rationabilia, consequentia disputationis invenit, utrum cum corporibus pariter animata videantur eo tempore, cum dicit Scriptura quia „fecit Deus duo luminaria magna, et luminare maius in principatum diei, et luminare minus in principatum noctis, et stellas:“ an non cum ipsis corporibus, sed extrinsecus factis iam corporibus inseruit spiritum, pervidendum est. Ego quidem suspicor extrinsecus insertum esse spiritum, sed operae pretium videbitur de Scripturis hoc osten-

5) sit impeditus] Epicycliorum ope astrologi veteres planetarum cursus retrogrados et abnormes, quantum eius hac adhibita ratione fieri potuit, ad ordinem et leges certas revocare nitebantur, Ukert Geogr. d. Griechen u. Röm. I, 2, p. 133, 150. Sunt autem epicyclia orbiculi super sphaeras affixi, qui, his rotantibus proprio suo utuntur motu. — De Christianorum veterum quarti et subsequentium saeculorum astronomia v. Mannert Geogr. d. Griechen u. Röm. ed. 3, I, p. 188.

7) tantamque disciplinae] Sunt enim astra ζῶα λογικὰ καὶ σπουδαῖα καὶ φωτισθέντα τῷ φωτὶ τῆς γνώσεως ὑπὸ τῆς σοφίας, ἥτις ἐστὶν ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου, i. e. Filius Dei, c. Cels. V, p. 585; cf. Tom. XIII in Matth. p. 598. Laudes et preces offerunt Deo per unigenitum eius Filium Comment. in Ps. p. 587.

9) Ierem. VII, 18.

10) Viam praemonstravisse in hoc de astris placito Origeni Platonem in Tim., Thaletem, Pythagoram, Stoicos, alios, docet Huetius II, 8, 4. Terram vero corpus esse anima et sensu carens, et locum Ierem. XII, 4 ad angelum terrae adsistentem referri oportere, asseritur hom. X in Ierem. p. 186. — Fontes totius huius de astris sententiae in antiquissimis cultibus ad sidera pertinentibus latere videntur.

13) Hiob XXV, 5.

18) Gen. I, 16.

dere. Nam per coniecturam facilis assertio esse videbitur: Scripturarum autem testimoniis utique difficilius affirmatur. Nam per coniecturas ita possibile est ostendi. Si hominis anima, quae utique inferior est dum hominis anima est, non cum corporibus ficta,
73 sed extrinsecus proprie probatur inserta, multo magis eorum animantium quae coelestia designantur. Nam quantum ad homines spectat, quomodo cum corpore simul ficta anima videbitur eius qui in ventre suum fratrem supplantavit, id est Iacob? Aut quomodo simul cum corpore ficta est anima vel plasmata eius qui, adhuc in ventre matris suae positus, repletus est Spiritu sancto? Ioannem dico tripudiantem in utero matris, et magna se exsultatione iactantem pro eo quod salutationis vox Mariae ad aures Elizabeth suae matris advenerat. Quomodo cum corpore simul ficta est et plasmata etiam illius anima, qui antequam in utero formaretur, notus esse Deo dicitur, et antequam de vulva procederet, sanctificatus est ab eo? Ne forte non iudicio, nec pro meritis replere aliquos Deus videatur Spiritu sancto, et sanctificare non merito. Et quomodo effugiemus illam vocem quae ait: „Numquid iniustitia est apud Deum? Absit." Vel illud: „Numquid personarum acceptio est apud Deum?" Hoc enim consequitur eam defensionem, quae animas subsistere simul cum corporibus asseverat. Quantum ergo ex comparatione humani status concipi potest, consequens puto multo magis haec de coelestibus sentienda, quae etiam in hominibus ratio ipsa et Scripturae auctoritas videtur ostendere.

V. Sed videamus si quam proprie etiam de ipsis coelestibus significantiam iam apud Scripturam sanctam possimus invenire. Paulus apostolus ait ita, quoniam, inquit, „vanitati creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit in spe, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in

1) per coniecturam] i. e. *a priori*, quod nos dicimus.

9) Gen. XXV, 22.

15) Luc. I, 41.

17) Ierem. I, 5.

23) Rom. IX, 14.

24) Ibid. II, 11.

27) Quantum — ostendere] cf. fragm. I, I, p. 73.

35) Rom. VIII, 20. 21. *Vanitati*, „ignitis videlicet corporibus" Hieron. in ep. ad Pammach. p. 316. Subiectionem (καταβολήν) ad creationem mundi referre solet Origenes.

libertatem gloriae filiorum Dei." Cui obsecro vanitati creatura subiecta est, vel quae creatura, vel quomodo non volens, vel sub qua spe? quo autem modo ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis? Sed et alibi ipse apostolus ait: „Nam exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat." Et iterum alibi ait: „Non solum autem nos, sed et ipsa creatura congemiscit, et condolet usque nunc." Unde inquirendum est qui sit gemitus, vel qui sint dolores eius. Et primo ergo videamus quae est vanitas cui creatura subiecta est. Ego quidem arbitror non esse aliam vanitatem quam corpora: nam licet aethereum sit corpus astrorum tamen est materiale. Unde et Salomon mihi universam corpoream naturam velut onerosam quodammodo, et vigorem spirituum retardantem hoc modo videtur appellare: „Vanitas vanitatum et omnia vanitas, dixit Ecclesiastes. Omnia vanitas: respexi enim," inquit, „et vidi universa quae sub sole sunt, et ecce omnia vanitas." Huic ergo vanitati creatura subiecta est, illa praecipue creatura quae utique maximum in hoc mundo et egregium operis sui obtinet principatum; id est, sol et luna et stellae vanitati subiecta dicuntur, corporibus indita, atque ad illuminandi officium humano generi deputata. „Et non," inquit, „volens creatura haec vanitati subiecta est." Non enim voluntate exhibendum suscepit ministerium vanitati, sed quoniam volebat ille qui subiiciebat, propter eum qui subiecit, promittentem his qui non voluntate vanitati subdebantur, quod expleto magnifici operis ministerio liberabuntur ab hac servitute corruptionis et vanitatis, cum redemptionis gloriae filiorum Dei tempus advenerit. Qua spe accepta, et quam promissionem complendam sperans universa creatura congemiscit nunc interim utpote etiam affectum habens erga eos quibus ministrat, et condolet per patientiam, quae promissa sunt sperans. Intuere etiam illud, si forte

5) Rom. VIII, 19.

7) Ibid. 23.

13) tamen est materiale] cf. fragm. l. III, 2. Origenes in Comment. ad Rom. VIII, 20 *vanitatem*, inquit, *appellari corpus illud* (*siderum*) *aethereum*. Minus graviter quam homines, gravius quam angeli astra peccaverunt. Itaque animam in corpore inclusam habent, Tom. I in Ioh. p. 18, quum angeli merae fere sint animae.

16) Eccles. I, 1 et 14.

25) Rom. VIII, 20.

aptari potest illa vox Pauli his qui licet non volentes, pro voluntate tamen eius qui subiecit, et pro repromissionum spe vanitati subiecti sunt, qua ait: „Optarem enim resolvi," vel „redire, et esse cum Christo: multo enim melius." Puto enim quia similiter possit etiam sol dicere quia „optarem resolvi" vel „redire et esse cum Christo: multo enim melius." Et Paulus quidem addit: „Sed permanere in carne magis necessarium propter vos;" sol vero potest dicere: Permanere autem in hoc coelesti et lucido corpore magis necessarium, propter revelationem filiorum Dei. Eadem sane etiam de luna et stellis sentienda sunt et dicenda.

74 Videamus nunc quae sit etiam libertas creaturae, vel quae absolutio servitutis. Cum tradiderit Christus regnum Deo et Patri, tunc etiam ista animantia cum prius regnum Christi fuerint effecta, simul cum omni regno etiam Patri regnanda tradentur: ut cum Deus erit omnia in omnibus, etiam ista cum sint ex omnibus, sit et in istis Deus sicut in omnibus.

Cap. VIII.
De angelis. Simili quoque ratione etiam de angelis utendum puto, nec existimandum quoniam fortuito accidat, ut illi angelo illud iniungatur officium, verbi gratia, ut Raphaëlo curandi et medendi opus, Gabrielo bellorum providentia, Michaëlo mortalium preces supplicationesque curare. Haec enim officia promeruisse eos non aliter putandum est, quam ex suis quemque meritis et pro studiis ac virtutibus quae ante

4) Philip. I, 23 s. Cf. fragm. l. I, p. 73, quod pertinet abhinc usque ad *et dicenda*.

17) regnum Christi] cf. 1 Cor. XV, 24.

26) Angelorum hic est ordo: *θεοὶ, θρόνοι, ἀρχαί*; de iis, qui hunc tertium excipiant gradum, non iam *χωρὶς διαστάσεως* dicere licet, Tom. I in Ioh. p. 35. „Quisquis autem in arcana nominum disciplina versatus fuerit, reperiet indita illis fuisse nomina convenientia rebus, quas Dei summi voluntate in universo mundo administrant, c. Cels. I, p. 343; cf. notam Moshemii ad h. l. p. 58 (Uebersetzung d. BB. g. Cels.) et Spencerum ad c. Cels. VI, p. 653. — De necessitate inter Origenis angelologiam et iunioris philosophiae platonicae de daemonibus placitis v. Moshemium de rebus Christ. p. 616. In mente vero fuisse Origeni religionem popularem eadem, qua philosophiam, ratione cum christianis dogmatibus sociare (ib. p. 615), vix aliquis credat.

mundi huius compagem gesserint, suscepisse: tum deinde in archangelico ordine illud vel illud officii genus unicuique deputatum; alios vero in angelorum ordine meruisse describi, et agere sub illo archangelo, vel illo duce, vel principe ordinis sui. Quae omnia, ut dixi, non fortuito atque indiscrete, sed aptissimo et iustissimo Dei iudicio ordinata sunt, et pro meritis disposita ipso iudicante et probante: ut illi quidem angelo Ephesiorum committi ecclesia debeat, illi vero alii Smyrnensium; et ille quidem angelus ut sit Petri, alius ut sit Pauli: tum demum per singulos minimorum qui sunt in ecclesia, qui vel qui adscribi singulis debeant angeli, qui etiam quotidie videant faciem Dei: sed et quis debeat esse angelus qui circumdet in circuitu timentium Deum. Quae utique omnia non casu neque fortuito geri, neque quia naturaliter tales facti sunt, existimandum est, ne etiam in hoc factoris inaequalitas accusetur: sed pro meritis et virtutibus ac pro uniuscuiusque vigore et ingenio deferri a iustissimo et aequissimo moderatore omnium credendum est Deo.

II. De his vero qui naturas esse spiritales diversas affirmant, aliquid dicamus, ne forte incurramus in illas ineptas atque impias fabulas eorum qui naturas spiritales diversas et ob hoc a diversis conditoribus institutas, tam in coelestibus quam etiam inter animas hominum fingunt: dum et uni eidemque conditori diversas naturas rationabilium creaturarum adscribi videtur absurdum, sicut vere absurdum est, et causam tamen eius diversitatis ignorant. Aiunt enim consequens non videri ut unus atque idem conditor, nulla exstante causa meritorum, aliis potestatem dominationis iniungat, alios subiiciat dominantibus, aliis tribuat principatum, alios subiectos faciat principibus esse. Quae utique omnia, ut ego existimo, consequentia rationis huius quam supra exposuimus, redarguit atque confutat, per quam causa diversitatis ac varietatis in singulis quibusque creaturis ostenditur ex ipsarum motibus vel ardentioribus, vel pigrioribus, secundum virtutem, vel secundum malitiam, non ex dispensantis inaequalitate descen-

9) committi ecclesia] Vide Huetium II, 5, 27, et hom. XXIII in Luc. p. 961.

11) Cf. Act. XII.

15) Psal. XXXIV, 8.

dere. Sed quo facilius haec ita esse in coelestibus agnoscantur, de his quae inter homines gesta sunt, vel geruntur, proferamus exempla, ut consequenter ex visibilibus etiam invisibilia contemplemur.

Paulum vel Petrum sine dubio spiritalis naturae fuisse confirmant. Cum ergo contra pietatem Paulus egisse inveniatur, in eo quod persecutus est ecclesiam Dei; cumque Petrus peccatum tam grave commiserit, ut ancilla ostiaria interrogante se cum iuramento affirmarit nescire se quis sit Christus: quomodo isti, qui secundum illos spiritales sunt, in peccata huiusmodi corruerunt; maxime cum soleant frequenter asserere, et dicere quoniam „non potest arbor bona malos fructus facere?“ Et si utique arbor bona non potest fructus malos facere, secundum ipsos vero de radice bonae arboris erant Petrus et Paulus, quomodo istos fructus tam pessimos attulisse putandi sunt? Quod si responderint ea quae comminisci solent, quoniam non Paulus persecutus est, sed alius nescio quis qui erat in Paulo; neque Petrus negavit, sed alius negavit in Petro: quare Paulus si nihil peccaverat, dixit quia „non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei?“ Cur autem et Petrus alio peccante ipse flevit amarissime? Ex quo omnes quidem illorum ineptiae arguentur.

III. Secundum nos vero nihil est in omni rationabili creatura, quod non tam boni quam mali sit capax. Sed non continuo, quia dicimus nullam esse naturam quae non possit recipere malum, idcirco confirmamus omnem naturam recepisse malum, id est malam effectam: sicut est dicere quod omnis hominis natura recipit ut possit navigare, non tamen ex eo etiam omnis homo navigabit; et iterum omni
75 homini possibile est discere artem grammaticam, vel medicinam, non tamen idcirco ostenditur omnis homo vel medicus esse, vel grammaticus: ita si dicimus nullam esse naturam quae non possit recipere malum, non tamen continuo etiam recepisse malum designatur. Secundum nos namque ne diabolus qui-

6) Galat. I, 13.
9) Matth. XXVI, 72.
13) Ibid. VII, 18.
22) 1 Cor. XV, 9.

27) Secundum — designatur] Ap. Pamph. p. 26.
40) ne diabolus etc.] „Aliud forte vidit in graeco Hieronymus, qui in

Digitized by Google

dem ipse incapax fuit boni, non tamen idcirco quia potuit recipere bonum, etiam voluit, vel virtuti operam dedit. Sicut enim per haec, quae de prophetis exempla protulimus, edocetur, fuit aliquando bonus, cum in paradiso Dei in medio Cherubim versaretur. Sicut ergo iste habuit quidem in se vel virtutis recipiendae vel malitiae facultatem, et a virtute declinans tota se mente convertit ad malum: ita etiam ceterae creaturae cum utriusque habeant facultatem, pro arbitrii libertate fugientes malum, adhaerent bono. Nulla igitur natura est quae non recipiat bonum vel malum, excepta Dei natura quae bonorum omnium fons est, et Christi; sapientia enim est, et sapientia utique stultitiam recipere non potest; et iustitia est, iustitia autem numquam profecto iniustitiam capiet; et verbum est, vel ratio, quae utique irrationabilis effici non potest; sed et lux est, et lucem certum est quod tenebrae non comprehendant. Similiter quoque et natura Spiritus sancti, quae sancta est, non recipit pollutionem: naturaliter enim, vel substantialiter sancta est. Si qua autem alia natura sancta est, ex assumtione hoc vel inspiratione Spiritus sancti habet ut sanctificetur, non ex sua natura hoc possidens, sed accidens sibi, propter quod et decidere potest quod accidit. Ita et accidentem iustitiam quis habere potest, unde et decidere eam possibile est. Sed et sapientiam quis accidentem nihilominus habet, quamvis in nostra positum sit potestate, studio nostro et vitae merito, si sapientiae operam damus, effici sapientes, et si semper id studii geramus semper sapientiae participemus, et id nobis vel plus vel minus accidat, sive pro merito vitae, sive pro studii quantitate. Benignitas enim Dei, secundum quod se dignum est, provocat omnia

ep. ad Avitum refert Origenem asseruisse *diabolum non incapacem esse virtutis, et tamen necdum velle capere virtutem,* quasi innueret, fore ut aliquando velit capere diabolus virtutem." Ruaeus. Sane persuaserat sibi Origenes, novissimam quae destruenda esset inimicam *mortem* (1 Cor. XV, 26), esse diabolum, de Princ. III, p. 154. Quia enim peccandi iam modum excessit, non corripitur et flagellatur in hoc saeculo, sed omnia ei servata sunt in futurum, hom. VIII in Exod. p. 161. *Οὐσία* autem diaboli eadem est, quae angelorum bonorum, sicut eadem oculi sani et oculi perperam videntis, Tom. XX in Ioh. p. 337.

11) Nulla igitur — studii quantitate] Ap. Pamph. p. 27.

et attrahit ad beatum finem illum, ubi decidit et aufugit omnis dolor, et tristitia, et gemitus.

IV. Puto ergo, secundum quod mihi videtur, quod praecedens disputatio sufficienter ostenderit, quod non indiscreto vel fortuito aliquo casu, vel principatus teneant principatum, vel ceteri ordines suum quisque sortiatur officium, sed pro meritis suis gradum dignitatis huius adepti sunt, licet non sit nostrum vel scire vel quaerere qui illi actus fuerint per quos in istum ordinem venire meruerint. Sed hoc tantum scire sufficit ad Dei aequitatem et iustitiam demonstrandam, quia secundum sententiam apostoli Pauli „personarum acceptio non est apud Deum," qui potius omnia pro meritis singulorum profectibusque dispensat. Neque ergo angelorum officium nisi ex merito constat, neque potestates nisi ex profectu suo agunt potestatem, neque quae nominantur sedes, id est iudicandi vel regendi potestates, id nisi ex meritis administrant, neque dominationes contra meritum dominantur: et est unus iste summus et excellentissimus ordo in coelestibus rationabilis creaturae gloriosa officiorum varietate dispositus. Similiter sane etiam de adversariis virtutibus sentiendum est, quae se in id loci atque officii praebuerunt, ut hoc quod principatus, vel potestates, vel mundi rectores tenebrarum, vel spiritalia nequitiae, vel spiritus maligni, vel daemonia immunda sunt, non substantialiter id habeant, neque quia tales etiam creati sunt, sed pro motibus suis et profectibus quibus in scelere profecerunt, hos malitiae sortiti sunt gradus. Et est alter iste ordo rationabilis creaturae, qui se ita praeceps nequitiae dedit, ut revocari nolit magis quam non possit, dum scelerum rabies iam libido est, et delectat. Tertius vero creaturae rationabilis ordo est earum quae ad humanum genus replendum aptae iudicantur a Deo, id est animae hominum, per profectum etiam in illum angelorum ordinem assumtae: ex quibus quosdam videmus assumi, illos videlicet qui filii Dei facti fuerint, vel filii resurrectionis, vel hi qui dereliquerint tenebras, et dilexerint lucem, et facti fuerint filii lucis; vel hi qui omnem

13) Coloss. III, 25.

34) Tertius vero] cf. fragm. l. I, p. 69, et de Pr. III, p. 138.

38) assumi] i. e. in altiores gradus provehi et vitae mere spiritalis participes fieri.

Digitized by Google

pugnam superantes, et pacifici effecti, filii pacis et filii Dei fuerint; vel qui mortificantes membra sua quae sunt super terram, et transcendentes non solum corpoream naturam, verum etiam animae ipsius ambiguos fragilesque motus adiunxerint se Domino, facti ex integro spiritus, ut sint cum illo unus spiritus semper, cum ipso singula quaeque discernentes, usquequo perveniant in hoc ut perfecte effecti spiritales omnia discernant per hoc quod in omni sanctitate illuminati sensu per verbum et sapientiam Dei a nullo penitus possint discerni.

Illa sane nos nequaquam recipienda censemus, 76
quae et a quibusdam superfluo vel requiri vel astrui solent, id est, quod animae in tantum sui decessum veniant, ut naturae rationabilis ac dignitatis oblitae etiam in ordinem irrationabilium animantium, vel bestiarum, vel pecudum devolvantur: pro quibus etiam quasdam ex Scripturis commentitias afferre astructiones solent, id est, quod vel pecus cui se mulier contra naturam subiecerit, in reatum pariter cum muliere devocetur ac lapidari pariter iubeatur; vel quod taurus cornupeta lapidari nihilominus praecipitur; sed et quod Balaam asina os eius Deo aperiente locuta est, et subiugale mutum in hominum voce respondens arguit prophetae dementiam. Quas nos non solum non suscipimus, sed et omnes has assertiones eorum contra fidem nostram venientes

3) non solum corpoream seqq.] Cf. lib. II, p. 106 v. f., ex interpretatione Hieronymi. Hic de pietatis studiis, quibus hac in vita terrestri exercemur, loquitur. De anima autem constanter docet, mediam esse eam inter corpus et spiritum, ita ut mox huic mox illi obsequiam gerat, utriusque rei per se capax.

12) Illa sane — devolvantur] Cf. fragm. l. I, p. 76. Sententiam prorsus immutavit Rufinus adiecto *illa sane nos nequaquam recipienda censemus*. Haec non fuisse possunt in graeco, quum Hieronymus in ep. ad Avit. p. 764 tradat, addidisse eum ad extremum ne teneretur Pythagorici dogmatis reus, qui asserit *μετεμψύχωσιν*, post tam nefandam disputationem, qua lectoris animum vulneraverit: Haec iuxta nostram sententiam non sint dogmata, sed quaesita tantum atque proiecta (cf. p. 143 init.), ne penitus intractata viderentur. Eadem docet Pamphil. in Ap. p. 44, quippe qui haec exhibeat verba: „Sed haec quantum ad nos pertinet, non sint dogmata, sed discussionis gratia dicta sint, et abiiciantur. Pro eo autem solo dicta sunt, ne videatur quaestio mota non esse discussa."

Digitized by Google

refutamus atque respuimus. Verumtamen suo loco et tempore confutato hoc perverso dogmate et depulso, ea quae de sanctis Scripturis ab illis prolata sunt, qualiter intelligi debeant exponemus.

---

## LIBER SECUNDUS.

**Cap. I.**
**De mundo.**

**77** Consequens nunc videtur, licet omnia quae superiori libello disserta sunt, de mundo atque eius ordinatione disserta sint, proprie tamen de ipso mundo pauca repetere, id est de initio eius ac fine, vel his quae inter initium ac finem eius per divinam providentiam dispensantur, seu de his quae ante mundum facta vel post mundum facienda putantur.

In quo hoc primum evidenter apparet, quod omnis status eius, qui est varius ac diversus, non solum ex rationabilibus et divinioribus naturis, et ex diversis corporibus constet, sed ex mutis animantibus, id est feris, bestiis, pecudibus, et avibus, atque omnibus quae vivunt: tum deinde ex locis, id est coeli, vel coelorum, et terrae vel aquae; sed et ex eo qui medius est aëre, vel quem aetherem dicunt, atque ex omnibus quae procedunt vel nascuntur ex terra. Cum ergo tanta sit mundi varietas, atque in ipsis rationabilibus animantibus sit tanta diversitas, propter quam etiam omnis reliqua varietas ac diversitas putanda est exstitisse: quam causam aliam dici oportebit qua mundus exstiterit, praecipue si intueamur illum finem per quem omnia restituenda in statum initii sui libro superiori dissertum est; quod utique si consequenter dictum videtur, quam aliam, ut diximus, causam putabimus tantae huius mundi diversitatis, nisi diversitatem ac varietatem motuum ac prolapsuum eorum, qui ab illa initii unitate atque concordia in qua a Deo primitus procreati sunt, deciderunt, et ab illo bonitatis statu commoti atque distracti, diversis dehinc animorum motibus ac desideriis agitati, unum

21) Cum ergo — mentium qualitates] V. fragm. l. II, p. 77.

Digitized by Google

illud et indiscretum naturae suae bonum pro intentionis suae diversitate in varias deduxerunt mentium qualitates?

Deus vero per ineffabilem sapientiae suae artem II. omnia quae quoquomodo fiunt, ad utile aliquid, et ad communem omnium transformans ac reparans profectum, has ipsas creaturas quae a semetipsis in tantum animorum varietate distabant, in unum quemdam revocat operis studiique consensum, ut diversis licet motibus animorum, unius tamen mundi plenitudinem perfectionemque consumment, atque ad unum perfectionis finem varietas ipsa mentium tendat. Una namque virtus est quae omnem mundi diversitatem constringit et continet, atque in unum opus varios agit motus, ne scilicet tam immensum mundi opus dissidiis solveretur animorum. Et propter hoc opinamur parentem omnium Deum pro salute universarum creaturarum suarum per ineffabilem verbi sui ac sapientiae rationem ita haec singula dispensasse, ut singuli quique spiritus, vel animi, vel quoquomodo appellandae sunt rationabiles subsistentiae, non contra arbitrii libertatem, vi in aliud quam motus mentis suae ageret, cogerentur, et per hoc adimi ab his videretur liberi facultas arbitrii: quod utique qualitatem iam naturae ipsius immutabat: et diversi motus propositi earum ad unius mundi consonantiam competenter atque utiliter aptarentur, dum aliae iuvari indigent, aliae iuvare possunt, aliae vero proficientibus certamina atque agones movent, in quibus eorum probabilior haberetur industria, et certior post victoriam reparati gradus statio teneretur quae per difficultates laborantium constitisset.

Quamvis ergo in diversis sit officiis ordinatus, III. non tamen dissonans atque a se discrepans mundi totius intelligendus est status: sed sicut corpus nostrum unum ex multis membris aptatum est et ab una anima continetur, ita et universum mundum vel-

38) ita et universum] Cf. Platonem in Tim., et Boeckh über die Bildung der Weltseele im Tim. l. c. Sic efficiebat Origenes, ut absolutâ eâ, quam singulis quibusque attribuisset, libertate, non iam prorsus dissolutus videretur ordo et consonantia mundi. *Organico* enim, quod dici solet, vinculo singula inter se, Deo singula quaeque regente, conjuncta tenentur. Finitus autem est rerum creatarum numerus (fragm.

ut animal quoddam immensum atque immane opinandum puto, quod quasi ab una anima virtute Dei
78 ac ratione teneatur. Quod etiam a sancta Scriptura indicari arbitror per illud quod dictum est per prophetam: „Nonne coelum et terram ego repleo dicit Dominus?“ et iterum: „Coelum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum,“ et quod Salvator dixit, cum ait non iurandum „neque per coelum, quia sedes Dei est: neque per terram, quia scabellum pedum eius est.“ Sed et illud quod ait Paulus cum apud Athenienses concionaretur, dicens quoniam „in ipso vivimus, et movemur, et sumus.“ Quomodo enim in Deo vivimus, et movemur, et sumus, nisi quod virtute sua universum constringit et continet mundum? Quomodo autem coelum sedes Dei est, et terra scabellum pedum eius, sicut ipse Salvator pronunciat, nisi quia et in coelo et in terra virtus eius replet universa, sicut et dicit Dominus? Quomodo ergo parens omnium Deus universum mundum virtutis plenitudine repleat atque contineat, ex his quae ostendimus non puto quemquam difficulter annuere. Iam sane quoniam diversos motus rationabilium creaturarum variasque sententias causam dedisse diversitatis mundo huic sermo superioris disputationis ostendit, videndum ne forte similis initio exitus quoque huic mundo conveniat. Dubium enim non est quin finis ipsius in diversitate multa adhuc et varietate reperiendus sit, quae utique varietas in huius mundi fine deprehensa causas rursus diversitatum alterius mundi post hunc futuri occasionesque praestabit.

IV. Quod si haec ita esse ordo disputationis invenit, consequens nunc videtur, quoniam mundi diversitas sine corporibus subsistere non potest, naturae corporeae discutere rationem. Ex rebus ipsis apparet

l. IV, 4), nec in infinitum perseverabit mundus (Tom. XIII in Matth. p. 569): Deus enim alioquin rector et gubernator omnisciens esse non posset. E contrario mundus a pluribus creari non potuit, nec a pluribus animabus regi potest (c. Cels. I, p. 340). — Sequitur statim, quum semel eum corpore comparavit mundum, etiam veluti resurrecturum esse aliquando hoc *animal*.

5) Ierem. XXIII, 24.

6) Ies. LXVI, 1.

8) Matth. V, 34.

12) Act. XVII, 28.

27) ipsius] sc. qui nunc est mundi, non absoluta ista ἀποκαταστάσεως.

Digitized by Google

quod diversam variamque permutationem recipiat natura corporea, ita ut possit ex omnibus in omnia transformari: sicut, verbi gratia dixerim, lignum in ignem vertitur, et ignis in fumum, et fumus in aë-rem. Sed et olei liquor in ignem mutatur. Escae quoque ipsae, vel hominum vel animalium, nonne eamdem permutationis causam declarant? Nam quod-cumque illud est quod per cibum sumserimus, in cor-poris nostri substantiam vertitur. Sed et qualiter aqua mutetur in terram, vel in aërem, et aër rursus in ignem, vel ignis in aërem, vel aër in aquam, quam-vis non sit difficultas exponere, tamen in praesenti loco ea sufficit tantummodo commemorasse volenti corporalis materiae discutere rationem. Materiam ergo intelligimus quae subiecta est corporibus, id est ex qua inditis atque insertis qualitatibus corpora sub-sistunt. Qualitates autem quatuor dicimus: calidam, frigidam, aridam, humidam. Quae quatuor qualitates ὕλῃ, id est materiae, insertae, quia materia propria ratione extra has esse invenitur quas supra diximus qualitates, diversas corporum species efficiunt. Haec tamen materia quamvis, ut supra diximus, secundum suam propriam rationem sine qualitatibus sit, num-quam tamen subsistere extra qualitatem invenitur. Hanc ergo materiam quae tanta et talis est ut suffi-cere ad omnia mundi corpora, quae esse Deus vo-luit, queat, et conditori ad quascumque formas velit et species famularetur in omnibus et serviret, reci-piens in se qualitates quas ipse voluisset imponere, nescio quomodo tanti ac tales viri ingenitam, id est

12) non difficultas] nimirum si in cosmologia veteri acquiescere liceret. Verum nemo hucusque exstitit, qui quid sit ex. gr. calor, ignis, confla-gratio satis explicare potuisset.

14) Materiam] Genetice veterum philosophorum de materia sententias exposuit Daehne, alex. jüd. Religi-onsphilosophie I, p. 177. Docet Plato in Tim. p. 49, materiam esse πάντων ἐκτὸς εἰδῶν, ἄμορφον et ἄποιον, quippe quae sit τὸ τὰ πάντα δεξόμενον. De Philone v. Daehne l. c. p. 183.

17) calidam etc.] ad ignem, aë-rem, terram, aquam haec spectant: his quatuor enim ex elementis om-nia constare veteres sibi persuase-rant. De Aristotele v. Rixner Gesch. d. Phil. I, p. 248, de Philone Daehne l. c. p. 190; denique cf. Hieron. ep. 38 ad Pammach. p. 320.

23) nunquam tamen seq.] quum nunquam non crearet Deus (fragm. l. I, 2); „Deus enim qualitates ma-teriae imposuit" Philo ap. Daehne p. 191.

30) tanti ac tales] Quosnam e

non ab ipso Deo factam conditore omnium putaverunt, sed fortuitam quamdam eius naturam virtutemque dixerunt. Et miror quomodo isti culpent eos, qui vel opificem Deum, vel providentiam huius universitatis negant, et impie eos sentire arguunt, quod tantum mundi opus arbitrentur sine opifice vel provisore constare; cum ipsi quoque similem culpam impietatis incurrant, ingenitam dicentes esse materiam, Deoque ingenito coaeternam. Secundum hanc ergo rationem si ponamus, verbi gratia, materiam non fuisse, ut isti asserunt dicentes quia Deus non potuerit aliquid facere cum nihil esset, sine dubio futurus erat otiosus, materiam non habens ex qua posset operari, quam ei non sua provisione, sed fortuito sentiunt affuisse: videturque eis quod hoc quod fortuito inventum est, sufficere ei potuerit ad tanti operis molem, et ad suae virtutis potentiam, quod totius sapientiae suae suscipiens rationem distingueretur ac formaretur ad mundum. Quod mihi perabsurdum videtur, et eorum esse hominum qui virtutem atque intelligentiam ingenitae naturae penitus ignorant. Sed ut rationem rerum possimus dilucidius intueri, concedatur paulisper non fuisse materiam, et Deum, cum nihil esset prius, fecisse ut essent ea quae esse voluit: quid putabimus, quia meliorem, aut maiorem, aut alterius generis materiam facturus esset Deus, quam ex sua virtute et sapientia proferebat, ut esset quae ante non fuerat? an inferiorem et deteriorem? an similem atque eamdem ut est illa quam isti ingenitam dicunt? Et puto cuivis facillime pateat intellectus, quod neque melior neque inferior potuisset

graecorum philosophorum numero, et quantis hos laudibus prosecutus sit Origenes, v. in Gregorii Thaumaturgi panegyrico (Tom. IV. App. p. 72). Epicureos enim et atheos odio habebat, ita ut in Comment. ad Rom. I, 18 Paulum in hos potissimum invehi statuat: melioris notae philosophos valde commendat, caute modo legantur et audiantur (v. ep. ad Greg. Thaum.; Guerike de schola Alex. II, p. 167; Mosheim de rebus Christ. p. 616). — Quid sit, quod schola theol. alexandrina debeat iuniori philosophiae platonicae post Keilium (opuscc. ed. Goldhorn p. 439) nuper docuit Daehne de γνώσει Clementis Alex. Lips. 1831. Sed cf. quae diximus in Prooemio.

2) fortuitam] ut Epicurus.

12) sine dubio] V. fragm. l. I, 2 et 3.

17) totius sapientiae] cf. fragm. l. II, p. 97. Omnia quae facere potuit Deus, fecit ut essent.

Digitized by Google

mundi formas speciesque suscipere, nisi talis fuisset qualis ista est quae suscepit. Et quomodo ergo non videbitur impium id ingenitum dicere, quod si factum a Deo credatur, tale sine dubio invenitur quale 79
et illud est quod ingenitum dicitur.

Ut autem etiam ex Scripturarum auctoritate haec V.
ita se habere credamus, audi quomodo in Machabaeorum libris, ubi mater septem martyrum unum ex filiis cohortatur ad toleranda tormenta, de hoc dogmate confirmatur; ait enim: „Rogo te, fili, respice coelum et terram, et ad omnia quae in eis sunt, et videns haec scito, quia Deus haec omnia cum non essent, fecit.“ Sed et in libro Pastoris in primo mandato ita ait: „Primo omnium crede quia unus est Deus qui omnia creavit atque composuit, et fecit ex eo quod nihil erat, ut essent universa.“ Fortassis ad hoc respicit etiam illud quod in Psalmis scriptum est quia „ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.“ Nam quod ait quia „ipse dixit, et facta sunt,“ videtur ostendere substantiam dici eorum quae sunt; quod vero ait: „Mandavit, et creata sunt,“ de qualitatibus dictum videtur quibus substantia ipsa formata est.

Cap. II. De perpetuitate corporeae naturae.

Hoc in loco quaerere solent quidam, utrum sicut ingenitum Filium generat Pater, et Spiritum sanctum profert, non quasi qui ante non erat, sed quia origo et fons Filii vel Spiritus sancti Pater est, et nihil in his anterius posteriusve intelligi potest: ita etiam inter rationabiles naturas et materiam corporalem si-

6) etiam ex] Rectius Iustinus Quaest. ad Graecos 1—4, unice ad revelationem divinam doctrinam saniorem de creatione refert. *Mixtus* enim hic est articulus, non *explicite purus*, quod dici solet, i. e. qui sola ratione, non accedente revelatione, erui non potuerit.

10) 2 Macc. VII, 28. Sunt quidem hi libri secundum Origenem (ap. Euseb. h. e. VI, 25) extra numerum eorum, qui hebraice superstites sunt: sed qui graece legerentur in interpretatione LXXvirali, eos omnes summa cum religiositate amplectitur, ep. ad Iul. Afric. p. 25. Itaque praeter hoc de creatione dogma, preces defunctorum ad Deum fieri, ex eodem hoc libro probat Tom. XIII in Ioh. p. 273.

14) Hermae Past. vis. V, mand. 12.

18) Psal. CXLVIII, 5.

28) anterius etc.] i. e. ita ut non iam essent temporis intervalla, Patre tamen fonte Filii et Spiritus, de Princ. I, p. 54.

milis quaedam societas vel propinquitas possit intelligi. Quam rem ut plenius atque intentius investigent, illuc solent initium disputationis inflectere, ut inquirant si haec ipsa natura corporea, quae spiritalium et rationabilium mentium vitas fert et continet motus, pari cum ipsis aeternitate perduret, an vero absoluta interibit et peribit. Quod ut possit scrupulosius deprehendi, quaerendum primo videtur, si possibile est penitus incorporeas remanere rationabiles naturas, cum ad summum sanctitatis ac beatitudinis venerint, quod mihi quidem difficillimum et paene impossibile videtur; an necesse est eas semper coniunctas esse corporibus. Si ergo posset quis ostendere rationem qua possibile esset eas omnimode carere corporibus, consequens videbitur quod natura corporea ex nihilo per intervalla temporum procreata, sicut, cum non esset, effecta est, ita et esse desineret cum usus eius ministerii praeterisset.

II. Si vero impossibile est hoc ullo modo affirmari, id est quod vivere praeter corpus possit ulla alia natura praeter Patrem et Filium et Spiritum sanctum, necessitas consequentiae ac rationis coarctat intelligi, principaliter quidem creatas esse rationabiles naturas; materialem vero substantiam opinione quidem et intellectu solum separari ab eis, et pro ipsis vel post ipsas effectam videri, sed numquam sine ipsa eas vel vixisse vel vivere; solius namque Trinitatis

11) difficillimum et] Fortasse Rufini haec sunt, cf. quae seqq. capite III, ex interpretatione Hieronymi, et fragm. l. II, 2.

24) opinione ss.] i. e. ἐπινοίᾳ. Genuina hic Origenis de materia sententia latere videtur. Qui sicut in procreatione Filii et Spiritus sancti successionem agnovit, ita rationabilium naturarum originem materiae creationem, etsi temporis nondum essent intervalla, praevertisse statuit, cf. de Princ. I, p. 54. Eadem fere de materiae origine docebant Neoplatonici teste Augustino de Civit. Dei X, 31: „Sicut enim, inquiunt, si pes ex aeternitate semper fuisset in pulvere, semper ei subesset vestigium a calcante factum, quod tamen vestigium a calcante factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius esset, quamvis alterum ab altero factum esset: sic, inquiunt, et mundus, atque in illo Dii creati, et semper fuerunt, semper exsistente qui fecit, et tamen facti sunt.“

25) separari] Semler l. c. p. 186: vocem *distingui* praeferri debuisse a Rufino annotat.

27) solius Trinitatis] Eadem docet Ambrosius de Abraham II, 8, neque scio an haec sint Rufini, aliqua saltem ex parte. Cf. de Princ. III, p. 152, 155 ex versione Hieronymi, et quae mox sequuntur.

Digitized by Google

incorporea vita existere recte putabitur. Ut ergo superius diximus, materialis ista substantia huius mundi habens naturam quae ex omnibus ad omnia transformatur, cum ad inferiores quosque trahitur, in crassiorem corporis statum solidioremque formatur, ita ut visibiles istas mundi species variasque distinguat: cum vero perfectioribus ministrat et beatioribus, in fulgore coelestium corporum micat, et spiritalis corporis indumentis vel angelos Dei, vel filios resurrectionis exornat: ex quibus omnibus diversus ac varius unius mundi complebitur status. Verum si plenius haec discutere libet, oportebit attentius et diligentius cum omni metu Dei et reverentia perscrutari Scripturas divinas, si quid forte in his de talibus arcanus et reconditus sensus revelare, si quid in absconsis et reconditis sermonibus, sancto Spiritu demonstrante his qui digni sunt, poterit inveniri, cum plura testimonia de hac ipsa specie fuerint congregata.

Cap. III. De initio mundi, et causis eius.

Superest ut post haec requiramus, utrum ante hunc mundum qui nunc est mundus alius fuerit; et si fuit, utrum talis fuerit qualis iste qui nunc est, an paulo differentior, vel inferior; aut omnino non fuerit mundus, sed tale aliquid fuerit qualem illum intelligimus post omnium finem futurum, cum tradetur regnum Deo et Patri: qui nihilominus alterius mundi fuerit finis, illius scilicet post quem hic mundus coepit; lapsus autem varius intellectualium naturarum provocaverit Deum ad istam variam diversamque conditionem mundi. Sed et illud similiter requirendum puto, utrum post hunc mundum cura- 80 tio aliqua et emendatio erit, asperior quidem et doloris plena erga eos qui verbo Dei obedire noluerunt: per eruditionem vero rationabilemque institutionem, per quam possent ad locupletiorem proficere veritatis intellectum hi qui in praesenti vita in haec se studia dediderunt, et mentibus purgatiores effecti, capaces iam hinc divinae sapientiae perrexerunt: et post haec statim finis omnium consequetur, et pro correctione et emendatione eorum qui talibus indigent, alius rursus mundus erit, vel similis isti qui nunc est, vel hoc melior, aut multo deterior; et qualiscumque ille erit post hunc mundus, quamdiu erit:

et si erit aliquando cum nullus unquam sit mundus, aut si fuit aliquando cum mundus non fuerit omnino: aut si fuerint plures, vel erunt, aut si accidat aliquando ut alter alteri aequalis et similis per omnia atque indiscretus eveniat.

II. Ut ergo manifestius appareat utrum materia corporalis per intervalla subsistat, et sicut non fuit antequam fieret, iterum resolvatur ut non sit: videamus primum si fieri potest ut vivat aliquis sine corpore. Si enim aliquis potest vivere sine corpore, possunt et omnia esse sine corpore: omnia enim ad unum finem tendere superior tractatus edocuit. Si autem omnia possunt carere corporibus, sine dubio non erit substantia corporalis, cuius usus nullus existet. Et quomodo sentiemus illud quod dixit apostolus in his locis in quibus de resurrectione disputat mortuorum, cum ait: „Necesse est autem corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria: ubi est mors victoria

3) fuerint plures] Epicurei plures simul, Stoici plures invicem post conflagrationes continuo excipientes sese mundos, eosque inter se simillimos docebant. Platonici et Pythagoraei in uno eodemque, qui perpetuus esset, mundo, sideribus aliquando ad pristinas stationes reversis, eadem rursus eventura, ab Aegyptiis didicerant. Cf. Ukert Geogr. d. Griechen u. Röm. I, 2, p. 167; Orig. in Gen. p. 18. In libro c. Cels. V, p. 592 contra haec placita, quamquam infinitam mundorum seriem inde sibi vindicaverat, digladiatur Origenes.

10) „Si omnia, ut ipse disputationis ordo compellit, sine corpore vixerint, consumetur corporalis universa natura, et redigetur in nihilum, quae aliquando facta est de nihilo: eritque tempus quo usus eius iterum necessarius sit.“ Hieron. interpr., ex epist. ad Avitum p. 763. Cf. fragm. l. II, 2 et quae statim sequuntur paragr. III. *In nihilum*, *εἰς τὸ μὴ ὄν*, sensu *τοῦ οὐκ ὄν*, non *materiae*, *qualitate et forma omni destituta*, quae Philoni et philosophis graecis vocatur *τὸ μὴ ὄν*, *τὸ μὴ γεγονός*. Non enim quae aliquando facta est de nihilo, *ἄμορφος* et *ἄποιος* tantummodo in fine et consummatione rerum efficitur, sed vere et proprio sensu in nihilum redigitur. — Intelligitur praeterea causam peccandi unice materiae corporali vel subtiliori vel crassiori insitam esse non posse: quum *corporali natura consumta* denuo peccari possit.

17) 1 Cor. XV, 53 ss.

tua? Absorptus est mors aculeus tuus: aculeus autem mortis peccatum, virtus autem peccati lex." Talem ergo quemdam videtur apostolus suggerere intellectum. Quod enim ait: „Corruptibile hoc," et „mortale hoc," velut tangentis et ostendentis affectu, cui alii convenit nisi materiae corporali? Haec ergo materia corporis quae nunc corruptibilis est, induet incorruptionem, cum perfecta anima, et dogmatibus incorruptionis instructa uti eo coeperit. Et nolo mireris si velut indumentum corporis perfectam animam dicimus, quae propter verbum Dei et sapientiam eius nunc incorruptio nominatur: cum ipse utique qui est Dominus et creator animae Iesus Christus indumentum sanctis esse dicatur, sicut apostolus dicit: „Induite vos Dominum Iesum Christum." Sicut ergo Christus indumentum est animae, ita intelligibili quadam ratione etiam anima indumentum dicitur esse corporis. Ornamentum enim eius est velans et contegens eius mortalem naturam. Tale est ergo quod dicitur: „Necesse est corruptibile hoc induere incorruptionem;" ut si diceret: Naturam hanc corruptibilem corporis necesse est indumentum accipere incorruptionis, animam habentem in se incorruptionem, pro eo videlicet quod induta est Christum qui est sapientia et verbum Dei. Cum autem vitae participaverit corpus hoc quod aliquando gloriosius habebimus, tunc ad id quod immortale est accedet ut etiam incorruptibile fiat. Si quid namque mortale est, hoc continuo et corruptibile est: non tamen si quid corruptibile est, hoc etiam mortale dici potest. Denique lapidem vel lignum corruptibile quidem dicimus: non tamen etiam mortale consequenter dicemus. Corpus vero quoniam vitae participat, ex eo quod separari ab eo vita potest et

15) Rom. XIII, 14.

24) pro eo videlicet] V. de Princ. I, p. 62: Omnes qui rationabiles sunt, verbi, id est rationis, participes sunt, et per hoc velut quaedam semina insita sibi gerunt sapientiae et iustitiae, quod est Christus; cf. ib. p. 52.

28) incorruptibile fiat] Dubito quia haec in graeco fuerint. Aliud enim est incorruptibilitatem (*ἀφθαρσίαν*) induere, aliud incorruptibile esse (*ἄφθαρτον εἶναι*): *ὃν γὰρ λόγον ἔχει σοφία πρὸς τὸ σοφὸν, καὶ δικαιοσύνη πρὸς τὸ δίκαιον· τοῦτον τὸν λόγον ἀφθαρσία μὲν πρὸς τὸ ἄφθαρτον*, c. Cels. VII, p. 717. Neque incorruptio ipsa in corpora nostra cadere potest, quum anima utatur perpetua peccandi *possibilitate*.

separatur, consequenter mortale nominamus, et secundum alium quoque intellectum etiam corruptibile dicimus. Mira ergo ratione sanctus apostolus ad generalem primam causam respiciens materiae corporalis, cuius materiae anima usum semper habet in qualibet qualitate positae, nunc quidem carnali, postmodum vero subtiliori et puriori, quae spiritalis appellatur, ait: „Necesse est corruptibile hoc induere incorruptionem.“ Secundo vero ad specialem corporis respiciens causam ait, „Necesse est mortale hoc induere immortalitatem.“ Incorruptio autem et immortalitas quid aliud erit nisi sapientia, et verbum, et iustitia Dei, quae formant animam, et induunt, et exornant? Et ita fit ut dicatur, quia corruptibile incorruptionem induet, et mortale immortalitatem. Nunc enim etiamsi valde proficiamus, tamen quoniam solum ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus, et per speculum in aenigmate videmus ea ipsa quae videmur intelligere, nondum corruptum hoc induit incorruptionem, neque mortale ab im-
31 mortalitate circumdatur: et quoniam sine dubio in longius protrahitur nostra haec in corpore eruditio: videlicet usque quo ipsa corpora nostra quibus circumdati sumus, propter verbum Dei et sapientiam ac perfectam iustitiam, incorruptionem immortalitatemque mereantur; propterea dicitur: „Necesse est corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.“

III. Verumtamen hi qui putant posse unquam extra corpora vitam ducere rationabiles creaturas, possunt in hoc loco talia quaedam movere. Si verum est quod corruptibile hoc induet incorruptionem, et mortale hoc induet immortalitatem, et quod absorbeatur mors in finem, non aliud quam materialem naturam exterminandam declarat, in qua operari mors aliquid poterat, dum his qui sunt in corpore, per naturam materiae corporalis mentis acumen videtur obtundi. Si vero extra corpus sunt, tunc omnino

6) 1 Cor. XV, 53.

31) „Sin autem, ut ratione et Scripturarum auctoritate monstratum est, corruptivum hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, absorbebitur mors in victoriam, et corruptio in incorruptionem: et forsitan omnis corporea natura tolletur e medio, in qua sola potest mors operari.“ Hieronymo interprete in epist. ad Avit. p. 763.

molestiam huiuscemodi perturbationis effugiant. Sed quoniam non ad subitum omne indumentum corporeum effugere poterunt, prius in subtilioribus ac purioribus immorari corporibus aestimandi sunt, quae ultra nec a morte vinci, nec aculeo mortis compungi praevaleant; ut ita demum paulatim cessante natura materiali, et absorbeatur mors, et etiam exterminetur in finem, atque omnis aculeus eius penitus retundatur per divinam gratiam, cuius capax effecta est anima, et incorruptionem atque immortalitatem meruit adipisci. Et tunc merito dicetur ab omnibus: „Ubi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum est.“ Si ergo haec habere consequentiam videntur, reliquum est ut status noster aliquando incorporeus futurus esse credatur: quod si recipitur, et omnes subiiciendi Christo esse dicuntur, necesse est ut omnibus et hoc deferatur in quos pervenit subiectio Christi; quia omnes qui subiecti sunt Christo, in fine quoque subiecti erunt Deo patri, cui regnum traditurus dicitur Christus, et ita videtur ut tunc etiam usus corporum cesset. Si autem cessat, in nihilum redit sicut et ante non erat.

Sed videamus quid eis occurrat, qui hoc ita asserunt. Videbitur enim esse necessarium ut si exterminata fuerit natura corporea, secundo iterum reparanda sit et creanda: possibile enim videtur ut rationabiles naturae a quibus numquam aufertur liberi facultas arbitrii, possint iterum aliquibus motibus subiacere, indulgente hoc ipsum Domino, ne

12) 1 Cor. XV, 55. 56.

14) „Si haec non sunt contraria fidei, forsitan sine corporibus aliquando vivemus. Sin autem qui perfecte subiectus est Christo, absque corpore intelligitur; omnes autem subiiciendi sunt Christo: et nos erimus sine corporibus, quando ei ad perfectum subiecti fuerimus. Si subiecti fuerint (cf. fragm. l. II, 2; l. IV, 4) omnes Deo, omnes deposituri sunt corpora, et tunc corporalium rerum universa natura solvetur in nihilum. Quae, si secundo necessitas postularit, ob lapsum rationabilium creaturarum rursus exsistet. Deus enim in certamen et luctam animas dereliquit, ut intelligant plenam consummatamque victoriam non ex propria se fortitudine, sed ex Dei gratia consecutas. Et idcirco arbitror pro varietate causarum diversos mundos fieri, et elidi errores eorum qui similes sui mundos esse contendunt.“ Hieron. interpr. loc. cit. Cf. quae sequuntur c. VII. eiusdem huius libri p. 89 n. 4.

forte, si immobilem semper teneant statum; ignorent se Dei gratia et non sua virtute in illo fine beatitudinis constitisse: quos motus sine dubio rursum varietas corporum et diversitas prosequetur; ex qua mundus semper adornatur, nec unquam poterit mundus nisi ex varietate ac diversitate constare: quod effici nullo genere potest extra materiam corporalem.

IV. Iam vero qui indissimiles sibi mundos ac per omnia pares aliquando evenire confirmant, nescio quibus id possint asserere documentis. Si enim similis per omnia mundus dicitur, erit ut iterum Adam vel Eva eadem faciant quae fecerunt; idem iterum erit diluvium, atque idem Moyses rursum populum sexcenta fere millia numero educet ex Aegypto; Iudas quoque bis Dominum tradet; Paulus secundo lapidantium Stephanum vestimenta servabit; et omnia quae in hac vita gesta sunt, iterum gerenda dicentur: quod non puto ratione aliqua posse firmari, si arbitrii libertate aguntur animae, et vel profectus suos vel decessus pro voluntatis suae sustinent potestate. Non enim cursu aliquo in eosdem se circulos post multa saecula revolvente aguntur animae, ut hoc aut illud vel agant vel cupiant, sed quocumque
82 proprii ingenii libertas intenderit, illo gestorum suorum dirigunt cursum. Tale enim est quod ab istis dicitur, ut si quis velit asserere, quod frumenti medimnum si profundatur in terram, potest fieri ut iidem et penitus indiscreti secundo accidant casus granorum, ita ut unumquodque granum iuxta id profusum iaceat secundo, quo primo aliquando deiectum est, et eodem ordine eisdemque dispersum sit signis quibus fuerat primo diffusum: quod utique innumerabilibus medimni granis impossibile est prorsus accidere, etiam si per immensa saecula indesinenter ac iugiter effundantur. Ita ergo impossibile mihi videtur eodem ordine, eisdemque modis nascentium, et morientium, et agentium quid secundo mundum posse reparari; sed immutationibus non minimis diversos posse mundos existere, ita ut pro manifestis quibusque causis melior status sit alterius mundi, et pro aliis inferior, et pro aliis medius quidem status. Qui autem numerus vel modus hic sit, ego

20) Simili prorsus ratione Cicero Epicureorum deliria refellere solebat, de nat. Deorum II, 6 seq.

me nescire fateor. Si quis autem posset ostendere, libentius discerem.

V. Verumtamen multorum saeculorum finis dicitur esse hic mundus, qui et ipse saeculum dicitur. Docet autem sanctus apostolus quod Christus in eo saeculo quod ante hoc fuit non est passus, sed ne in illo quidem quod ante ipsum fuit: et nescio si enumerare sufficiam quanta fuerint anteriora saecula in quibus passus non est. Ex quibus autem sermonibus Pauli ad occasionem huius intelligentiae venerim, proferam; ait enim: „Nunc vero semel in consummatione saeculorum ad refellendum peccatum per hostia sui manifestatus est.“ Semel enim ait hostiam effectum, et in consummatione saeculorum ad refellendum peccatum esse manifestatum. Quod autem post hoc saeculum quod ad consummationem aliorum saeculorum dicitur factum, erunt alia saecula supervenientia, manifeste ab ipso Paulo didicimus dicente: „Ut ostenderet in saeculis supervenientibus superabundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos.“ Non dixit: in saeculo superveniente; neque, in duobus saeculis supervenientibus: unde arbitror multa saecula indicio sermonis illius declarari. Si vero aliquid est saeculis maius, ita et in creaturis quaedam saecula intelligantur, in aliis vero quae excedunt et supergrediuntur visibiles creaturas; quod erit forte in restitutione omnium, cum ad perfectum finem universa pervenient: id fortasse plus aliquid esse quam saeculum intelligendum est, in quo erit omnium consummatio. Movet me autem in hoc Scripturae sanctae auctoritas, quae dicit: „In saeculum, et adhuc.“ „Et adhuc“ enim quod dicit, plus aliquid sine dubio quam saeculum vult intelligi; et vide ne illud quod dicit Salvator, quia „volo ut ubi ego sum et isti sint mecum: et sicut ego et tu unum sumus et isti sint in nobis unum:“ ostendere videatur plus aliquid quam est saeculum et saecula, forte etiam plus quam est sae-

5) quod Christus] cf. fragm. l. IV, p. 188.

11) Hebr. IX, 26.

19) Ephes. II, 7.

32) In saeculum et adhuc] i. e. εἰς αἰῶνα καὶ ἀεί, doxologia in Psalmis usitatissima. Cf. fragm. l. I, 2 et quae supra annotavimus p. 79.

35) Ioh. XVII, 22.

Digitized by Google

cula saeculorum, id videlicet cum iam non in saeculo sunt omnia, sed in omnibus Deus.

VI. His pro nostris viribus de mundi ratione dissertis, non incongruum etiam videtur ipsius mundi appellatio quid sibi velit inquirere: quae appellatio in Scripturis sanctis diversa significans frequenter ostenditur. Quod enim latine mundum dicimus, graece *κόσμος* appellatur: *κόσμος* autem non solum mundum, sed et ornamentum significat. Denique in Esaia ubi ad principes filias Sion increpationis sermo dirigitur, et dicit: „Pro ornamento capitis aurei calvitium habebis propter opera tua," ornaméntum ibi eo nomine quo mundum, appellavit, id est *κόσμον*. Dicitur etiam in indumento pontificis mundi ratio contineri, sicut in Sapientia Salomonis invenimus, cum dicit quia „in vestimento poderis erat universus mundus." Mundus dicitur etiam noster cum habitatoribus suis orbis terrarum iste, sicut cum Scriptura dicit: „Omnis mundus in maligno positus est." Meminit sane Clemens apostolorum discipulus etiam eorum quos *ἀντίχθονας* Graeci nominarunt, atque alias partes orbis terrae ad quas neque nostrorum quisquam accedere potest, neque ex illis qui ibi sunt quisquam transire ad nos: quos et ipsos mundos appellavit, cum ait: „Oceanus intransmeabilis est ho-

1) cum iam non etc.] cf. l. III, p. 154.

11) Ies. III, 24.

16) Sap. XVIII, 24. Recte vertit Rufinus vocem *κόσμος* *mundus*. Alii *ornamentum*. Sed v. Philo de Monarch. p. 813: *ὡς ἀπεικόνισμα καὶ μίμημά τι τοῦ κόσμου δοκεῖν εἶναι* et quae seq. p. 814; cf. Ioseph. Antiqq. III, 8, Bauermeister Comment. in Sap. Sal. Gottingae 1828 p. 173.

19) 1 Ioh. V, 19.

25) Clément. Rom. ep. ad Cor. I, 20. Imitati sunt aut respexerunt hunc Clementis locum, ut annotat Cotelerius, Dionysius Alex. ap. Euseb. h. e. VII, 2, Irenaeus II, 47, Clemens Alex. Strom. V, p. 586, Hieron. in Eph. II, 2, Photius cod. 126. Summa enim erat epistolae Clementis in veteri ecclesia auctoritas, ita ut tantum non apud omnes canonica haberetur, Euseb. h. e. VI, 13. Sequitur autem Clemens Platonem in Phaedone p. 109 Steph. „*πάμμεγά τι εἶναι αὐτὸ* (*πρᾶγμα* sc. *τὴν γῆν*), *καὶ ἡμᾶς οἰκεῖν τοὺς μέχρις Ἡρακλείων στηλῶν ἀπὸ Φάσιδος ἐν σμικρῷ τινὶ μορίῳ, ὥσπερ περὶ τέλμα μύρμηκας ἢ βατράχους περὶ τὴν θάλατταν οἰκοῦντας· καὶ ἄλλους ἄλλοθι πολλοὺς ἐν πολλοῖς τοιούτοις τόποις οἰκεῖν* κ. τ. λ."
Terrae enim partem eam, quam incolimus, i. e. *τὴν οἰκουμένην*, insulam esse, quae mari atlantico cingatur: praeter eam multas alias no-

Digitized by Google

minibus, et hi qui trans ipsum sunt mundi, qui his eisdem dominatoris Dei dispositionibus gubernantur.“ Dicitur etiam mundus ista universitas quae ex coelo et terra continetur, sicut Paulus ait: „Transiet enim habitus huius mundi.“ Designat sane et alium quemdam mundum praeter hunc visibilem etiam Dominus et Salvator noster quem revera describere et designare difficile est: ait namque: „Ego non sum de hoc mundo.“ Tanquam enim ex alio quodam esset mundo, ita dicit, quod „non sum de hoc mun- 83 do.“ Cuius mundi difficilem nobis esse expositionem idcirco praediximus, ne forte praebeatur aliquibus occasio illius intelligentiae, qua putent nos imagines quasdam quas Graeci ἰδέας nominant, affirmare: quod utique a nostris alienum est, mundum incorporeum dicere, in sola mentis phantasia vel cogitationum lubrico consistentem: et quomodo Salvatorem inde esse, vel sanctos quoque illuc ituros poterunt affirmare, non video. Verumtamen praeclarius aliquid et splendidius, quam iste qui praesens

bis quidem ignotas in terrae superficie esse insulas, vetus sententia est. V. Aristotelem de Mundo c. 3, Tom. I, p. 849, Cicero Tusc. quaest. I, 28 (Mannert Geographie d. Griechen u. Römer, ed. 3, I, p. 76, Ukert Geogr. d. Gr. u. Röm. I, 2. p. 29). — De forma terrae globosa et antichthonibus v. Ukert l. c. p. 155, 147. Inde a Lactantio divin. instit. III, 24 et Augustino de Civit. Dei XII, 9 utraque opinio ab ecclesia damnari coepta est, et alia quaedam invaluit longe deterior, quam adumbravit Mannert l. c. p. 189. — De Oceano v. Ukert I, 2, p. 8 et p. 213.

4) 1 Cor. VII, 31.

8) Ioh. XVII, 15. Haec ad animam Salvatoris, non ad corpus, ut iactabant adversarii (Huet. II, 3, 10), referebat Origenes.

15) Quod utique] Nescio an prorsus infida sit hoc loco Rufini versio. Annotavimus iam, quantum debeat Platonis ideis Origenes. At vere, ut tunc fieri solebat (Mosheim Bücher g. Cels. p. 658), non incorporea, sed vere in coelo vere exsistentia profitetur archetypa, hac ex parte a Platone dissentiens, cf. hom. XXVIII in Num. p. 384, de Princ. IV, p. 185. Quod Orosius docet in Commonit. ad Augustinum: sui temporis Origenistas persuasum habuisse, *omnia antequam facta apparerent, semper in Dei sapientia facta mansisse;* ea Origenes ipse aperte nullibi professus est; sed Philonis haec est sententia. Itaque fragm. l. I, 3. p. 4 non ut Huetius II, 12, 5 e Platone, sed ex Aristotele interpretati sumus.

15) mundum incorporeum] Ille igitur mundus, de quo anima Christi est, quamvis nondum videatur a nobis, visibilis tamen, ut mox dicetur, sive corporeus est.

est mundus, indicari a Salvatore non dubium est, quo etiam credentes in se tendere provocat et hortatur. Sed utrum mundus iste quem sentiri vult, separatus ab hoc sit longeque divisus, vel loco, vel qualitate, vel gloria; an gloria quidem et qualitate praecellat, intra tamen huius mundi circumscriptionem cohibeatur, quod et mihi magis verisimile videtur, incertum tamen est, et, ut ego arbitror, humanis adhuc cogitationibus et mentibus inusitatum. Ex his tamen quae Clemens visus est indicare cum dicit: „Oceanus intransmeabilis est hominibus, et hi mundi qui post ipsum sunt,“ qui post ipsum sunt mundos pluraliter nominans, quos et eadem Dei summi providentia agi regique significat, semina quaedam nobis huiusmodi intelligentiae videtur aspergere, quo putetur omnis quidem universitas eorum quae sunt atque subsistunt, coelestium et supercoelestium, terrenorum infernorumque, unus et perfectus mundus generaliter dici, intra quem vel a quo ceteri, si qui illi sunt, putandi sunt contineri. Unde voluit quidem globum lunae vel solis, ceterorumque, quos planetas vocant, per singula mundos nominari. Sed et ipsum supereminentem quem dicunt ἀπλανῆ globum, proprie nihilominus mundum appellari volunt. Denique etiam Baruch prophetae librum in assertio-

20) Unde voluit] sc. Clemens, qui tamen non de diversis mundis intra coelum et terram mediis, sed de variis in ipsa terra, quae vere ingenti magnitudine est, insulis loquitur. Sic Plato in Phaedone p. 109 Steph.; hic enim locus de ipsa nostra terra, cuius altiores regiones in ipso coelo sitae esse videbantur, interpretandus est. Et haec quidem in suam de paradiso sententiam convertit Origenes.

25) Baruch prophetae] Epistolam Baruchi, vaticiniis et threnis Ieremiae in versione τῶν LXX subiunctam, in canonem suum receperat Origenes, ap. Euseb. h. e. VI, 25 (Sel. in Psalm. p. 529). Nihil autem de septem coelis nec in hoc libro, nec ullibi in sacro codice reperitur, teste ipso Origene c. Cels. VI, p. 648. Itaque ab apocryphis Iesaianis, quae haud parvi aestimat Tom. X in Matth. p. 465, interpolata tamen ea a Iudaeis esse suspicans in ep. ad Iul. Afric. p. 19, hos septem coelos mutuatus esse videtur. Uberrime inde a sexto capite Visionis Iesaiae de his coelis exponitur: sed quinque tantum priora Visionis capita noverat Origenes, Lücke Einleit. in d. Offenb. Joh. p. 133. Plerumque septenarius coelorum numerus parum ei curae est, c. Cels. VI, p. 645, quum visibiles coelos seu sphaeras separatim enumerare non soleat, sed tres modo mundos s. coelos distinguat: pri-

Digitized by Google

nis huius testimonium vocant; quod ibi de septem mundis vel coelis evidentius indicatur. Esse tamen super illam sphaeram, quam ἀπλανῆ dicunt, volunt aliam, quam, sicut apud nos coelum continet omnia quae sub coelo sunt, ita illam dicunt immensa quadam sui magnitudine et ineffabili complexu spatia universarum sphaerarum ambitu magnificentiore constringere; ita ut omnia intra ipsam ita sint sicut est haec terra nostra sub coelo: quae etiam in Scripturis sanctis terra bona et terra viventium creditur nominari, habens suum coelum illud quod superius, in quo coelo sanctorum nomina scribi vel scripta esse dicuntur a Salvatore: quo coelo cohibetur illa terra atque concluditur, quam Salvator in evangelio mitibus et mansuetis repromittit. Ex illius namque terrae nomine etiam hanc nostram cui arida prius nomen fuerat, cognominatam volunt, sicut et firmamentum hoc coelum illius coeli vocabulo nuncupatum est. Verum de huiuscemodi opinionibus plenius in illo loco tractavimus, cum requireremus quid

mum, quod est inter terram et τὴν ἀπλανῆ σφαῖραν, secundum hanc ipsam sphaeram, tertium s. paradisum, qui est ultra eam. Ab hoc paradiso diversus est ille locus, in terra nostra situs, in quo prima tirocinia animae post mortem ponent, eodem paradisi nomine insigniendus, de Princ. II, p. 106. Tota autem haec de triplici coelo sententia effato Pauli in epistola 2 ad Cor. XII, 2, 4, superstructa est. Cf. Gregorium Nyssenum in Hexaëm. Tom. I, p. 41. Serioris aevi scriptores duplex modo agnoscunt coelum, visibile et invisibile, Suiceri Thes. p. 522. Nam veterum philosophorum de multiplicibus coelis derelinqui sensim coepit sententia, praesertim ex quo Ophitae et alii e Gnosticorum grege sibi eam vindicassent. — De Pythagorae sive decem sive novem coelis v. Rixner Gesch. d. Philos. I, p. 100; Ukert Geogr. d. Griechen u. Röm. I, 2, p. 91; Cicero Somn. Scipionis c. 4.

3) ἀπλανῆ] Cicero Somn. Scip. c. 4: „Orbis extimus, qui reliquos omnes complectitur — in quo sunt infixi illi, qui volvuntur stellarum cursus sempiterni.“ Cf. Greg. Nyss. in Hexaëm. p. 42. Haec sphaera corpus est firmum s. firmamentum secundum Origenem (Mosheim Bücher geg. Cels. p. 104), et antiquitatem universam (Ukert l. c. p. 13); inprimis Anaximenem, qui materiam eandem nostrae terrae cum suprema sphaera communem esse, sibi persuaserat (ib. p. 87). — Videtur Origenes in astronomia sequi Ptolemaeum, ut ad Comment. in Gen. p. 18 annotat Huetius.

14) Matth. V, 4.

16) arida] Gen. I, 10.

20) in illo loco] Deperdita sunt, ad quae hoc loco provocatur.

esset quod in principio fecit Deus coelum et terram. Aliud enim coelum et alia terra indicatur esse quam illud firmamentum quod post biduum factum dicitur, vel arida quae postmodum terra nuncupatur. Sane hoc quod dicunt quidam de hoc mundo, quoniam corruptibilis quidem est ex eo quod factus est, nec tamen corrumpitur, quia corruptione fortior et validior est voluntas Dei qui fecit eum et continet illum ne ei corruptio dominetur, rectius sentiri ista possunt de eo mundo quem ἀπλανῆ sphaeram supra diximus, quia ex voluntate Dei nequaquam corruptioni subiaceat, pro eo quod nec causas corruptionis acceperit. Sanctorum quippe est et ad liquidum purificatorum mundus ille, et non impiorum sicut iste noster. Videndum autem est ne forte in hoc respiciens apostolus dixerit: „Prospicientibus nobis non ea quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna sunt. Scimus autem quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, aedificationem habemus a Deo, domum non manufactam, aeternam in coelis." Cum enim alibi dicat: „Quia videbo coelos opera digitorum tuorum," et de omnibus invisibilibus per prophetam Deus dixit: „Quia manus mea fecit haec omnia," istam aeternam domum quam sanctis repromittit in coelis, manufactam non esse pronunciat; differentiam sine dubio creaturae in his quae videntur, et in his quae non videntur ostendens. Non enim idem intelligitur quod dicit ea quae non videntur, et ea quae invisibilia sunt. Ea namque quae sunt invisibilia, non solum non videntur, sed ne naturam quidem habent ut videri possint, quae Graeci ἀσώματα, id est incorporea, appellarunt; haec autem de quibus Paulus dixit: „Quae non videntur," naturam quidem habent ut videri possint, nondum tamen videri ab his quibus promittuntur, exponit.

5) quod dicunt quidam] v. Aristotelem de coelo I, 12, apud Rixner I, p. 249.

11) nequaquam corruptioni] Itaque materiae sempiternitas hoc loco placere videtur Origeni, quamvis mox de ea dubius reperiatur.

16) 2 Cor. IV, 18.

19) 2 Cor. V, 1.

22) dicat] sc. Scriptura; v. Psal. VIII, 4.

25) Ies. LXVI, 2.

35) 2 Cor. IV, 18.

His igitur tribus opinionibus de fine omnium VII.
et de summa beatitudine prout sentire potuimus adumbratis, unusquisque legentium apud semetipsum diligentius et scrupulosius iudicet si potest aliqua harum probari vel eligi. Dictum est enim quod vel
incorporea vita agi posse putanda sit, posteaquam 84
Christo fuerint subiecta omnia et per Christum Deo patri, cum erit omnia et in omnibus Deus; vel cum nihilominus Christo fuerint universa subiecta, et per Christum Deo, cum quo et unus spiritus secundum hoc quod spiritus sunt naturae rationabiles, fiunt: tunc ipsa quoque substantia corporalis optimis et purissimis spiritibus sociata pro assumentium qualitate vel meritis in aethereum statum transmutata, secundum quod apostolus dicit: „Et nos immutabimur,“ refulgebit; aut certe quod eorum quae videntur habitu praetereunte, omni corruptibilitate decussa atque purgata, omnique hoc mundi statu in quo planetarum dicuntur sphaerae, supergresso atque superato, supra illam quae ἀπλανής dicitur, sphaeram piorum atque beatorum statio collocatur, quasi in terra bona, et terra vivorum quam mansueti et mites haereditate percipient; cuius est coelum illud quod ambitu magnificentiore ipsam illam circumdat

1) „Triplex ergo suspicio nobis de fine suggeritur, e quibus quae vera et melior sit, lector inquirat. Aut enim sine corpore vivemus, cum subiecti Christo subiiciemur Deo, et Deus fuerit omnia in omnibus; aut quomodo Christo subiecta cum ipso Christo subiicientur Deo, et in unum foedus arctabuntur: ita omnis substantia redigetur in optimam qualitatem, et dissolvetur in aetherem quod purioris simplicioris que naturae est; aut certe sphaera illa quam supra appellavimus ἀπλανῆ, et quidquid illius circulo continetur, dissolvetur in nihilum; illa vero qua ἀντιζώνη ipsa tenetur et cingitur, vocabitur terra bona, nec non et altera sphaera, quae hanc ipsam terram circumambit vertigine et dicitur coelum, in sanctorum habitaculum conservabitur.“ Hieron. interpr. in epist. ad Avitum p. 763. Itaque nihil certi Origenes de materiae interitu, quod diceret, habuit, sed disputandi causa non definiendi haec profert. Sic saepissime haeret, quum res divinas humanis longe altiora esse sibi persuasisset. Intelligitur simul, a vulgaribus Christianorum opinionibus discessisse eum in eiusmodi locis. Cf. p. 90. — *Antizona* terrâ coelesti adhuc superior est veluti οὐρανὸς τῶν οὐρανῶν: patet tamen via ad antizonam prorsus purgatis atque perfectis, hom. V in Psal. XXXVI, p. 677.

15) 1 Cor. XV, 52.

22) terra bona etc.] i. e. quae terrestri Canaan in coelo respondeat.

et continet terram, quod vere coelum et principaliter appellatur, in quo coelo vel terra finis omnium atque perfectio tuta ac fidissima possit statione consistere, quo scilicet illi post correptionem castigationemque quas pro delictis pertulerant purgationis obtentu, expletis omnibus atque depensis, terrae illius habitaculum mereantur; hi vero qui verbo Dei obedientes fuerunt ac sapientiae eius iam hinc capaces se obtemperantes praebuerunt, coeli illius vel coelorum regna promereri dicantur, et ita dignius compleatur illud quod dictum est: „Beati mansueti quia ipsi haereditate possidebunt terram:" et: „Beati pauperes spiritu, quoniam ipsi haereditate capient regnum coelorum:" et quod dicit in Psalmo: „Exaltabit te, et haereditate capies terram." Ad hanc etenim terram descendi dicitur, ad illam autem quae in alto est, exaltari. Hoc ergo modo videtur quasi iter quoddam sanctorum profectibus aperiri ab illa terra ad illos coelos, ut non tam permanere in illa terra quam habitare videantur, transituri scilicet, cum in id quoque profecerint, ad haereditatem regni coelorum.

Cap. IV. Quod unus est Deus legis et prophetarum, et Domini Iesu Christi pater.

His itaque per ordinem prout potuimus breviter digestis, consequens est secundum quod ex initio proposuimus, confutare etiam eos qui putant alium Deum esse patrem Domini nostri Iesu Christi, praeter illum qui Moysi responsa legis dabat, vel prophetas mittebat, qui est Deus patrum Abraham, Isaac et Iacob. Oportet enim primum in hac nos fidei ratione firmari. Considerandum ergo est illud quod frequenter in Evangeliis dicitur, et singulis quibusque Domini et Salvatoris nostri gestis adiungitur: „Ut impleatur quod dictum est per prophetam" illum

11) Matth. V, 3. 4.

14) Psal. XXXVI, 34.

23) His itaque — et imbrium praebitorem] V. Apol. Pamph. p. 24. Quae in hoc et sequente capite disserit Origenes, documento sunt, quanta gavisus sit sagacitate. Quum tamen mathematice fere, ut ita dicam, utriusque Testamenti consensum efficiat, de diversitate prorsus sileat: intelligitur unum fere idemque ipsi visum esse utrumque codicem pro illius temporis more, et a bibliologia saniore procul eum abesse. Cf. quae annotamus ad l. II. de Princ. p. 92 v. f.

Digitized by Google

vel illum, cum manifestum sit quia prophetae illius sunt Dei qui mundum fecit. Ex ipsa ergo consequentia concluditur, quoniam qui prophetas misit, de Christo, quae praedicenda erant, ipse praedixit. Et dubium non est, quod haec non alienus quisquam ab eo, sed pater ipsius praedicebat. Sed et illud quod frequenter exempla de veteri Testamento a Salvatore proferuntur, vel ab apostolis eius, non aliud indicat nisi quod auctoritas veteribus a Salvatore et ab eius discipulis adhibetur. Sed et illud quod ad benignitatem provocans discipulos Salvator dicit: „Estote perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est, qui solem suum oriri iubet super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos," cuivis etiam exiguae intelligentiae viro evidentissimum suggerit intellectum, quod non alium ad imitandum proponit discipulis suis Deum, nisi factorem coeli, et imbrium praebitorem. Quod autem dicit quia orantes oporteat dicere: „Pater noster qui es in coelis:" quid aliud videtur ostendere, nisi Deum in melioribus mundi, id est creaturae suae, partibus requirendum? Sed et quod de iuramentis optima quaedam instituta definiens ait „non" oportere „iurare, neque per coelum, quia sedes est Dei; neque per terram, quia scabellum est pedum eius:" nonne apertissime videtur propheticis vocibus consonare quibus dicitur: „Coelum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum"? Sed et e templo eiiciens eos qui vendebant oves, et boves, et columbas; effundens quoque mensas nummulariorum, et dicens: „Tollite ista hinc, et nolite facere domum patris mei domum neg- 85 otiationis:" patrem suum sine dubio dicebat eum cuius nomini Salomon magnificum templum exstruxerat. Sed et illud quod ait: „Non legistis quod dictum est a Deo ad Moysen: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob: non est autem Deus mortuorum, sed viventium," manifestissime nos docet quoniam Deum patriarcharum, pro eo quod

4) ipse praedixit] Cf. de Princ. I, praef. init. — Hic, quum contra Gnosticos disputetur, non dubium est, quid sit, quod ad Deum ipsum vaticinia referat.

12) Matth. V, 48, 45.

19) Ibid. VI, 9.

23) Ibid. V, 34. 35.

27) Ies. LXVI, 1.

30) Ioh. II, 16.

34) Matth. XXII, 32.

Digitized by Google

sancti essent et viverent, Deum appellabat viventium, illum scilicet qui dixerat in prophetis: „Ego sum Deus, et non est Deus praeter me.“ Sciens namque Salvator Deum Abraham esse eum qui in lege scriptus est, et ipsum esse qui dicit quia „ego sum Deus, et non est Deus praeter me;“ siquidem ipsum illum patrem esse fatetur qui ignorat alium super se esse Deum, sicut putant haeretici: absurde eum patrem pronunciat qui eminentiorem ignorat Deum. Si vero non quidem ignorat, sed fallit dicens non alium esse Deum praeter se, multo magis absurdum est si mendacem patrem suum fatetur. Ex quibus omnibus in hanc indaginem sensus adducitur, quia alium nesciat patrem nisi omnium conditorem et creatorem Deum.

II. Longum erit si ex omnibus Evangeliorum locis testimonia congregemus, quibus unus atque idem Deus legis et evangeliorum esse doceatur. Contingemus tamen breviter etiam de Actibus apostolorum, ubi Stephanus et apostoli preces suas dirigunt ad eum Deum qui fecit coelum et terram, et qui locutus est per os sanctorum prophetarum suorum: ipsum dicentes Deum Abraham, Isaac et Iacob; Deum qui eduxit populum suum de terra Aegypti. Quae sententiae sensum nostrum evidentissime sine dubio ad creatoris dirigunt fidem, et affectum eius inserunt his qui haec pie de eo fideliterque didicerunt: sicut et ipse Salvator cum interrogatus esset quod mandatum esset maximum omnium in lege, respondit, dicens: „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.“ Et his addidit: „quia in istis duobus mandatis tota lex pendet et prophetae.“ Quomodo ergo ei quem erudiebat atque in discipulatum producebat, hoc mandatum ante omnia mandata commendat, per quod sine dubio in Deum legis eius conciliaretur affectus, eo quod ipsis his verbis haec fuerant a lege praedicata? Sed concedatur contra has omnes evidentissimas approbationes, quia de alio nescio quo Deo dicat Salvator: „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,“ et reliqua quae di-

5) Ies. XLV, 7. 30) Matth. XXII, 37 ss.
19) Act. VII.

Digitized by Google

cta sunt. Et quomodo, si lex et prophetae creatoris sunt sicut dicunt, id est alterius Dei praeter eum quem ait bonum, consequenter dictum videbitur id quod addidit, legem et prophetas in his duobus pendere mandatis? Quomodo enim quod alienum et peregrinum a Deo est, pendebit in Deo? Paulus autem dicens: „Gratias ago Deo meo cui servio in spiritu meo a proavis meis in conscientia pura:" dilucide ostendit quia non ad aliquem novum Deum, sed ad Christum venerit. Quos enim alios proavos Pauli oportebit intelligi, nisi eos de quibus ipse dicit: „Hebraei sunt, et ego: Israelitae sunt, et ego"? Sed et praefatio ipsa epistolae eius ad Romanos, nonne haec eadem his qui intelligere Pauli literas norunt, diligenter ostendet, quem Deum Paulus praedicat? Ait enim: „Paulus servus Iesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Christi Iesu Domini nostri," etc. Sed et illud quod ait: „Non obturabis os bovi trituranti: numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique dicit? Propter nos enim scriptum est, quia in spe debet qui arat arare, et qui triturat sub spe fructus percipiendi." In quo evidenter ostendit quia qui legem dedit Deus, propter nos, id est propter apostolos dicit: „Non obturabis os bovi trituranti:" cui cura erat non boum, sed apostolorum qui Christi evangelium praedicabant. In aliis quoque promissionem legis amplectens Paulus ipse ita ait: „Honora patrem tuum et matrem, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, et longaevus super terram sis, terram bonam quam Dominus Deus tuus dabit tibi." Per quae sine dubio placere sibi legem et Deum legis atque eius promissa pronunciat.

III. Sed quoniam solent interdum huius haeresis assertores per deceptiosa quaedam sophismata simpliciorum quorumque corda decipere, absurdum non

7) 2 Tim. I, 3.
12) 2 Cor. XI, 22.
16) Rom. I, 1 ss.
23) 1 Cor. IX, 9.
33) Ephes. VI, 2. 3.

puto si etiam ea, quae in assertionibus suis proferre solent, proponentes, subreptionem eorum ac mendacia confutemus. Aiunt igitur: Scriptum est: „Deum nemo vidit unquam:“ ille autem Deus quem Moyses praedicat, et ab ipso Moyse visus est, et antea a patribus eius: is vero qui a Salvatore annunciatur, a nullo penitus visus est. Interrogemus ergo eos et nos, si hunc quem fatentur Deum et alium esse eum dicunt quam creatorem Deum, visibilem an invisibilem dicant esse. Et siquidem dixerint quia visibilis
86 est, praeter hoc quod contra Scripturae sententiam venire arguentur, quae dicit de Salvatore, quia „imago est invisibilis Dei, primogenitus omnis creaturae,“ incurrent etiam in illud absurdum, quod Deum corporeum esse dicant. Non enim aliter videri quid potest nisi per habitum, et magnitudinem, et colorem, quae sunt specialia corporum. Et si corpus esse pronuncietur Deus, quoniam omne corpus ex materia est, invenietur et Deus esse ex materia: quod si ex materia sit, materia autem sine dubio corruptibilis est, erit ergo iam secundum illos corruptibilis Deus. Rursum quoque interrogabimus eos. Materia facta est an ingenita, id est infecta? Et siquidem dixerint quia infecta est, id est ingenita, requiremus ab eis si materiae pars quidem alia Deus, alia autem pars mundus est. Si vero responderint de materia quia facta est, sine dubio consequetur, ut eum quem Deum dicunt, factum esse fateantur: quod utique nec ipsorum, nec nostra ratio admittit. Sed dicent: Invisibilis est Deus. Et quid agetis? Si invisibilem eum esse dicitis per naturam, neque Salvatori debet esse visibilis. Quinimo et videri Deus pater Christi dicitur, quoniam „qui videt,“ inquit, „Filium, videt et Patrem.“ Quod utique vos vehementer angustat, a nobis vero rectius non pro

3) 1 Ioh. I, 18.

12) Coloss. I, 15.

18) quoniam omne] cf. fragm. l. III, 2 et quae e libris c. Cels. de materia eadem, omnibus corporibus subiacente, ibi annotavimus; cf. c. Cels. IV, p. 550.

31) „Restat ut invisibilis sit Deus; si autem invisibilis per naturam est, neque Salvatori visibilis erit.“ Hieron. interpr. in epist. ad Avitum p. 763. Cf. quae annotavimus p. 103 ad l. 18, et fragm. l. IV, p. 193. Itaque mox Moysen dicit vidisse Deum, *et hoc ex parte aliqua.*

33) Ioh. XIV, 9.

videndo sed pro intelligendo sentitur. Qui enim intellexerit Filium, intelliget et Patrem. Hoc ergo modo Moyses etiam Deum vidisse putandus est, non carnalibus oculis eum intuens, sed visu cordis ac sensu mentis intelligens, et hoc ex parte aliqua. Manifestum enim est „quia faciem," inquit, „meam non videbis," scilicet qui Moysi responsa praebebat, „sed posteriora mea." Quae utique cum eo sunt intelligenda sacramento, quo intelligi convenit dicta divina, abiectis profecto illis et spretis anilibus fabulis quae de anterioribus Dei ab imperitis, posterioribusque finguntur. Neque sane quis nos impium aliquid sensisse arbitretur, quod diximus quia nec Salvatori visibilis est Pater: consideret quali distinctione adversus haereticos agentes utimur. Diximus enim quod aliud sit videre et videri, et aliud nosse et nosci, vel cognoscere atque cognosci. Igitur videre et videri corporum res est: quod utique nec Patri nec Filio nec Spiritui sancto inter se invicem competenter aptabitur. Natura enim Trinitatis modum visionis excedit, his quae in corpore sunt, id est omnibus reliquis creaturis, qualitatem inter se invicem visionis indulgens; incorporeae vero naturae et principaliter intellectuali, nihil aliud convenit nisi nosse vel nosci, sicut et Salvator ipse pronunciat dicens, quia „nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare." Manifestum ergo est quia non dixit, Nemo vidit Patrem nisi Filius, sed, „Nemo novit Patrem nisi Filius."

IV. Si vero propter illa quae dicuntur in veteri Testamento, quod irascitur Deus vel poenitet, vel si qua alia humani affectus passio designatur, materiam sibi ad confutandos nos praeberi putant, affirmantes penitus impassibilem Deum, atque his omnibus carentem affectibus sentiendum: ostendendum est eis etiam in evangelicis parabolis haberi similia, cum

1) intellexerit] sive noverit i. e. νοητῶς, non κατὰ σάρκα. Quae enim in Evangeliis narrantur gesta Iesu, ea omnia allegorice intelligenda sunt. Sic ne in minimis quidem contraria sibi sunt, quae ἐναντία videntur.

6) Exod. XXXIII, 23.

12) Neque sane sq.] Nescio an haec sint Rufini, an saltem ab ipso interpolata.

26) Matth. XI, 27.

dicit, quia is qui plantavit vineam, et locavit eam colonis, qui coloni missos ad se servos interemerunt, ad ultimum etiam filium ad se missum occiderunt, iratus dicitur abstulisse vineam ab eis, et malos colonos male perditum dedisse, et vineam colonis aliis tradidisse qui redderent ei fructum in tempore suo. Sed et illos cives qui, profecto patrefamilias accipere sibi regnum, legatos miserunt post eum dicentes: „Nolumus eum regnare super nos," impetrato regno regressus paterfamilias et iratus interfici coram se iubet, et civitatem eorum igne consumit. Sed et nos sive in veteri Testamento sive in novo, cum de ira Dei legimus, non secundum literam quae dicuntur advertimus, sed spiritalem intellectum requirimus in talibus, ut ita sentiamus sicut intelligere de Deo dignum est. De quibus secundum parvitatem sensus nostri cum secundi Psalmi exponeremus illum versiculum in quo ait: „Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos," prout potuimus qualiter hoc intelligi deberet, ostendimus.

Cap. V. De iusto et bono. *) Verum quoniam movet etiam istud quosdam quod principes istius haeresis divisionem quamdam fecisse sibi videntur, qua dixerunt aliud esse iustum, aliud bonum; et hac divisione in divinitate etiam usi sunt, affirmantes bonum quidem Deum esse patrem Domini nostri Iesu Christi, et non iustum, iustum vero legis et prophetarum Deum, nec tamen bonum: huic quaestioni respondere quam potuero breviter necessarium puto.

Existimant igitur bonitatem affectum talem quem-
87 dam esse, quod bene fieri omnibus debeat etiamsi indignus sit is cui beneficium datur, nec bene consequi mereatur: sed, ut mihi videtur, non recte usi sunt tali definitione, putantes non fieri bene huic cui austerum vel triste aliquid infertur. Iustitiam vero putarunt affectum esse talem qui unicuique

1) Matth. XX.

9) Luc. XIX, 14.

13) non secundum literam] Uberius de ira Dei disseritur hom. XVIII in Ierem. p. 247, quem locum lingua vernacula exhibet Neander K. G. I, p. 647.

17) Psal. II, 5.

*) De iusto et bono] sc. Deo, i. e. quod iustus Deus et bonus idem est, contra Gnosticos.

Digitized by Google

prout meretur retribuat. Sed et in hoc rursum definitionis suae sensum non recte interpretantur. Putant enim quia quod iustum est malis mala faciat, bonis bona; id est, ut secundum sensum ipsorum iustus malis non videatur bene velle, sed velut odio quodam ferri adversus eos: et colligunt sicubi forte in Scripturis veteris Testamenti inveniunt historiam referentem, verbi gratia, de diluvii poenis, et eorum qui in eo extincti referuntur, vel cum Sodoma et Gomorra ignei sulphureique imbris vastatione depopulantur, vel cum in deserto pro peccatis suis omnes decidunt, ita ut nullus ex his qui de Aegypto fuerant profecti, inveniatur terram repromissionis intrare praeter Iesum et Caleb. De novo autem Testamento misericordiae ac pietatis congregant verba, quibus a Salvatore discipuli informantur, et quibus pronunciari videtur, quia nemo sit bonus praeter unum Deum patrem: et per hoc ausi sunt bonum quidem nominare Patrem Salvatoris Iesu Christi, alium autem esse dicunt mundi Deum, quem iustum eis, non etiam bonum placuit appellare.

II. A quibus primo illud exigendum puto, si secundum suam definitionem iustum possunt ostendere conditorem punientem pro meritis vel eos qui diluvii tempore perierunt, vel Sodomitas, vel eos qui ex Aegypto profecti fuerant, cum videamus interdum multo nequiora et scelestiora committi flagitia quam fuerint illa pro quibus hi quos supra diximus interempti sunt, nondum tamen videmus unumquemque peccantium poenam luere meritorum; numquidnam bonum dicent effectum eum qui aliquando iustus erat? an potius illud putabunt, quod iustus quidem est nunc, sed patienter fert humana delicta, tunc vero nec iustus quidem erat qui innocentes parvulos et lactentes simul cum immanibus et impiis gigantibus extinguebat? Sed haec ita sentiunt, quia nihil audire ultra literam norunt: alioquin ostendant quomodo iustum est secundum literam, in tertiam et quartam progeniem parentum reddi peccata in sinum filiorum, et in filiorum ipsorum filios post ipsos. A nobis autem talia ista non secundum literam intelliguntur, sed sicut Ezechiel docuit parabolam eam

8) Gen. VII, 19.
9) Gen. XX.
38) Deuter. V, 9.
42) Ezech. XVIII, 3.

dicens, requirimus quid significet introrsus ipsa parabola. Sed et illud debent ostendere, quomodo iustus sit, et pro meritis unicuique retribuens, qui punit terrenos et diabolum, cum nihil dignum poena commiserint. Non enim poterant, si secundum istos naturae malae et perditae erant, aliquid boni agere. Nam et quod iudicem eum dicunt, non tam gestorum quam naturarum iudex videtur: quippe si natura mala benefacere non potest, nec bona male. Tum deinde eum quem bonum dicunt, si ad omnes bonus est, sine dubio et ad eos qui perituri sunt bonus est: et quomodo non eos salvat? Si non vult, iam non erit bonus: si vult et non potest, omnipotens non erit. Quin potius audiant in Evangeliis Patrem Domini nostri Iesu Christi ignem praeparantem diabolo et angelis eius. Et quomodo istud opus tam poenale quam triste secundum sensum istorum boni Dei videbitur? Sed et ipse Salvator boni Dei Filius in Evangeliis protestatur et dicit, „quia si signa et prodigia facta fuissent in Tyro et Sidone, olim in sacco et cinere sedentes poenitentiam egissent." Et quum proximus utique ipsis urbibus accessisset, ac fines earum fuisset ingressus, cur quaeso declinat civitates istas ingredi, et praestare eis signorum et prodigiorum copiam, si eas his gestis in sacco et cinere certum erat acturas esse poenitentiam? Quod utique cum non facit, sine dubio perditioni eas relinquit, quas malae et perditae naturae non esse ipse Evangelii sermo indicat qui eas potuisse poenitere designat. Sed et in quadam Evangelii nihilominus parabola ingrediens rex videre discumbentes qui fuerant invitati, vidit quemdam non indutum nuptialibus indumentis, et ait ei: „Amice, quomodo huc intrasti non habens indumentum nuptiale? Tunc ait ministris: Ligantes ei manus et pedes mittite eum foras in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium." Dicant nobis quis est iste rex qui ingressus est videre discumbentes, et inveniens inter eos quemdam sordidis indumentis, iubet eum vinctum per ministros suos in exteriores tenebras detrudi. Numquidnam ille est quem iustum dicunt? Et quomodo bonos ac malos iusserat invitari, nec

14) Matth. XXV, 41.
19) Ibid. XI, 21.
33) Matth. XXII, 12. 13.

merita a ministris sciscitari praeceperat? Per quod utique non iusti alicuius, ut isti dicunt, et pro meritis retribuentis, sed erga omnes indiscretae benignitatis indicatur affectus. Si vero necesse est hoc de bono Deo, id est vel de Christo, vel de Patre Christi intelligi, quid aliud est quod iusto Dei iudicio obiiciunt: imo quid tale est quod in Deo legis criminantur, quale est ut eum qui ab his servis quos miserat vocare bonos et malos fuerat invitatus, iuberet pro sordidioribus indumentis vinctum manibus pedibusque in exteriores tenebras praecipitari?

III. 88 Et haec quidem sufficere debent quae ex auctoritate assumsimus Scripturarum ad refellenda ea quae haeretici obtendere solent. Non tamen indecens videbitur, si etiam ex ratione ipsius consequentiae paucis agamus cum eis. Interrogamus ergo eos si norunt quae ratio apud homines virtutis ac malitiae habeatur, et si videtur consequens esse, ut virtutes dicamus in Deo, vel, ut ipsis videtur, in duobus istis diis. Respondeant hoc quoque: si videtur eis bonitas virtus esse aliqua, quod puto sine dubio fatebuntur, quid etiam dicent de iustitia? Numquam profecto, ut mihi videtur, ita desipient, ut iustitiam negent esse virtutem. Ergo si bonum virtus et iustitia virtus est, sine dubio iustitia bonitas est. Si vero dixerint, non esse bonum iustitiam, superest ut aut malum sit, aut indifferens. Et quidem dicentibus malum esse iustitiam respondere ineptum puto. Videbor enim vel insanis sermonibus, vel mente motis hominibus respondere. Malum enim quomodo videbitur id quod bonis bona retribuere potest, sicut etiam ipsi fatentur? Si vero indifferens dixerint, consequens est ut cum iustitia indifferens sit, et sobrietas et prudentia et omnes reliquae virtutes indifferentes habeantur. Et quid respondebimus Paulo dicenti: „Si qua virtus, si qua laus, haec cogitate, quae didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me“? Discant ergo perscrutantes Scripturas divinas quae sunt singulae virtutes, et non surripiant in hoc quod dicunt, quia is Deus qui unicuique secundum meritum retribuit, odio malorum retribuit malis mala, et non pro eo quod austerioribus curari indigent medicamentis hi qui deliquerunt, et propterea his adhibet

36) Philipp. IV, 8. 9.

bus quae emendationis prospectu ad praesens videntur sensum doloris inferre. Non legunt quid scriptum sit de spe illorum qui in diluvio perempti sunt, de qua spe Petrus ipse in prima epistola sua ita ait: „Quia Christus mortuus quidem est carne, vivificatus autem spiritu: in quo pergens praedicavit his spiritibus qui in carcere tenebantur, qui increduli fuerant aliquando cum exspectarent Dei patientiam in diebus Noe cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo animae salvae factae sunt per aquam, quod et vos simili forma nunc baptisma salvos facit.“ De Sodoma autem et Gomorra dicant nobis, si credunt creatoris Dei esse propheticas voces, eius scilicet qui refertur super eos ignis et sulphuris imbrem pluisse: quid dicit de ipsis Ezechiel propheta? „Restituetur,“ inquit, „Sodoma in antiquum.“ Quid autem affligens eos qui poena digni sunt, non pro bono affligit? Qui etiam ad Chaldaeam dicit: „Habes carbones ignis, sede super eos, ipsi erunt tibi adiutorio.“ Sed et de his qui in deserto ceciderunt, audiant quid in LXXVII Psalmo, qui Asaph superscribitur, referatur; ait enim: „Cum occideret eos, tunc exquirebant eum.“ Non dicit, quia aliis interfectis alii requirebant eum, sed ait quia eorum qui occidebantur talis erat interitus, ut mortificati requirerent Deum. Ex quibus omnibus constat unum eumdemque esse iustum et bonum legis et evangeliorum Deum, et benefacere cum iustitia et cum bonitate punire: quia nec bonum sine iusto nec iustum sine bono dignitatem divinae potest indicare naturae.

Addemus adhuc etiam hoc versutiis eorum compellentibus nos. Si aliud est iustum quam bonum, quoniam bono malum contrarium est, et iusto iniustum, sine dubio et iniustum aliud erit quam malum: et sicut iustus apud vos non est bonus, ita neque iniustus erit malus: et rursum, sicut bonus non est iustus, ita et malus non erit iniustus. Cui autem non videtur absurdum, ut Deo quidem bono contrarius sit malus, Deo autem iusto quem inferiorem bono dicunt, contrarius nemo sit? Non enim sicut Satanas est qui malus dicitur, ita est alius aliquis

5) 1 Pet. III, 18 ss.
16) Ezech. XVI, 53.
18) Ies. XLVII, 14. 15.
21) Psal. LXXVII, 34.

qui dicatur iniustus. Quid ergo est? Rescindamus ea quae defendimus. Non enim poterunt dicere quia malus non etiam iniustus sit, et iniustus malus. Quod si in istis contrariis indissociabiliter inhaeret vel malo iniustitia, vel iniustitiae malum, sine dubio et bonus indissociabilis erit iusto, et iustus bono: ut sicut unam eamdemque nequitiam malitiae et iniustitiae dicimus, ita bonitatis ac iustitiae virtutem unam eamdemque teneamus.

IV. Sed iterum ad Scripturae nos revocant verba proferentes illam suam famosissimam quaestionem. Aiunt namque: Scriptum est, „quia non potest arbor mala fructus bonos facere: ex fructu enim arbor cognoscitur." Quid ergo aiunt? Qualis arbor sit lex, ex fructibus suis, id est ex praeceptorum sermonibus declaratur. Si enim bona inveniatur lex, sine dubio et qui dedit eam bonus Deus esse creditur. Si vero iusta magis quam bona, iustus etiam legislator putabitur Deus. Paulus apostolus nulla circuitione usus ait: „Lex ergo bona est, et mandatum sanctum et iustum et bonum." Ex quibus est manifestum quia Paulus non istorum literas didicerat, qui iustum a bono separant, sed ab eo Deo fuerat instructus, et eius Dei spiritu fuerat illuminatus, qui simul et sanctus et bonus et iustus est: per cuius ille Spiritum loquens, dicebat mandatum legis esse sanctum et iustum et bonum. Et ut evidentius supra iustitiam et sanctitatem bonitatem magis inesse ostenderet in mandato, repetito sermone, pro his tribus solam protulit bonitatem, dicens: „Quod ergo bonum est, mihi mors est? absit." Sciens 89
quippe bonitatem genus esse virtutum, iustitiam vero vel sanctitatem species generis, ideo cum in superioribus genus simul ac species nominasset, repetens sermonem ad solum genus retorsit. Sed et in consequentibus: „Peccatum," inquit, „per bonum mihi operatum est mortem." In quo id per genus concludit, quod superius per species exposuerat. Hoc modo namque intelligendum est etiam illud quod dictum est: „Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, et malus de malo profert ma-

12) Matth. VII, 18; XII, 33.
20) Rom. VII, 12.
30) Ibid. 13.
36) Ibid.
40) Matth. XII, 35.

tum." Genus namque assumsit etiam hic in bono vel malo, ostendens sine dubio in bono homine esse et iustitiam et sobrietatem et prudentiam et pietatem et omne quod vel dici bonum vel intelligi potest. Similiter etiam et malum hominem dixit, qui sine dubio esset iniustus et impurus et impius et omnia quae per partes hominem malum deformant: sicut enim sine his nequitiis nemo aliquem malum hominem putat, nec esse malus potest, ita et sine illis virtutibus certum est quod nemo putabitur esse bonus. Superest eis adhuc etiam illud, quod velut proprie sibi datum scutum putant, quod dixit Dominus in Evangelio: „Nemo bonus nisi unus Deus pater;" dicentes hoc esse proprium vocabulum Patris Christi, qui tamen alius sit a creatore omnium Deo, cui creatori bonitatis nullam dederit appellationem. Videamus ergo si in veteri Testamento Deus prophetarum et mundi creator ac legislator non dicitur bonus. Et quid est quod in Psalmis dicit: „Quam bonus Israel Deus rectis corde;" et: „Dicat nunc Israel quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius." Et in lamentationibus Hieremiae scriptum est: „Bonus Dominus his qui sustinent eum, animae quaerenti eum.". Sicut ergo bonus in veteri Testamento frequenter dicitur Deus, ita etiam iustus in Evangeliis appellatur Domini nostri Iesu Christi Pater. Denique in Evangelio secundum Ioannem orans ipse Dominus noster ad Patrem dicit: „Pater iuste, et mundus te non cognovit." Ne forte dicant quia etiam mundi creatorem pro assumtione carnis Patrem vocabat, et ipsum iustum nominabat: excluduntur ab eo sermone qui statim sequitur; ait enim: „Et mundus te non cognovit." Secundum ipsos enim solum Deum bonum mundus ignorat. Nam conditorem suum verissime recognoscit, Domino ipso dicente, quia mundus quod suum est diligit. Aperte ergo ille quem putant bonum Deum, iustus esse in Evangeliis dicitur. Ex otio sane licebit plura testimonia congregare, sicubi in novo Testamento Pater Domini nostri Iesu Christi iustus appellatur, et etiam in veteri Testamento coeli

13) Luc. XVIII, 19.
20) Psal. LXXII, 1.
20) Psal. CXVII, 2.
23) Thren. III, 25.
29) Ioh. XVII, 25.

Digitized by Google

et terrae creator bonus dicitur, ut pluribus testimoniis convicti haeretici aliquando forte erubescant.

Cap. VI. De incarnatione Christi.

Tempus est his decursis repetere nos de incarnatione Domini et Salvatoris nostri, quomodo vel quare homo fuerit factus. Pro viribus igitur nostris perexiguis considerata ex operum suorum magis quam ex nostri sensus contemplatione, divina natura, intuitisque nihilominus creaturis eius visibilibus, fide quoque invisibilibus contemplatis, quia non omnia vel oculis videre potest humana fragilitas vel ratione complecti, pro eo quod omnium rationabilium infirmius et fragilius animal nos homines sumus; praestantiora enim sunt illa quae vel in coelo, vel super coelos habentur: superest ut harum omnium creaturarum et Dei medium, id est, mediatorem quaeramus, quem Paulus apostolus primogenitum omnis creaturae pronunciat. Videntes quoque nos ea quae de eius maiestate in Scripturis sanctis referuntur, et intuentes quod „imago invisibilis Dei, et primogenitus omnis creaturae“ dicatur, et quod „in ipso creata sunt omnia visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia illi constant,“ qui est caput omnium, solus habens caput Deum Patrem; scriptum est enim „Caput autem Christi Deus:“ pervidentes etiam quod scriptum est, quoniam „nemo novit Patrem nisi Filius, neque quis novit Filium nisi Pater:“ quis enim potest nosse quae sit sapientia, nisi qui genuit eam? aut quis ad liquidum quae sit veritas novit nisi veritatis pater? quis certe universam verbi sui naturam, atque ipsius Dei quae ex Deo est, investigare potuit, nisi solus Deus apud quem

3) repetere] i. e. denuo et uberius exponere; alia potestas est vocis ἀνακεφαλαιοῦν, quam tamen eodem verbo reddit Rufinus l. IV, p. 189.

5) Pro — pertinent] Apol. Pamph. p. 24.

11) omnium rationabilium] Quamvis enim homines felicitate et vera dignitate medii sint inter angelos et daemones, Tom. XV in Matth. p. 692: tamen daemones naturali potestate superiores sunt, Tom. I in Ioh. p. 32, de Princ. III, p. 138; cf. fragm. l. I, 10.

19) Coloss. I, 15 sq.

26) 1 Cor. XI, 3.

27) Matth. XI, 27.

erat verbum? — pro certo habere debemus quod hoc verbum, sive ratio dicenda est, hanc sapientiam, hanc veritatem, nullus alius nisi solus Pater novit, de quo scriptum est: „Ne ipsum quidem mundum capere arbitror libros qui scriberentur,“ de gloria scilicet et maiestate Filii Dei. Impossibile namque est literis committere ea quae ad Salvatoris gloriam pertinent. His igitur tantis ac talibus de natura Filii Dei consideratis, cum summa admiratione obstupescimus quod eminens omnium ista natura exinaniens se de statu maiestatis suae homo factus sit, et inter homines conversatus, sicut gratia labiis eius infusa testatur, et sicut testimonium ei reddit pater coelestis, et ut signis quoque et prodigiis variis virtutibusque ab eo gestis confirmatur. Qui etiam ante praesentiam suam hanc quam ostendit in corpore praecursores suos et nuncios adventus sui misit pro-
90 phetas; post ascensionem vero suam in coelos sanctos apostolos divinitatis suae virtute repletos homines vel ex publicanis vel ex piscatoribus imperitos et indoctos circuire fecit orbem terrarum, ut ex omni genere atque ex omnibus populis piorum plebem in se credentium congregarent.

II. Verum ex omnibus de eo miraculis et magnificentiis illud penitus admirationem humanae mentis excedit, nec invenit mortalis intelligentiae fragilitas quomodo sentire vel intelligere possit, quod tanta illa potentia divinae maiestatis, ipsum illud verbum Patris, atque ipsa sapientia Dei, in qua creata sunt omnia visibilia et invisibilia, intra circumscriptionem eius hominis qui apparuit in Iudaea, fuisse credenda sit; sed et ingressa esse Dei sapientia vulvam femi-

4) Ioh. XXI, 25.

9) obstupescimus] En semina eius, quae postea apud Aegyptios regnare coepit, de Christo sententiae. Alioquin non tam incarnatum Deum, quam humanam naturam, assumentem divinam, profitetur. Monophysitismum tamen redolere videbantur, quae leguntur c. Cels. III, p. 474: τὸ θνητὸν αὐτοῦ σῶμα εἰς θεὸν μεταβεβηκέναι. Neque scio an monotheletismum adeo sapiat illud εἰς τὸ μηκέτι εἶναι δύο θελήματα, ἀλλ' ἓν θέλημα, Tom. XIII in Ioh. p. 246. Inde lites istae de Origene, Iustiniano regnante. — Cf. Huet. II, 3, 6; Guerike II, p. 238.

10) eminens omnium] i. e. eminentissima omnium.

10) natura] ergo non Deus ipse, ὁ θεός.

30) intra circumscriptionem fuisse] Cyrilli haec videantur Alexandrini.

nae, et nasci parvulus, et vagitum emittere ad similitudinem plorantium parvulorum; tum deinde quod in morte conturbatus refertur, ut ipse etiam profitetur dicens: „Tristis est anima mea usque ad mortem;“ et ad ultimum quod usque ad eam quae inter homines indignissima habetur adductus est mortem, licet post tertiam surrexerit diem. Cum ergo in eo quaedam ita videamus humana ut nihil a communi mortalium fragilitate distare videantur, quaedam ita divina ut nulli alii nisi illi primae et ineffabili naturae conveniant deitatis, haeret humani intellectus angustia, et tantae admirationis stupore percussa, quo declinet, quid teneat, quo se convertat, ignorat. Si Deum sentiat, mortalem videt: si hominem putet, devicto mortis imperio cum spoliis redeuntem a mortuis cernit. Propter quod cum omni metu et reverentia contemplandum est, ut in uno eodemque ita utriusque naturae veritas demonstretur, ut neque aliquid indignum et indecens in divina illa et ineffabili substantia sentiatur, neque rursum quae gesta sunt, falsis illusa imaginibus existimentur. Quae quidem in aures humanas proferre, et sermonibus explicare, longe vires vel meriti nostri vel ingenii ac sermonis excedit. Arbitror autem quia etiam sanctorum apostolorum supergrediatur mensuram: quinimo etiam fortassis totius creaturae coelestium virtutum eminentior est sacramenti istius explanatio. De quo nos non temeritate aliqua, sed quoniam ordo loci deposcit, ea magis quae fides nostra continet, quam quae humanae rationis assertio vindicare solet, quam paucissimis proferemus, suspiciones potius nostras

4) Matth. XXVI, 38.

21) Quae quidem ss.] „Haec a Rufino adtexta suspicarer, si non de rebus obscuris disputaturus Origenes ita praefari soleat.“ Sic Huetius II, 6, 6. „Sciant vero necesse est, qui Origenem sibi notum esse volunt, modestiam hanc et inconstantiam (quae alibi cernitur) non semper in eo dominari. Timidus nempe ac varius est in definiendis ex philosophiae praeceptis illis christianae religionis dogmatibus, quae *pura* vocant theologi, i. e. illis, quae ex divinis libris unice cognoscuntur. — At multo audacior est et certior, quum declaranda sunt dogmata, quae supra rationem humanam non sunt posita, et *mixta* nominantur a theologis, de Deo, verbi causa, mundo, anima et alia.“ Mosheim de rebus Christ. p. 608.

24) apostolorum supergrediatur] Cf. p. 64 med., fragm. l. IV, p. 193, de Princ. IV, p. 189.

quam manifestas aliquas affirmationes in medium proferentes.

III. Igitur unigenitus Dei per quem omnia facta esse visibilia et invisibilia in superioribus sermo disputationis edocuit, secundum Scripturae sententiam et fecit omnia, et quae fecit, diligit. Nam cum invisibilis Dei ipse sit imago invisibilis, participationem sui universis rationabilibus creaturis invisibiliter praebuit, ita ut tantum ex eo unusquisque participii sumeret, quanto erga eum dilectionis inhaesisset affectu. Verum cum pro liberi arbitrii facultate varietas unumquemque ac diversitas habuisset animorum, ut alius ardentiore, alius tenuiore et exiliore erga auctorem suum amore teneretur, illa anima de qua dixit Iesus: „Quia nemo auferet a me animam meam,“ ab initio creaturae et deinceps inseparabiliter ei atque indissociabiliter inhaerens, utpote sapientiae et verbo Dei et veritati ac luci verae, et tota totum recipiens, atque in eius lucem splendoremque ipsa cedens, facta est cum ipso principaliter unus spiritus, sicut et apostolus his qui eam imitari deberent, promittit, quia „qui se iungit Domino, unus spiritus est.“ Hac ergo substantia animae inter Deum carnemque mediante: non enim possibile erat Dei naturam corpori sine mediatore misceri: nascitur, ut diximus, Deus homo, illa substantia media existente, cui utique contra naturam non erat corpus assumere. Sed neque rursus anima illa, utpote substantia rationabilis, contra naturam habuit capere Deum, in quem, ut superius diximus, velut in verbum et sapientiam et veritatem tota iam cesserat. Unde et

3) Igitur — mentis excedit p. 92] Reperiuntur haec in libro ad Ianuarium p. 60, ordine sententiarum paulisper immutata, sed nulla lectionis varietate, quae gravioris momenti sit, obvia.

11) varietas etc.] v. fragm. l. II, 2. Apud Hieronymum in ep. ad Avit. p. 763 haec sic se habent: „Nulla alia anima, quae ad corpus descendit humanum, puram et germanam similitudinem signi in se prioris expressit, nisi illa de qua Salvator loquitur: *Nemo tollet animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso.*“

15) Ioh. X, 18.

20) principaliter seq.] Huc pertinet illud *οὐ μόνον κοινωνίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἑνώσει καὶ ἀνακράσει* sc. animae cum Logo, *τὰ μέγιστα φαμὲν προσειληφέναι τὸ θνητὸν αὐτοῦ σῶμα*, c. Cels. III, p. 474; Tom. I in Ioh. p. 38.

22) 1 Cor. VI, 17.

merito pro eo vel quod tota esset in Filio Dei, vel totum in se caperet Filium Dei, etiam ipsa cum ea quam assumserat carne, Dei Filius et Dei virtus, Christus et Dei sapientia appellatur: et rursum Dei Filius per quem omnia creata sunt, Iesus Christus et filius hominis nominatur. Nam et Filius Dei mortuus esse dicitur, pro ea scilicet natura, quae mortem utique recipere poterat: et filius hominis appellatur, qui venturus in Dei Patris gloria cum sanctis angelis praedicatur. Et hac de causa per omnem Scripturam tam divina natura humanis vocabulis appellatur, quam humana natura divinae nuncupationibus insignibus decoratur. Magis enim de hoc quam de ullo alio dici potest, quod scriptum est quia „erunt ambo in carne una, et iam non sunt duo, sed caro una." Magis enim verbum Dei cum anima in carne una esse, quam vir cum uxore, putandum est. Sed et unus spiritus esse cum Deo, cui magis convenit, quam huic animae, quae se ita Deo per dilectionem iunxit, ut cum eo unus spiritus merito dicatur?

Quod autem dilectionis perfectio, et meriti affe- IV.
ctus sinceritas ei hanc inseparabilem cum Deo fe-
cerit unitatem, ita ut non fortuita fuerit, aut cum 91
personae acceptione animae eius assumtio, sed virtutum suarum ei merito delata, audi ad eam prophetam dicentem: „Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae participibus tuis." Dilectionis ergo merito ungitur oleo laetitiae, id est anima Christi cum verbo Dei Christus efficitur. Ungi namque oleo laetitiae, non aliud intelligitur quam Spiritu sancto repleri. Quod autem „prae participibus" dixit, indicat quia non gratia Spiritus sicut prophetis ei data est, sed ipsius verbi Dei in ea substantialis inerat plenitudo, sicut et apostolus dixit: „In quo inhabi-

15) Gen. II, 24, et Marc. X, 8.

22) Quod autem — efficitur] V. fragm. l. II, 3.

27) Psal. XLIV, 8.

34) Non — sicut prophetis] „Nec vero quasi blasphemantem me lapidetis, dum velim glorificare dominum meum Iesum Christum: sed sustinentes considerate, quod dicitur, et videbitis quia in nullo eorum requieverit Spiritus sanctus, non quod ad nullum eorum pervenerit, sed quod in nullo requieverit." Orig. hom. III in Ies. p. 111.

36) Coloss. II, 9.

tat omnis plenitudo divinitatis corporaliter." Denique propter hoc non solum dixit: „Dilexisti iustitiam," sed addit, „et odisti iniquitatem." Odisse enim iniquitatem est illud quod Scriptura dicit de eo, quia „peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius," et quod ait: „Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato." Sed et ipse Dominus dicit: „Quis vestrûm arguet me de peccato?" Et iterum ipse dicit de se: „Ecce venit princeps mundi huius, et in me non invenit quicquam." Quae omnia nullum in eo peccati sensum indicant exstitisse. Quod ut propheta evidentius designaret, quia nunquam in eum iniquitatis sensus intrasset, ait: „Priusquam sciret puer patrem aut matrem vocare, avertit se ab iniquitate."

V. Quod si alicui difficile videbitur, pro eo quod rationabilem animam esse in Christo supra ostendimus, quum utique animarum naturam boni malique capacem per omnes disputationes nostras frequenter ostendimus: hoc modo rei huius explanabitur difficultas. Naturam quidem animae illius hanc fuisse quae est omnium animarum, non potest dubitari: alioquin nec dici anima potuit, si vere non fuit anima. Verum quoniam boni malique eligendi facultas omnibus praesto est, haec anima quae Christi est, ita elegit diligere iustitiam, ut pro immensitate dilectionis inconvertibiliter ei atque inseparabiliter inhaereret, ita ut propositi firmitas, et affectus immensitas, et dilectionis inextinguibilis calor omnem sensum conversionis atque immutationis abscinderet, et

5) Ies. LIII, 9.

6) Hebr. IV, 15.

8) Ioh. VIII, 46.

9) Ioh. XIV, 30.

14) Ies. VIII, 4; VII, 16.

27) inconvertibiliter atque inseparabiliter] i. e. ἀτρέπτως καὶ ἀδιαιρέτως. Hanc de inconvertibilitate Christi sententiam postea Pelagiani suam fecerunt. De ἀναμαρτησίᾳ Iesu v. hom. XII in Levit. p. 252.

27) ei inhaereret] Non enim Deum adscivisse hominem, sed hominem sibi iunxisse Deum, neque totum hominem, sed animam seu praecipuam hominis partem, i. e. mentem. Divina enim natura et materia coalescere nullo modo potuerunt. Itaque non Filius Dei humanam sibi iunxit naturam, sed anima Christi incarnata est, ut Dei ad homines legationem susciperet. Sequitur sic, rationem descensus Filii Dei ad nos atque incarnationis non in Deo esse, eiusque benevolentia erga genus humanum, verum in anima Christi. Mosheim de rebus Christ. p. 624.

Digitized by Google

quod in arbitrio erat positum, longi usus affectu iam versum sit in naturam: ita et fuisse quidem in Christo humana et rationabilis anima credenda est, et nullum sensum vel possibilitatem eam putandum est habuisse peccati.

VI. Ad pleniorem tamen rei explanationem non videtur absurdum, si etiam similitudine aliqua utamur, licet in re tam ardua, tamque difficili, ne exemplis quidem uti commodis copia est. Tamen ut absque aliquo praeiudicio dicamus, ferri metallum capax est frigoris et caloris: si ergo massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris, omnibusque venis ignem recipiens, et tota ignis effecta, si neque ignis ab ea cesset aliquando, neque ipsa ab igne separetur, numquidnam dicemus hanc, quae natura quidem ferri massa est, in igne positam et indesinenter ardentem posse frigus aliquando recipere? Quinimo, quod verius est, magis eam sicut in fornacibus saepe fieri oculis deprehendimus, totam ignem effectam dicimus, quoniam nec aliud in ea nisi ignis cernitur: sed et si qui contingere atque attrectare tentaverit, non ferri, sed ignis vim sentiet. Hoc ergo modo etiam illa anima quae quasi ferrum in igne, sic semper in verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est: et ideo nec convertibilis aut mutabilis dici potest, quae inconvertibilitatem ex verbi Dei unitate indesinenter ignita possedit. Ad omnes denique sanctos calor aliquis verbi Dei putandus est pervenisse: in hac autem anima ipse ignis divinus substantialiter requievisse credendus est, ex quo ad ceteros calor aliquis venerit. Denique quod dixit, quia „unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae participibus tuis," ostendit quod aliter ista anima oleo laetitiae, id est verbo Dei et

4) possibilitas] cf. fragm. l. III, 1, p. 14.

28) unitate] i. e. ἑνώσει.

29) Ad omnes denique] Namque si nostrae mentes Christi animae exemplum eiusque vitam terrestrem contemplantur et imitantur, fit „ut quae ab ipso inceperit divinae naturae cum humana coniunctio etiam in nobis, aliquando in omnibus futura, exsistat, ita ut et nos divini efficiamur," c. Cels. III, p. 465; cf. Gieseler K. G. I, p. 264.

31) ignis divinus] i. e. ὁ λόγος.

33) Psal. XLIV, 8.

35) Non ad Logum sed ad Spiritum s. unctio cum oleo laetitiae referri debebat.

sapientia ungitur, et aliter participes eius, id est sancti prophetae et apostoli. Illi enim in odore unguentorum eius cucurrisse dicuntur: ista autem anima vasculum unguenti ipsius fuit, ex cuius fragrantia participantes digni quique prophetae fiebant et apostoli. Sicut ergo aliud est unguenti substantia, aliud odor eius: ita aliud est Christus, et aliud participes sui. Et sicut vas ipsum quod substantiam continet unguenti, nullo genere potest aliquid recipere foetoris; hi vero qui ex odore eius participant, si se paulo longius a fragrantia eius removerint, possibile est ut incidentem recipiant foetorem: ita Christus velut vas ipsum in quo erat unguenti substantia, impossibile fuit ut contrarium reciperet odorem; participes vero eius quam proximi fuerint vasculo, tam odoris erunt participes et capaces.

VII.
92 Arbitror sane etiam Hieremiam prophetam intelligentem quae sit in eo natura Dei sapientiae, quae etiam haec esset quam pro salute mundi susceperat, dixisse: „Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui diximus quod in umbra eius vivemus in gentibus.“ Pro eo enim quod sicut umbra corporis nostri inseparabilis est a corpore, et indeclinabiliter motus ac gestus corporis suscipit et gerit, puto eum animae Christi opus, ac motum qui ei inseparabiliter inhaerebat, et pro motu eius ac voluntate cuncta perpetrabat, ostendere volentem, umbram Christi Domini hanc vocasse, in qua umbra nos viveremus in gentibus. In huius namque assumtionis sacramento gentes vivunt, quae imitantes eam per fidem veniunt ad salutem. Sed et David dicens: „Memor esto opprobrii mei, Domine, quo exprobraverunt me in commutationem Christi tui,“ similia mihi videtur ostendere. Et Paulus quid aliud sentit, cum dicit: „Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo“? Et quidem in alio loco dicit: „An documentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus?“ Et nunc Christum in Deo dicit absconditum. Cuius rei in-

2) Cantic. I, 3.

12) Christus] i. e. anima Christi, quam ante incarnationem hoc iam nomine vocat.

13) unguenti substantia] opponitur soli fragrantiae. Sensus est: ὁ λόγος.

20) Thren. IV, 1.

31) Psal. LXXXVIII, 51. 52.

35) Coloss. III, 3.

36) 2 Cor. XIII, 3.

tellectus nisi talis aliquis indicetur, qualem per umbram Christi a propheta significatum esse supra diximus, fortassis etiam hunc sensum humanae mentis excedit. Sed et quamplurima alia in Scripturis divinis de umbrae significantia videmus inserta, ut illud in evangelio secundum Lucam, cum dicit Gabriel ad Mariam: „Spiritus Domini superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi." Et apostolus de lege dicit, quia „similitudini et umbrae deserviunt coelestium" hi qui carnalem habent circumcisionem. Et alibi dicitur: „Nonne umbra est vita nostra supra terram?" Si ergo et lex quae super terram est, umbra est, et vita omnis nostra quae est supra terram, umbra est, et in umbra Christi vivimus inter gentes: videndum est ne harum omnium veritas umbrarum in illa revelatione noscatur, cum iam non per speculum et in aenigmate, sed facie ad faciem sancti quique gloriam Dei et rerum causas ac veritatem speculari merebuntur. Cuius veritatis accepto iam pignore per Spiritum sanctum, dicebat apostolus: „Etiam si cognovimus Christum secundum carnem aliquando, sed nunc iam non novimus."

Haec interim nobis ad praesens de rebus tam difficilibus disputantibus, id est de incarnatione, et de deitate Christi occurrere potuerunt. Si quis sane melius aliquid poterit invenire, et evidentioribus de Scripturis sanctis assertionibus confirmare quae dicit, illa potius quam haec recipiantur.

**Cap. VII. De sancto Spiritu.**

Quia ergo post primas illas dissertiones quas de Patre et Filio et Spiritu sancto in initiis secundum quod res poposcerat, exposuimus, visum est rursum repetere nos debere, et ostendere quod Deus idem esset creator et conditor mundi, et pater Domini nostri Iesu Christi, id est legis et prophetarum atque evangeliorum unus atque idem Deus; tum deinde etiam de Christo, quod is qui verbum et sapientia Dei superius fuerat ostensus, etiam qualiter homo factus est in consequentibus debuit demonstrari: su-

7) Luc. I, 35. 11) Hiob VIII, 9.
9) Hebr. VIII, 5. 21) 2 Cor. V, 16.

perest ut etiam de Spiritu sancto quam possumus breviter repetamus.

Tempus est ergo nunc de Spiritu sancto nos pro viribus pauca disserere, quem Dominus et Salvator noster in evangelio secundum Ioannem Paracletum nominavit. Sicut enim idem ipse Deus, atque idem ipse Christus, ita idem Spiritus sanctus est qui in prophetis et in apostolis fuit, id est, sive in illis qui ante adventum Christi Deo crediderunt, sive in his qui per Christum confugerunt ad Deum. Et duos quidem Deos ausos esse haereticos dicere, et duos Christos audivimus: duos autem Spiritus sanctos nunquam cognovimus ab aliquo praedicari. Quomodo enim hoc de Scripturis poterunt affirmare, aut quam differentiam dare poterunt inter Spiritum sanctum et Spiritum sanctum? si tamen definitio aliqua, aut descriptio inveniri potest Spiritus sancti. Nam ut concedamus Marcioni vel Valentino posse differentias deitatis inducere, et aliam boni naturam, aliam vero iusti describere, quid excogitabit, atque quid inveniet, ut differentiam Spiritus sancti introducat? Nihil ergo illos posse ad indicium qualiscumque differentiae arbitror invenire.

II. Nos vero existimamus quod participationem eius similiter ut sapientiae Dei et verbi Dei absque ulla differentia creatura rationabilis omnis assumat. Video tamen quod praecipuus sancti Spiritus adventus ad homines post ascensionem Christi in coelos magis quam ante adventum eius declaretur. Antea nam-

3) Tempus est — praedicari] Apol. Pamph. p. 26.

12) duos autem etc.] „Contrarium tamen scripsit Origenes ad Tit. III, 10 referente Pamphilo in Apol., *sed et sunt qui Spiritum sanctum alium quidem dicant esse qui fuit in prophetis, alium autem qui fuit in apostolis Domini nostri Iesu Christi.* Certe canone apost. 41 damnatur, qui baptizaverit in tres Filios aut in tres Paracletos; et cap. 2 conc. Bracarensis primi anathemate feriuntur Gnostici quod in divinitate Trinitatem Trinitatis ponerent.“ Ruaeus. Locus tamen in Apologia facile cum nostro concilietur, si alterum illum Spiritum proprie non sanctum fuisse subaudiamus.

24) Nos vero etc.] Non sunt contrariae haec fragmenta l. I, p. 62: nam contra diversa secundum Gnosticos animarum genera in textu disputat. Itaque non tam ad *omnes* dicit pervenire, quam ad omnes pervenire (*διήκειν*) *posse* Spiritum sanctum.

29) Antea namque] Hac praecipue ex parte inter se utraque differunt Testamenta, alioquin eadem

que solis prophetis, et paucis, si quis forte in populo meruisset, donum Spiritus sancti praebebatur; post adventum vero Salvatoris scriptum est adimpletum esse illud, quod dictum est in propheta Ioele, quia „erit in novissimis diebus, et effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt:“ quod utique tale est sicut illud quod ait: „Omnes gentes servient ei.“ Per gratiam ergo Spiritus sancti cum re- 93
liquis quamplurimis etiam illud magnificentissimum demonstratur, quod ea quae in prophetis scripta sunt, vel lege Moysi, pauci tunc, id est ipsi prophetae, et vix sicubi unus ex omni populo superare poterat intellectum corporeum, et maius aliquid, id est, spiritale quid poterat intelligere in lege vel prophetis; nunc autem innumerae sunt multitudines credentium, qui licet non omnes possint per ordinem atque ad liquidum spiritalis intelligentiae explanare consequentiam, tamen omnes persuasum habent, quod neque circumcisio corporaliter intelligi debeat, neque otium sabbati, vel sanguinis effusio pecoris, neque quod de his Moysi responsa darentur a Deo: qui utique sensus dubium non est quod Spiritus sancti virtute omnibus suggeratur.

Sicut autem multi sunt intellectus de Christo, III.
qui utique quamvis sapientia sit, non tamen in omnibus sapientiae agit aut obtinet vim, nisi in his qui in ipso sapientiae student; neque cum medicus dicatur, erga omnes quasi medicus agit, sed erga illos tantum qui aegritudinis suae intellecto languore confugiunt ad misericordiam eius, ut possint consequi sanitatem: ita arbitror etiam de Spiritu sancto in quo omnis

continentia doctrinam, quod post Christi et Spiritus adventum iam pateant, quae antea latuerint. Sed non sibi constat Origenes in discrimine, quod inter utrumque intercedit Testamentum, definiendo. Quoties cum Gnosticis ei res est, parem utriusque confitetur dignitatem, Tom. II in Ioh. p. 87, Tom. VI. p. 103: contra Iudaeos vero maiorem et longe quidem maiorem novi Instrumenti praestantiam evincit, hom. I in Ezech. p. 356, Tom. XXXII in Ioh. p. 448, Tom. XIII, p. 259; Tom. X in Matth. p. 452. Recte enim intellexit, paterni, qui in Deo est, amoris nullam fieri in hebraico codice mentionem, Tom. XIX in Ioh. p. 285, ideoque propaedeutici modo eum esse usus, Tom. I in Ioh. p. 9; Tom. X in Matth. p. 451.

13) corporeum] i. e. literalem.

24) intellectus] i. e. ἐπίνοιαι, ex. gr. veritas, lumen, porta, via est Christus.

est natura donorum. Aliis namque praebetur per Spiritum sermo sapientiae, aliis sermo scientiae, aliis fides, et ita per singulos qui eum capere possunt, hoc efficitur, vel hoc intelligitur ipse Spiritus, quo indiget ille qui eum participare meruerit. Quas divisiones ac differentias non advertentes hi qui eum Paracletum in evangelio audiunt nominari, neque considerantes ex quo opere vel actu Paracletus nominetur, vilibus eum nescio quibus spiritibus compararunt, et per hoc conturbare conati sunt ecclesias Christi, ita ut dissensiones fratribus non modicas generarent. Evangelium vero tantae eum potentiae ac maiestatis ostendit, ut dicat apostolos non posse capere adhuc ea quae volebat docere eos Salvator, nisi cum advenerit Spiritus sanctus, qui se eorum animabus infundens illuminare eos possit de ratione ac fide Trinitatis. Isti vero pro imperitia sui intellectus, quia non solum ipsi quod rectum est consequenter non valent exponere, sed ne his quidem quae a nobis dicuntur possunt audientiam commodare, minora quam dignum est de eius divinitate sen-

1) natura donorum] *φύσις* s. *ὕλη χαρισμάτων*, Tom. II in Ioh. p. 60. Sunt autem dona Spiritus sive extraordinaria, quae ad miracula, morborum sanationes, daemonum eiectiones etc. pertinent, c. Cels. I, p. 321, sive ordinaria, praecipue haec duo, ut sensus Scripturae mysticus recludatur, et ut causae et rationes dogmatum divinitus traditorum aperiantur, de Princ. II, p. 93.

1) 1 Cor. VII, 8.

4) hoc efficitur seqq.] Ita enim Scripturarum interpres est Spiritus sanctus, ut unicuique ea ipsa, quae conducant, modo haec, modo illa, modo ad moralem, modo ad allegoricam intellectum pertinentia recludat.

9) vilibus etc.] Cf. Iustinum M. Apol. II ed. Colon. p. 56, *primum in angelorum ordine esse Spiritum sanctum*, quem locum incasso labore tuetur Moehlerus, theoll. Studd. u. Kritt. 1833, fasc. 1, ut ibidem docuit Neander; cf. eiusdem Kirchengesch. I, p. 693. De variis veteris ecclesiae, ad Spiritum sanctum spectantibus, sententiis v. Giesleri K. G. I, p. 389.

16) de ratione seq.] Verba Rufini, sententia Origenis, qui ingenti teneretur et sanctissimo altiora cognoscendi desiderio, *unice in dogmatibus contineri religionem christianam*. Attamen eum non fugit, Salvatorem esse absolute *τὰ ἀγαθά*, *τὸ ἐλπιζόμενον*, in quo quae exoptes, quae salubria sint, plenissime inveniantur recondita, Tom. I in Ioh. p. 7. Nam non doctrinae sed toti potius Domini vitae salutem nostram deberi docet c. Cels. I, p. 383, et Iesum esse *τὴν πᾶσαν ἔμψυχον καὶ ζῶσαν ἀρετὴν*, Tom. XXXII in Ioh. p. 421.

Digitized by Google

tientes, erroribus se ac deceptionibus tradiderunt, erratico magis spiritu depravati, quam sancti Spiritus institutionibus eruditi, secundum quod apostolus dixit: „Doctrinam spirituum daemoniorum sequentes, prohibentium nubere ad interitum et ruinam multorum, et importune se abstinere a cibis, ut per ostentationem acrioris observantiae seducant animas innocentum.“

Oportet ergo nos scire quia Paracletus est Spi- IV.
ritus sanctus, docens maiora quam voce proferri possunt, et, ut ita dixerim, quae ineffabilia sunt, et „quae non licet homini loqui,“ id est quae indicari humano sermone non possunt. Quod autem ait „non licet,“ pro eo quod „non potest“ dictum sentimus ab apostolo, sicut et ibi ubi ait: „Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia aedificant.“ Ea enim quorum potestas nobis est, propter quod habere ea possumus, licere nobis dicit. Paracletus vero quod dicitur Spiritus sanctus, a consolatione dicitur. Paraclesis enim latine consolatio appellatur. Si quis namque de Spiritu sancto participare meruerit, cognitis ineffabilibus sacramentis, consolationem sine dubio et laetitiam cordis assumit. Cum enim rationes omnium quae fiunt, quare vel qualiter fiant, Spiritu indicante cognoverit, in nullo utique conturbari eius anima poterit, aut ullum sensum moeroris accipere: nec in aliquo terretur, cum verbo Dei et sapientiae eius inhaerens, Dominum Iesum dicit in Spiritu sancto. Verum quoniam Paracleti fecimus mentionem, et pro viribus nostris qualiter de eo sentiri debeat, exposuimus; dicitur autem etiam Salvator noster paracletus in epistola Ioannis cum dicit: „Si quis nostrum peccaverit, paracletum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris:“ consideremus ne forte aliud hic significet haec appellatio paracleti de Salvatore, aliud de Spiritu sancto. Videtur enim de Salvatore paracletus dici deprecator: utrumque enim significat in graeco

4) 1 Tim. IV, 1. 2.

11) quae ineffabilia] cf. notam ad p. 131.

12) 2 Cor. XII, 4.

15) 1 Cor. X, 22. 23.

33) 1 Ioh. II, 1. 2.

39) deprecator] Cf. hom. VII in Levit. p. 221: „Salvator meus etiamnunc luget peccata mea. Salvator meus laetari non potest, donec ego

paracletus, et deprecatorem et consolatorem. Propter eum ergo qui subsequitur sermonem, quo ait: „Et ipse est repropitiatio pro peccatis nostris,“ magis in Salvatore nomen paracleti pro deprecatore intelligendum videtur; deprecari enim Patrem pro peccatis nostris dicitur. De Spiritu sancto Paracletus consolator debet intelligi, pro eo quod consolationem praestat animabus, quibus aperte revelat sensum scientiae spiritalis.

Cap. VIII.
De anima.

Post haec iam ordo deposcit nos etiam de anima generaliter inquirere, et ab inferioribus incipientes ad superiora conscendere. Esse namque animas in singulis quibusque animalibus, etiam in his quae in aquis degunt, a nullo arbitror dubitari. Nam et communis omnium hoc servat opinio, et confirmatio
94 sanctae Scripturae auctoritatis accedit, cum dicitur, quia „fecit Deus cetos magnos, et omnem animam animantium repentium, quae produxerunt aquae secundum genus eorum.“ Ex communi vero rationis intelligentia confirmatur etiam ab his qui definitionem animae certis determinant verbis. Definitur namque anima hoc modo, quia sit substantia *φανταστικὴ* et *ὁρμητική*, quod latine, licet non tam proprie explanetur, dici tamen potest sensibilis et mobilis. Quod utique convenit etiam de omnibus animalibus dici, et his quae in aquis degunt; sed et in volucribus eadem definitio animae convenienter ostenditur. Addidit sane Scriptura etiam alterius sententiae auctoritatem, cum dicit: „Non manducabitis sanguinem, quia anima totius carnis sanguis eius est, et non manducabitis animam cum carnibus;“ in quo evidentissime sanguinem omnium animalium animam eorum esse designat. Iam vero si quis requirat, quomodo animam omnis carnis sanguinem eius esse di-

in iniquitate permaneo. Quare non potest? Quia ipse est advocatus pro peccatis nostris apud patrem — interpellans pro nobis,“ idque sacerdotis more, s. Cels. III, p. 469. — 6) Paracletus consolator] graece *παραμυθητής*, Hieron. in Vulg. *Consolator*, perinde Lutherus: rectius *advocatus, patronus*, v. Lücke Comment. zum Joh. II, p. 511 ed. 2.

17) Gen. I, 21.

21) Definitur etc.] Cf. fragm. l. III, p. 12. E Platone haec petita est definitio, v. Tiedemann Geist d. spec. Phil. II, p. 169.

29) Levit. XVII, 14.

Digitized by Google

xit, de apibus, vespis, et formicis, et de his quae in aquis sunt, ostreis, et cochleis, et quaecumque sunt alia quae carent sanguine, et esse animantia manifestissime demonstrantur: respondendum est, quoniam in huiuscemodi animantibus quam in ceteris vim habet rubri sanguinis vigor, hanc vim obtinet in istis humor iste qui inest in eis, licet alterius sit coloris; nihil enim refert qui sit color, dummodo substantia sit vitalis. De iumentis vero vel pecudibus quod animantia sint, etiam apud communem opinionem nulla dubitatio est. Evidens tamen est divinae Scripturae sententia, cum dicit Deus: „Producat terra animam vivam secundum genus, quadrupedia et repentia et bestias terrae secundum genus.“ Iam vero de homine quamvis nulli dubium sit, nec requirere aliquis possit, tamen et Scriptura divina designat, quod „Deus in faciem eius inspiravit spiramentum vitae, et factus est homo in animam viventem.“ Superest de angelico ordine requirere, utrum et ipsi animas habeant, an animae sint, vel de ceteris divinis coelestibusque virtutibus, sed et de contrariis potestatibus. Auctoritatem quidem divinae Scripturae usquam nullam invenimus, quod vel angeli, vel si qui sunt divini spiritus ministri Dei, vel animas habere, vel animae dicantur: animantia tamen esse a quamplurimis sentiuntur. De Deo autem invenimus scriptum esse ita: „Et ponam animam meam super animam illam quae manducaverit sanguinem, et eradicabo eam de populo suo,“ et item alibi: „Neomenias vestras et sabbata et diem magnum acceptum non habeo. Ieiunia et ferias et dies festos vestros odit anima mea.“ Et in XXI Psalmo de Christo, certum est enim quia ex persona ipsius iste Psalmus adscribitur, sicut Evangelium contestatur, ita dictum est: „Tu autem, Domine, ne longe facias auxilium tuum, ad defensionem meam respice, erue a framea Deus animam meam, et de

12) Gen. I, 24.

17) Ibid. II, 7.

20) utrum et sq.] Hieronymus in ep. ad Pammach. p. 316 animas angelorum et corpora, vel desiderio vel ministerio suscepta, internecessit. Mox paene nulla esse haec corpora ostendemus.

27) Levit. XVII, 10.

30) Ies. I, 13. 14.

33) quia ex persona] cf. de Princ. I, p. 47.

35) Psal. XXI, 20. 21.

manu canis unicam meam." Quamvis et multa alia sint testimonia de anima Christi in carne positi.

II. Sed de Christi quidem anima omnem nobis adimet quaestionem ratio incarnationis occurrens. Sicut enim vere carnem habuit, ita vere et animam habuit. De eo vero quod Dei anima in Scripturis nominatur, qualiter intelligi debeat, et sentire et proferre difficile est; semel enim simplicem illam naturam, et absque ullius adiectionis permixtione profitemur: tamen quoquo modo sentiendum est, nominari interim Dei anima videtur: de Christo vero non dubitatur. Et ideo non mihi videtur absurdum etiam de sanctis angelis ceterisque coelestibus virtutibus tale aliquid vel dicere vel sentire; siquidem definitio illa animae etiam in ipsos videtur incurrere. Quis enim rationabiliter sensibiles eos esse vel mobiles poterit denegare? Quod si recta ista videtur esse definitio, quod substantia rationabiliter sensibilis et mobilis anima dicatur, videtur haec eadem definitio etiam ad angelos pertinere. Quid enim aliud in illis quam sensus rationabilis et motus est? Quorum autem una definitionis ratio est, horum sine dubio et eadem substantia est. Paulus sane esse quemdam animalem hominem significat, quem negat ea quae sunt Spiritus Dei posse recipere, sed stultam dicit ei videri Spiritus sancti doctrinam, nec posse eum intelligere quod spiritaliter discernatur. Sed et in alio loco ait seminari corpus animale, et surgere corpus spiritale, ostendens in resurrectione iustorum nihil animale futurum. Et ideo requirimus ne forte substantia aliqua sit quae secundum hoc quod anima est, imperfecta sit. Verum utrum propterea imperfecta sit quod a perfectione decidit, an talis a Deo facta sit, cum per ordinem singula discuti coeperint,

12) Et ideo sq.] Itaque re accuratius perspecta angeli merae fere sunt animae, et subtilioris quidem, quam humanae, generis. Neque facile corpori per se subtilissimo aliud quoddam subtile corpus inhabitare potest. V. Huet. II, 5, 6. — De anima Dei vide paragr. V.

18) sensibilis et mobilis] idem quod in graeco paulo ante φανταστικὴ et ὁρμητική.

23) 1 Cor. II, 14.

28) 1 Cor. XV, 44.

31) substantia aliqua sit] sc. anima.

34) cum per ordinem] Itaque praevia tantummodo tota haec disputatio. Parum logica arte excelluisse Origenem docuimus in Pro-

Digitized by Google

requiremus. Si enim animalis homo non recipit quae sunt Spiritus Dei, et pro eo quod animalis est, melioris naturae, id est divinae intelligentiam recipere non potest, hac fortassis de causa evidentius nos Paulus docere volens quid sit per quod ea quae sunt spiritus, id est spiritalia, intelligere possumus, mentem magis quam animam Spiritui sancto coniungit et sociat. Hoc enim eum puto ostendere cum dicit: „Orabo spiritu, orabo et mente, psalmum dicam spiritu, psalmum dicam et mente.“ Et non dicit quia anima orabo, sed spiritu et mente: et non dicit, anima psallam, sed spiritu psallam et mente. III.

Sed fortasse requiritur: Si mens est quae spiritu orat et psallit, et ipsa est quae et perfectionem 95 percipit et salutem; quomodo dicit Petrus: „Percipientes finem fidei nostrae salutem animarum nostrarum?“ Si anima cum spiritu nec orat nec psallit, quomodo sperabit salutem? aut si cum ad beatitudinem venerit, iam anima non dicetur? Sed videamus ne forte possit hoc modo responderi, quia

oemio. Disseritur autem de angelis s. potestatibus contrariis l. III, c. 2; de resurrectione c. 10 huius libri. Substantia haec, de qua dicit, *imperfecta*, animalium i. e. bestiarum esse videtur; cf. mox p. 98.

1) animalis homo] Ex anima ad spiritum peccata surgunt. Ideo ab oculis, auribus, reliquisque sensibus alienare sese, atque vires omnes in veritatis contemplationem referre homines debent. Mosheim de rebus Christ. p. 665.

9) 1 Cor. XIV, 15. Sensus est: sequi e Paulino loquendi usu, imperfectum aliquid animam esse, i. e. mentem lapsam.

15) 1 Petr. I, 9.

17) Si anima cum spiritu etc.] i. e. quum non sit animae orare et psallere, sed ad illam humanae naturae partem, quae spiritus vocatur hoc pertineat. Anima enim per se sui iuris non est, sed vel corporis illecebras, vel mentis meliorem sententiam sequitur: media inter corpus et mentem. Cf. de Princ. III, p. 145; Tom. XXXII in Ioh. p. 432, Comment. ad Rom. p. 466.

18) „Unde cum infinita cautione tractandum est, ne forte quum animae salutem fuerint consecutae, et ad beatam vitam pervenerint, animae esse desistant. Sicut enim venit Dominus atque Salvator quaerere et salvum facere quod perierat, ut perditum esse desistat: sic anima quae perierat, et ob cuius salutem venit Dominus, quum salva facta fuerit anima, anima esse cessabit. Illud quoque pariter requirendum, utrum sicut perditum aliquando non fuit perditum, et erit tempus quando perditum non erit; sic aliquando anima fuerit non anima, et fore tempus quando nequaquam anima perseveret.“ Hieron. interpr., in epist. ad Avit. p. 764.

sicut Salvator venit salvare quod perierat, etiam cum salvatur, non est perditum quod prius perditum dicebatur: ita fortassis etiam hoc quod salvatur anima dicitur; cum autem iam salva facta fuerit, ex perfectioris partis suae vocabulo nuncupabitur.[1] Sed et illud adjici posse videtur quibusdam, quia sicut hoc quod perditum est, erat sine dubio antequam periret, cum aliud nescio quid erat quam perditum, sicut erit utique cum iam non est perditum: ita etiam anima quae perisse dicitur, videbitur fuisse quid aliquando cum nondum perisset, et propter hoc anima diceretur, quae rursum ex perditione liberata potest iterum illud esse quod fuit antequam periret, et anima diceretur. Sed et ex ipsa nominis animae significatione quam in graeco indicat, visum est et nonnullis requirentibus curiosius posse non mediocrem suggeri intellectum. Nam sermo divinus Deum ignem esse dixit, cum ait: „Deus noster ignis est consumens.“ Sed et de angelorum substantia ita ait: „Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem;“ et alibi: „Apparuit angelus Domini in flamma ignis in rubo.“ Insuper etiam mandatum accepimus, ut simus spiritu ferventes: per quod sine dubio igneum ostenditur et calidum Dei verbum. Sed et Hieremias propheta audit ab eo qui sibi responsa dabat: „Ecce dedi verba mea in os tuum, ignem.“ Sicut ergo Deus ignis est, et angeli flamma ignis, et sancti quique spiritu fervent: ita e contrario hi qui deciderunt a dilectione Dei, sine dubio refrixisse in charitate eius ac frigidi facti dicendi sunt. Ait enim et Dominus, quia „propterea quod multiplicata est iniquitas, refrigescet charitas multorum.“ Sed et omnia quaecumque sunt quae adversae potestati in Scripturis sanctis comparantur, frigida semper inveniens diabolus dicitur: quo quid frigidius invenitur? Sed et in mari regnare dicitur draco. Serpentem namque et draconem, quod utique ad aliquem de malignis spiritibus retorquetur, et in mari propheta esse designat. Et alibi dicit

1) sicut Salvator — anima diceretur] v. fragm. l. II, 4.
18) Deut. IV, 24.
19) Psal. CIV, 4; Hebr. I, 7.
21) Exod. III, 2.
23) Rom. XII, 11.
26) Jerem. I, 9.
31) Matth. XXIV, 12.
39) Ezech. XXXII.

Digitized by Google

propheta: „Inducam gladium sanctum super draconem, serpentem fugientem, super draconem, serpentem perversum, et interficiet eum.“ Et iterum ait: „Etiam si abscesserint ab oculis meis, et descenderint in profundum maris: ibi mandabo draconi et mordebit eos.“ Sed et in Iob ipse rex esse omnium quae in aquis sunt dicitur. A borea vero accendi mala super omnes qui habitant terram, propheta denunciat. Boreas autem ventus in Scripturis sanctis frigidus designatur, sicut scriptum est in Sapienti: „Frigidus ventus Boreas.“ Quod et ipsum sine dubio sentiendum est de diabolo. Si ergo ea quae sancta sunt, et ignis et lumen et ferventia nominantur, quae autem contraria sunt, frigida, et charitas multorum refrigescere dicitur, requirendum est ne forte et nomen animae quod graece dicitur ψυχή, a refrigescendo de statu diviniore ac meliore dictum sit, et translatum inde quod ex calore illo naturali et divino refrixisse videatur, et ideo in hoc quo nunc est statu et vocabulo sita sit. Denique proprie laudabiliter animam poni in Scripturis sanctis, require si facile invenias; culpabiliter autem frequenter occurrit, ut ibi: „Anima mala perdit eum qui possidet eam;“ et: „Anima quae peccat, ipsa morietur.“ Postea enim quam dictum est: „Omnes animae meae sunt, sicut anima patris, ita anima filii mea est,“ utique consequens videbatur ut diceret: „Anima quae agit iustitiam, ipsa salvabitur;“ et: „Anima quae peccat, ipsa morietur.“ Sed nunc videmus quoniam quod culpabile quidem est adiunxit ad animam, quod autem laude dignum erat reticuit. Videndum ergo 96

1) Ies. XXVII, 1.
4) Amos IX, 3.
6) Hiob XLI, 34.
8) Ierem. I, 14.
11) Eccl. XLIII, 22.
23) Ibid. VI, 4.
25) Ezech. XVIII, 4.
31) Videndum ergo — ut sit nens] V. fragm. l. II, 5. Etymologiae eiusdem qualis haec τοῦ ψυχή, reperiuntur apud Platonem, maxime in Cratylo, ubi vocem σῶμα a σῆμα vult derivari. Similia sunt, quae apud Ciceronem passim obvia sunt in vocum originatione, et tot librorum hebraicorum, et prae ceteris quidem Pentateuchi etymologiae. De quibus erudite, quamvis audacius quam par erat, disseruit Hartmann, kritische Forschungen über d. Pentateuch, Rostock 1831, p. 264. Grammatica autem esse non potest accuratio, nisi plurium linguarum comparatio instituta fuerit. De grammaticis, quae Alexandriae floruerint studiis, v. Heyne de genio

est, ne forte, sicut diximus ex ipso nomine declarari, ab eo quod refrixerit a fervore iustorum et divini ignis participatione ψυχή, id est anima, appellata sit, nec tamen amisit facultatem restituendi se in illum statum fervoris, in quo ex initio fuit. Unde et propheta tale aliquid videtur ostendere, cum dicit: „Revertere anima mea in requiem tuam.“ Ex quibus omnibus illud videtur ostendi, quod mens de statu suo ac dignitate declinans, effecta vel nuncupata est anima; quae si reparata fuerit et correcta, redit in hoc ut sit mens.

IV. Quod si ita est, decessus ipse mentis ac devolutio videtur mihi quod non aequalis omnium sentien-

saeculi Ptolemaeorum, Opusc. acadd. I, p. 76. Quod ad sententiam Origenis de anima pertinet, e Platonis libris, praecipue e Phaedone ea profluxit, Plato Pythagoram et Empedoclem sequebatur, c. Cels. I, p. 351. Qui ad Orpheum et antiquissimos vates haec placita referunt, ut Plato in Cratylo, Philolaus Pythagoricus ap. Clem. Alex. Strom. III: si antiquissima modo ea esse sic probare volunt, recte sentiunt; falluntur, quum pro genuinis habent libros, qui spurii sunt. Celeberrimos e graecis philosophis locos, qui huc faciant, in medium profert Spencer ad c. Cels. I, 32; V, 20. E Patribus consentiunt cum Origene Alexandrini, ut videtur, omnes, e philosophis alexandrinis Nemesius Neoplatonicus. Hieronymus, dum iuvenis esset, in eadem sententia erat, postea *procreatianismi* stator evasit. Cf. Huet. II, 6. 10.

Fallitur Semlerus l. c. p. 190, qui Hieronymo tribuat versionem huius loci, quae Ruaei est: „Ex eo quod decidit et refrixit a spiritali vita“ etc., et e Rufino emendet: *ἀπὸ τοῦ ζέειν τῷ πνεύματι*. Deinde non *ἀνάπαυσιν*, sed *ἀνάκαυσιν* in graeco fuisse coniicit. Temere, quum unice in voce *revertere* causa allegandi hunc Psalmum fuerit. Sed ingeniosissime paulo inferius legi iubet: *νοῦς ψυχώσει εἴη*. Cf. fragm. l. II, p. 96.

7) Psal. CIV, 7.

8) „*Νοῦς*, id est mens, corruens facta est anima, et rursum anima instructa virtutibus mens fiet. Quod et de anima Esau scrutantes possumus invenire, propter antiqua peccata eum in deteriori vita esse damnatum. Et de coelestibus requirendum est, quod non eo tempore quo factus est mundus, solis anima, vel quodcumque eam appellari oportet, esse coeperit, sed antequam lucens illud et ardens corpus intraret. De luna et stellis similiter sentiamus, quod ex causis praecedentibus, licet invitae, compulsae sint subiici vanitati ob praemia futurorum; non suam facere, sed creatoris voluntatem, a quo in haec officia distributae sunt.“ Versio Hieron. loc. cit. p. 764. Nonnulla igitur a Rufino hoc loco praetermissa sunt, similia iis, quae in fragm. l. III, 1; l. I, 11. 12 habentur.

dus sit, sed vel plus vel minus in animam verti, et aliquas quidem mentes servare aliquid etiam prioris vigoris, aliquas vero aut nihil, aut exiguum aliquid. Unde inveniuntur quidam statim ab ineunte aetate ardentioris acuminis, alii vero tardioris, nonnulli autem obtusissimi et penitus indociles nasci. Verumtamen quod diximus mentem in animam verti, vel si qua alia in hoc videntur adspicere, discutiat apud se qui legit diligentius et pertractet: a nobis tamen non putentur velut dogmata esse prolata, sed tractandi more ac requirendi esse discussa. Addat autem et hoc qui legit ad tractatum, quod etiam de Salvatoris anima, ex his quidem quae in Evangelio scripta sunt, observatur, quod alia sunt quae ei sub animae nomine adscribuntur, et alia quae sub spiritus nomine deputantur. Nam quum passionem aliquam vel perturbationem sui vult indicare, sub animae nomine indicat, ut quum dicit: „Nunc anima mea turbata est;" et: „Tristis est anima mea usque ad mortem;" et: „Nemo tollit animam meam; sed ego pono eam abs me." In manus autem Patris commendat non animam, sed spiritum: et quum carnem dicat infirmam, non animam promptam dicit, sed spiritum: unde videtur quasi medium quoddam esse anima inter carnem infirmam et spiritum promptum.

V. Sed fortassis occurrat nobis aliquis ex his de quibus ipsi in nostris propositionibus admonuimus, et dicat: Quomodo ergo etiam Dei anima dicitur? Cui respondebimus hoc modo: Quia sicut omnia quae corporaliter de Deo dicuntur, id est vel digiti, vel manus, vel brachia, vel oculi, vel pes, vel os, dicimus non haec humana membra, sed virtutes eius quasdam in his corporeorum membrorum appellationibus indicari: ita et esse aliquid aliud putandum est, quod appellatione hac quae anima Dei dicitur, indicatur. Et si fas est audere nos in tali re amplius aliquid dicere, potest fortasse anima Dei intelligi unigenitus Filius eius. Sicut enim anima per

18) Ioh. XII, 27.

19) Matth. XXVI, 38.

20) Ioh. X, 18.

38) potest fortasse etc.] Praeclare annotatur a Semlero (Baumgarten Polem. II, Einleit. p. 191), haec non potuisse dici ab Origene, si eandem οὐσίαν et virtutem Filio ac Patri tribuisset.

omne corpus inserta movet omnia et agitat, quae operatur universa: ita et unigenitus Filius Dei, qui est verbum et sapientia eius, pertingit et pervenit ad omnem virtutem Dei, insertus ei. Et fortassis ob huius sacramenti indicium corpus in Scripturis vel dicitur Deus, vel describitur. Considerandum sane est, ne forte possit etiam pro hoc anima Dei intelligi Unigenitus eius, quoniam venit et ipse in locum hunc afflictionis, et in convallem fletus descendit, et in locum humiliationis nostrae: sicut dicit in Psalmo: „Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis." Denique scio quosdam exponentes illud quod in Evangelio a Salvatore dictum est; „Tristis est anima mea usque ad mortem," interpretatos esse de apostolis, quos velut meliores a reliquo corpore animam suam dixerit. Nam quia multitudo credentium corpus illius dicitur, apostolos velut reliquo corpore meliores animam intelligi debere dixerunt.

Haec prout potuimus de rationabili anima discutienda magis a legentibus, quam statuta ac definita protulimus. De animabus vero pecudum ceterorumque mutorum sufficiant illa quae absolute superius diximus.

**Cap. IX. De mundo et motibus rationabilium creaturarum, vel bonarum, vel malarum, et de causis earum.**

97 Sed nunc ad propositae disputationis ordinem revertamur, et intueamur creaturae initium, quodcunque illud initium creantis Dei mens potuerit intueri. In illo ergo initio putandum est tantum numerum rationabilium creaturarum, vel intellectualium, vel quoquomodo appellandae sunt quas mentes superius diximus, fecisse Deum, quantum suffi-

1) inserta] sc. extrinsecus.

4) virtutem Dei] Paulo ante dictum est, „quae corporaliter de Deo praedicentur, digitos, oculos etc., *virtutes* Dei indicare." Itaque *virtus* in textu corporis loco.

11) Psal. XLIII, 20. — Animae enim est, descendere in loca inferiora, de Princ. III, p. 149.

12) quosdam] sc. Gnosticos, ut videtur.

22) superius] i. e. paragr. I, nimirum sanguinem animalium animam esse eorum. Cf. quae sequuntur p. 98.

27) In illo — posse sufficere] Videsis fragm. l. II, 6. Temere Semlerus l. c. p. 191 potentiam Dei e mente Origenis nonnisi quantum *ad actum secundum*, i. e. rationem ac modum, quo usus sit omnipotentia sua, finitam videri, arbitratur.

cere posse prospexit. Certum est quippe quod praefinito aliquo apud se numero eas fecit: non enim, ut quidam volunt, finem putandum est non habere creaturas; quia ubi finis non est, nec comprehensio ulla nec circumscriptio esse potest. Quod si fuerit, utique nec contineri vel dispensari a Deo quae facta sunt, poterunt. Naturaliter nempe quicquid infinitum fuerit, et incomprehensibile erit. Porro autem sicut Scriptura dicit: „In numero et mensura universa“ condidit Deus, et idcirco numerus quidem recte aptabitur rationabilibus creaturis, vel mentibus, ut tantae sint quantae a providentia Dei dispensari, regi et contineri possint. Mensura vero materiae corporali consequenter aptabitur: quam utique tantam a Deo esse creatam credendum est, quantam sibi sciret ad ornatum mundi posse sufficere. Haec ergo sunt quae in initio, id est ante omnia a Deo creata esse existimandum est. Quod quidem etiam in illo initio quod Moyses latentius introduxit, indicari putamus cum dicit: „In principio fecit Deus coelum et terram.“ Certum est enim quia non de firmamento, neque de arida, sed de illo coelo ac terra dicatur quorum coelum hoc et terra quam videmus, vocabula postea mutata sunt.

II. Verum quoniam rationabiles istae naturae quas in initio factas supra diximus, factae sunt cum ante non essent, hoc ipso quia non erant, et esse coeperunt, necessario convertibiles et mutabiles substiterunt: quoniam quaecumque inerat substantiae earum virtus, non naturaliter inerat, sed beneficio conditoris effecta. Quod ergo sunt, non est proprium, nec sempiternum, sed a Deo datum. Non enim semper fuit: et omne quod datum est, etiam auferri et recedere potest. Recedendi autem causa in eo erit, si non recte et probabiliter dirigitur motus animorum. Voluntarios enim et liberos motus a se conditis mentibus creator indulsit, quo scilicet bonum in eis pro-

9) Sap. XI, 21.

20) Gen. I, 1. — Cf. de Princ. II, p. 83; IV, p. 174; c. Cels. VI, p. 678.

28) necessario] quum partim in ipsa natura animae, quae finita et idcirco mutabilis est, partim in subtili quo animae omnes vestitae sunt corpore, peccandi causa vel ansa contineatur. Mosheim de rebus Christ. p. 662.

prium fieret, cum id voluntate propria servaretur: sed desidia et laboris taedium in servando bono, et aversio ac negligentia meliorum, initium dedit recedendi a bono. Recedere autem a bono, non aliud est quam effici in malo. Certum namque est, malum esse bono carere. Ex quo accidit, ut in quanta mensura quis devolveretur a bono, in tantam mensuram malitiae deveniret. In quo utique pro motibus suis unaquaeque mens vel amplius vel parcius bonum negligens, in contrarium boni, quod sine dubio malum est, trahebatur. Ex quo videtur semina quaedam et causas varietatis ac diversitatis ille omnium conditor accepisse, ut pro diversitate mentium, id est rationabilium creaturarum, quam diversitatem ex ea causa quam superius diximus, putandae sunt concepisse, varium ac diversum mundum crearet. Quod autem varium ac diversum dicimus, hoc est quod volumus indicare.

III. Mundum nunc dicimus, omne quod est super coelos, vel in coelis, vel super terram, vel in his qui inferi appellantur, vel quaecunque usquam prorsus loca sunt, et hi qui in ipsis degere nominantur. Totum ergo hoc mundus vocatur. In quo mundo quaedam dicuntur esse supercoelestia, id est, in habitationibus beatioribus posita, et corporibus coelestioribus ac splendentioribus induta, et in his ipsis multae differentiae ostenduntur: sicut, verbi causa, etiam apostolus dicit, quod „alia sit gloria solis, alia lunae, alia gloria stellarum: stella enim a stella differt in gloria.“ Quaedam vero terrena dicuntur, et inter ipsa non parva est differentia, id est, inter homines:
98 alii namque eorum Barbari, alii Graeci: et Barbarorum quidam immanes et feri, alii mitiores. Et quidam quidem legibus probatissimis utuntur, alii vilioribus vel asperioribus, alii quoque inhumanis et ferinis magis moribus quam legibus utuntur. Et quidam quidem statim ab initio nativitatis suae humiliantur et subiecti sunt, ac serviliter educantur, vel sub dominis vel sub principibus positi, vel tyrannis, alii vero liberius et rationabilius educantur, alii sanis corpo-

1) voluntate propria] ergo gratiae auxiliis exclusis, fragm. l. III, 1.

5) malum] quod est τὸ οὐκ ὄν, Tom. II in Ioh. p. 65.

24) supercoelestia] ὑπερουράνια, [illegible] altiora sive praeclariora, cf. p. 83.

28) I Cor. XV, 41.

rinus, nonnulli aegri statim a prima aetate, alii visu, alii auditu et voce decepti, nonnulli ita nati, alii statim post nativitatem huiuscemodi sensibus defraudati, vel certe iam adulta aetate tale aliquid passi. Et quid refert revolvere me omnes atque enumerare humanarum clades miseriarum, a quibus alii liberi, alii involuti sunt, cum possit unusquisque etiam apud semetipsum considerare de his singulis atque perpendere? Sunt et quaedam invisibiles virtutes, quibus quae super terram sunt, dispensanda commissa sunt; et non parva etiam in ipsis differentia credenda est, sicut et in hominibus invenitur. Sane apostolus Paulus esse quaedam etiam inferna designat, et in ipsis simili modo sine dubio varietatis causa requirenda est. De mutis vero animalibus et volucribus, atque de his quae in aquis habitant, requirere superfluum videtur; cum haec non principalia, sed consequentia accipi debere certum sit.

IV. Quoniam ergo omnia quae facta sunt, per Christum et in Christo facta esse dicuntur, sicut et apostolus Paulus manifestissime designat dicens: „Quoniam in ipso et per ipsum creata sunt omnia, sive quae in coelo sunt, sive quae in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive potestates, sive principatus, sive dominationes: omnia per ipsum et in ipso creata sunt;“ sed et in Evangelio Ioannes nihilominus eadem ostendit, dicens: „In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil;“ sed et in Psalmo scriptum est quia „omnia in sapientia fecisti:“ quia ergo Christus sicut verbum et sapientia est, ita etiam iustitia est, consequens sine dubio erit, ut ea quae in verbo et sapientia facta sunt, etiam in ea iustitia quae est Christus, facta esse dicantur: quod scilicet in his quae facta sunt, nihil iniustum, nihil fortuitum videatur, sed omnia ita esse, ut aequitatis ac iustitiae regula expetit, doceantur. Quomodo ergo tanta ista rerum varietas, tantaque diversitas iustissima et aequissima possit intelligi, certus sum hu-

17) cum haec non principalia] cf. c. Cels. IV, p. 558 sq.: propter hominem solum, non propter bestias mundum esse creatum.

21) Colossi. I, 16.

27) Ioh. I, 1. 2.

31) Psal. CIII, 24.

mano ingenio vel sermone explicari non posse, nisi ipsum verbum ac sapientiam et iustitiam qui est unigenitus Filius Dei, prostrati ac supplices deprecemur, qui per gratiam suam sensibus se nostris infundens, obscura illuminare, clausa patefacere, pandereque dignetur arcana: si tamen inveniamur tam digne vel petere, vel quaerere, vel pulsare, ut vel petentes accipere mereamur, vel quaerentes invenire, vel pulsantibus iubeatur aperiri. Non ergo freti nostro ingenio, sed ipsius sapientiae auxilio quae fecit universa, et iustitiae eius quam inesse creaturis omnibus credimus, interim etiamsi asserere non valemus, ipsius tamen confisi misericordia inquirere perscrutarique tentabimus, quomodo ista tanta varietas mundi atque diversitas omni iustitia ac ratione constare videatur. Rationem autem dico dumtaxat generalem; nam specialem singulorum et quaerere imperiti est, et reddere velle dementis est.

V. Dicentibus autem nobis mundum istum in hac varietate positum, qua supra exposuimus, a Deo factum, quem Deum et bonum et iustum atque aequissimum dicimus, obiicere hoc plurimi solent, et hi maxime qui ex schola Marcionis, et Valentini, et Basilidae venientes, audierunt diversas esse naturas animarum, quomodo iustitiae Dei conveniat mundum facientis, ut habitaculum aliis quidem in coelis praebeat, et non solum his habitaculum melius praestet, verum etiam gradum aliquem celsiorem spectabilioremque concedat, principatum aliis indulgeat, aliis potestates; dominationes quoque aliis tribuat, aliis amplissimas sedes coelestium tribunalium praestet, eluceant alii rutilantius, et coruscent fulgore sidereo; aliis sit gloria solis, aliis gloria lunae, aliis gloria stellarum, stella a stella in gloria differat, et, ut simul ac breviter totum dicam, si creatori Deo nec voluntas summi bonique operis, nec perficiendi facultas deest, quid causae existere potuit, ut naturas rationabiles creans, id est, quibus ut essent ipse extitit causa, celsiores alios faceret, alios secundo, aut tertio, et multis iam inferioribus gradibus deterioresque procrearet? Tum deinde obiiciunt etiam de his quae in terris sunt, quod aliis nascendi sors felicior evenerit, ut quis, verbi gratia, ex Abraham genera-

34) 1 Cor. XV, 41.

tur, et ex repromissione nascatur, alius quoque ex Isaac et Rebecca, quique adhuc in ventre positus supplantat fratrem suum, et antequam nascatur diligi dicitur a Deo. Vel hoc ipsum omnino, quod in Hebraeis quis nascitur, apud quos eruditionem divinae legis inveniat; alius vero apud Graecos et ipsos sapientes et non parvae eruditionis homines; iam 90
vero alius apud Aethiopes, quibus vesci humanis carnibus usus est: aut apud Scythas apud quos parricidium quasi ex lege geritur; vel apud Tauros, ubi hospites immolantur. Aiunt ergo nobis: Si haec tanta rerum diversitas, nascendique conditio tam varia, tamque diversa, in qua causa utique facultas liberi arbitrii locum non habet: non enim quis ipse sibi eligit, vel ubi, vel apud quos, vel qua conditione nascatur: si ergo, inquiunt, hoc non facit naturae diversitas animarum, id est, ut mala natura animae ad gentem malam destinetur, bona autem ad bonas, quid aliud superest, nisi ut fortuito ista agi putentur et casu? Quod utique si recipiatur, iam nec a Deo factus esse mundus, nec a providentia eius regi credetur, et consequenter nec Dei iudicium de uniuscuiusque gestis videbitur exspectandum. In qua re quae sit quidem ad liquidum veritas rerum, illius est nosse solius qui scrutatur omnia, etiam alta Dei.

Nos vero quasi homines, ne haereticorum inso- VI.
lentiam reticendo nutriamus, quae pro viribus nostris occurrere nobis possunt, ad ea quae obtenderunt, hoc modo respondebimus. Bonum esse et iustum et omnipotentem Deum creatorem universorum, quibus valuimus ex divinis Scripturis assertionibus frequenter ostendimus. Hic cum in principio crearet ea quae creare voluit, id est rationabiles naturas, nullam habuit aliam creandi causam nisi propter seipsum; id est bonitatem suam. Quia ergo eorum quae creanda erant, ipse exstitit causa, in quo neque varietas aliqua, neque permutatio, neque impossibilitas inerat, aequales creavit omnes ac similes quos

2) Gen. XXV.

11] hospites] cf. Euripidis Iphigeniam.

35) bonitatem suam] quae in creatione mentium eluceat, quum in mundi fabricatione iustitia cernatur. Itaque Tom. XX in Ioh. p. 273 addit: κἂν ἐμποδίζοιτο (haec bonitas) ὑπὸ τῆς προνοίας εὐλόγως πολλάκις. — De fine Dei in creatione ultimo et intermedio v. H[illegible]terum redivivum p. 156.

creavit, quippe cum nulla ei causa varietatis ac diversitatis existeret. Verum quoniam rationabiles ipsae creaturae, sicut frequenter ostendimus, et in loco suo nihilominus ostendemus, arbitrii facultate donatae sunt: libertas unumquemque voluntatis suae vel ad profectum per imitationem Dei provocavit, vel ad defectum per negligentiam traxit. Et haec extitit causa, sicut et antea iam diximus, diversitatis inter rationabiles creaturas, non ex conditoris voluntate vel iudicio originem trahens, sed propriae libertatis arbitrio. Deus vero cui iam creaturam suam pro merito dispensare iustum videbatur, diversitates mentium in unius mundi consonantiam traxit, quo velut unam domum in qua inesse deberent non solum vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et alia quidem ad honorem, alia autem ad contumeliam, ex istis diversis vasis, vel animis, vel mentibus ornaret. Et has causas, ut ego arbitror, mundus iste suae diversitatis accepit, dum unumquemque divina providentia pro varietate motuum suorum, vel animorum propositique dispensat. Qua ratione neque creator iniustus videbitur, cum secundum praecedentes causas pro merito unumquemque distribuit; neque fortuita uniuscuiusque nascendi vel felicitas vel infelicitas putabitur, vel qualiscumque acciderit illa conditio, neque diversi creatores, vel diversae naturae credentur animarum.

VII. Verum ne Scriptura quidem sancta videtur mihi penitus arcani huius tacuisse rationem: sicut cum apostolus Paulus de Iacob et Esau disputans ait:[36] „Cum enim nondum nati fuissent, neque egissent aliquid boni vel mali, ut propositum quod secundum electionem Dei factum est, permaneret, non ex operibus, sed ex eo qui vocavit, dictum est quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui." Et post haec sibi ipse respondet et dicit: „Quid ergo dicemus? Numquid iniustitia est apud Deum?"[37] Et ut nobis occasionem praestaret inquirendi de his, et perscrutandi quomodo haec non extra rationem fiant, respondet sibi ipsi, et ait: eadem namque, ut mihi videtur, quae de Iacob et

36) Rom. IX, 11. 12. De mira huius loci ἐπιλύσει, quae mox sequitur, v. commentarios in ep. ad Rom., praecipue Tholuckium.

37) Ibid. 14.

Esau quaestio proponitur, haberi etiam de coelestibus omnibus et terrestribus creaturis et de infernis potest: et similiter mihi videtur, sicut ibi ait: „Cum enim nondum nati fuissent, neque aliquid egissent boni vel mali," ita etiam de ceteris omnibus dici posse: „Cum enim nondum" creata essent, „neque egissent aliquid boni vel mali, ut secundum electionem propositum Dei maneat," sicut putant quidam, facta sunt illa quidem coelestia, haec autem terrestria, et alia inferna, „non ex operibus," ut putant illi, „sed ex eo qui vocavit. Quid ergo dicemus," si haec ita sunt? „Ergo iniustitia est apud Deum? Absit." Igitur sicut de Esau et Iacob diligentius perscrutatis Scripturis invenitur, quia non est iniustitia apud Deum, ut antequam nascerentur, vel agerent aliquid in vita hac, diceretur „quia maior serviet minori;" et ut invenitur non esse iniustitia, quod et in ventre fratrem suum supplantavit Iacob, si ex praecedentis videlicet vitae meritis digne eum dilectum esse sentiamus a Deo, ita ut fratri praeponi mereretur: ita etiam de coelestibus creaturis, si advertamus quia ista diversitas non creaturae principium, sed ex praecedentibus causis pro meriti di- 100 gnitate diversum singulis a conditore ministerii paratur officium, ex eo profecto quod unusquisque in eo quod mens creatus a Deo est vel rationabilis spiritus, pro motibus mentis et sensibus animorum, vel plus vel minus sibi meriti paraverit, vel amabilis Deo, vel etiam odibilis exstiterit: cum tamen aliqui ex his qui melioribus meritis sunt ad exornandum mundi statum compati reliquis, et officium praebere inferioribus ordinentur, quo per hoc et ipsi participes exsistant patientiae creatoris; secundum quod apostolus ipse dicit: „Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecerit in spem." Observantes igitur istam sententiam quam apostolus de nativitate Esau et Iacob exponens dixit: „Numquid iniustitia est apud Deum? Absit:" etiam in omnibus creaturis rectum arbitror hanc eamdem debere sententiam custodiri; quoniam, sicut superius diximus, iustitia debet creatoris in omnibus apparere. Quae, ut mihi videtur, ita demum lucidius

30) ad exornandum] ad astra haec pertinent; cf. supra l. I, p. 92. 34) Rom. VIII, 20. 38) Rom. IX, 14.

ostendetur, si causas diversitatis unusquisque vel coelestium, vel terrestrium, vel infernorum in semetipso praecedentes nativitatem corpoream habere dicatur. Verbo enim Dei et sapientia eius creata sunt universa, et per ipsius ordinata sunt iustitiam. Per gratiam vero misericordiae suae omnibus providet, atque omnes quibuscumque curari possunt remediis hortatur, et provocat ad salutem.

VIII. Sicut ergo dubium non est in die iudicii futurum quod separentur boni a malis, et iusti ab iniustis, et singuli quique pro merito per ea loca quibus digni sunt distribuantur iudicio Dei, sicut Deo volente in consequentibus ostendemus, tale aliquid opinor etiam ante iam factum. Omnia enim Deus et semper iudicio agere ac dispensare credendus est. Illud quoque quod apostolus docet, dicens: „In domo magna non sunt tantummodo vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et alia quidem ad honorem, alia autem ad contumeliam;" et quod addit dicens: „Quia si quis se expurgaverit, erit vas in honorem sanctificatum, Domino utile ad omne opus bonum:" sine dubio illud ostendit, quia qui se expurgaverit in hac vita positus, ad omne bonum opus erit paratus in futuro; qui autem non se purgaverit, secundum quantitatem immunditiae suae erit vas ad contumeliam, id est, indignum. Ita ergo possibile est intelligi etiam antea fuisse vasa rationabilia vel purgata, vel minus purgata, id est quae seipsa vel purgaverint, vel non purgaverint; et ex hoc unumquodque vas secundum mensuram puritatis aut impuritatis suae locum vel regionem, vel conditionem nascendi vel explendi aliquid in hoc mundo accepisse: quae omnia Deus usque ad minimum virtute sapientiae suae providens atque dignoscens, moderamine judicii sui aequissima retributione universa disponit, quatenus unicuique pro merito vel succurri

5) Iam non iustitiam Dei sed gratiam gratis dantem agnoscere videtur Origenes, quum homines *quibuscunque curari possint* remediis hortari dicat: sed vide quae statim paragr. VIII sequuntur: „quatenus unicuique *pro merito* succurri deberet."

10) 2 Tim. II, 20. 21.

30) unumquodque vas etc. ] Est enim hic mundus velut amplissimum domicilium ex innumerabilibus varii generis tuguriolis artificiosissime contextum, in quibus animae pro ratione suae culpae detinentur. Mosheim de reb. Christ. p. 663.

vel consumi deberet. In quo profecto omnis ratio aequitatis ostenditur, dum inaequalitas rerum retributionis meritorum servat aequitatem. Quorum meritorum rationes per singulos quosque secundum veritatem et ad liquidum solus ipse cum unigenito verbo ac sapientia sua et Spiritu sancto recognoscit.

Cap. X. De resurrectione et iudicio, de igne inferni, et poenis.

Sed quoniam nos sermo commonuit de iudicio futuro, et de retributione, ac suppliciis peccatorum, secundum quod comminantur sanctae Scripturae, et ecclesiastica praedicatio continet, eo quod iudicii tempore ignis aeternus et tenebrae exteriores et carcer et caminus, et alia his similia peccatoribus praeparata sint; videamus quid etiam de his sentire oporteat. Sed ut ad haec competenti ordine veniatur, prius mihi videtur de resurrectione sermo movendus, ut sciamus quid est illud quod vel ad supplicium, vel ad requiem, vel ad beatitudinem veniet: de quo in aliis quidem libris quos de resurrectione scripsi-

18) Libros de Resurrectione antequam de Principiis scriberet absolverat Origenes. Bipartitum sive in duos tomos distributum erat hoc opus, Euseb. h. e. VI, 24. Scripserat praeterea de Resurrectione dialogos duos. Itaque Hieronymus quartum de Resurr. librum excitat in ep. ad Pammach. p. 320. Reliquias horum librorum ex Apologia Pamphili, Methodio et Hieronymo collegit Ruaeus Opp. Orig. Tom. I, p. 33 ss. — Quid de resurrectione docuerit exposuit Huetius l. II, 9. Vix dubitem Rufinum hoc etiam in capite nonnihil correxisse: sanior tamen, quam adversariis videbatur, in hoc dogmate reperitur Origenes. Quodsi accusatur corporis concessisse, carnis negasse resurrectionem, respondebimus, carnem resurgere quidem, sed in meliorem statum et subtiliorem redactum, quippe quae in spiritale corpus mutetur eadem lege qua e grano tritici spicae surgere solent, de Princ. III, p. 154; Ruaeus ad Huetium l. c. p. 210. Praeterea eadem, qua nunc, corporis forma et effigie utemur, Comment. ad Ps. I, p. 534 (Apol. Pamph. p. 40), genitalibus tamen carebimus, Tom. XVII in Matth. p. 813 et 822 (Hieron. Apol. I, p. 381). Quae vero de corporibus aliquando prorsus in nihilum dissolvendis disserere solet, de Princ. III, p. 152 sqq., aut de globosa utpote omnium perfectissima corporum coelestium forma statuisse fertur, v. Iustinianum ad Menn. p. 533; Theodorum Scythopolitanum in biblioth. Montf. Coisl. p. 95; Cyriaci vitam in Act. Sanct. Tom. VIII, p. 142: ea non ad locum de resurrectione, sed de ultimo rerum omnium fine pertinent, nec nisi ζητητικῶς et γυ-

mus, plenius disputavimus, et quid nobis de hoc videretur, ostendimus. Sed et nunc propter consequentiam tractatus pauca inde repetere non videtur absurdum, maxime propter hoc quod offenduntur quidam in ecclesiastica fide, quasi velut stulte et penitus insipienter de resurrectione credamus; praecipue haeretici, quibus hoc modo arbitror respondendum. Si confitentur etiam ipsi quia resurrectio sit mortuorum, respondeant nobis quid est quod mortuum est. Nonne corpus? Corporis ergo resurrectio fiet. Tum deinde dicant si utendum nobis putant esse corporibus, an non? Arbitror, apostolo Paulo dicente quia „seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale,“ istos negare non posse quod corpus resurgat, vel quia in resurrectione corporibus utamur. Quid ergo? Si certum est quod corporibus nobis utendum sit, et corpora quae ceciderunt resurgere praedicantur: non enim proprie resurgere dicitur, nisi id, quod ante ceciderit: nulli dubium est, idcirco ea resurgere, ut his iterum ex resurrectione induamur. Alterum ergo haeret ex
101 altero. Nam et si resurgunt corpora, sine dubio ad indumentum nostri resurgunt: et si necesse est nos esse in corporibus, sicut certe necesse est, non in aliis quam in nostris corporibus esse debemus. Quae si verum est quod resurgunt, et spiritalia resurgunt, dubium non est quin abiecta corruptione et deposita mortalitate resurgere dicantur a mortuis: alioquin vanum videbitur et superfluum resurgere quemquàm a mortuis, ut iterum moriatur. Quod ita demum

μυαστικῶς ab ipso aut proferuntur, aut prolata esse dicuntur. Globosam enim hanc formam nullibi in iis qui superstites sunt libris profitetur, sed in fragm. l. II de Resurr. p. 34 e contrario diserte negat, solis aut lunae aut stellarum formam accepturos esse eos, qui resurgant in gloria. Alia quaestio est, utrum negarit, animas post rerum consummationem denuo peccantes, mundo aliquo novo creato, eum quem nunc sidera obtinent locum, sortiri iisque immitti et circumvestiri posse; quod utique concedendum est. Ceterum hanc de corporis forma globosa sententiam, Xenophanis de Deo rotundo (Diog. Laert. IX, 19. p. 558) et veterum de forma perfectissima placitis (Cic. de Nat. Deor. II, c. 18) cognatam esse apparet.

13) 1 Cor. XV, 44.

24) sicut certe necesse est] saltim antequam ad ultimum omnium rerum finem perveniatur.

30) Negat iterum moritura corpora resurrectorum, non quasi denuo peccare et corporibus morituris

intelligi evidentius potest, si quis diligenter advertat quae sit animalis corporis qualitas, quae in terram seminata spiritalis corporis reparet qualitatem. Ex animali namque corpore ipsa virtus resurrectionis et gratia spiritale corpus educit, cum id ab indignitate transmutat ad gloriam.

II. Quoniam ergo haeretici eruditissimi sibi videntur et sapientissimi, interrogabimus eos si omne corpus schema aliquod habet, id est habitu aliquo deformetur. Et si quidem dixerint esse corpus quod non aliquo habitu deformetur, imperitissimi omnium atque insipientissimi videbuntur. Nullus enim hoc negabit, nisi sit ab omni eruditione penitus alienus. Si vero secundum id quod consequens est dixerint quia omne corpus certo aliquo habitu deformatur, requiremus ab eis si possunt nobis spiritalis corporis habitum demonstrare atque describere: quod utique nullo modo facere poterunt. Sed et differentias eorum qui resurgunt inquiremus ab eis. Quomodo ostendent verum esse illud quod dictum est quia „alia caro volucrum, alia piscium; et corpora coelestia et corpora terrestria: sed alia quidem coelestium gloria, alia vero terrestrium; alia gloria solis, alia lunae, alia stellarum; stella a stella differt in gloria, ita et resurrectio mortuorum“? Secundum istam ergo consequentiam coelestium corporum ostendant

circumvestiri non possint animae, sed quia in haec corpora spiritualia, qualia sunt per se, mors et corruptio non cadat. Genuinum igitur illud *ut iterum moriatur*.

7) haeretici] i. e. gnostici, qui materiam malorum omnium fomitem atque sedem habebant, ideoque corpora e futura vita tollebant. Inter hos et catholicos mediam eum tenuisse viam concedit Hieronymus in ep. ad Pammach. p. 320. Contrariam sententiam tuebantur Arabici, cum quibus anno 244 Origeni dimicandum erat, Euseb. h. e. VI, 37; quippe qui cum corpore animam interire et denuo in resurrectione creari arbitrarentur.

8) Corpus s. σῶμα secundum omnes philosophos veteres materia est qualitatibus et formis aucta, Cic. Acad. post. I, c. 6. Itaque corpus *schemate* carere dici non potest, nisi quis corporis et materiae notiones prorsus confundat. Conclusit ex hoc veteris philosophiae dogmate, et consequenter quidem Joh. Philoponus, corpora denuo creari in resurrectione, quum corporis schemate destructo corpus ipsum exsistere desinat, v. Photii cod. 21. Sed aliud quid in textu efficit Origenes: haereticorum resurrectionem nullam esse, quum non tam corpora quam phantasmata resurgentibus tribuant.

20) 1 Cor. XV, 39 ss.

nobis differentias gloriae eorum qui resurgunt, et si ullo genere conati fuerint secundum coelestium corporum differentias aliquam excogitare rationem, quaeremus ab eis ut etiam secundum terrenorum corporum comparationem differentias resurrectionis assignent. Nos vero ita intelligimus, quod volens apostolus describere, quanta esset differentia eorum qui resurgent in gloria, id est sanctorum, comparationem coelestium corporum sumsit dicens: „Alia gloria solis, alia gloria lunae, alia gloria stellarum.“ Et iterum volens differentias eorum docere qui in hac vita non expurgati ad resurrectionem venient, id est peccatores, de terrenis sumit exemplum, dicens: „Alia corpora volucrum, alia piscium.“ Digne etenim sanctis coelestia, terrena peccatoribus comparantur. Haec quidem dicta sint adversus eos qui resurrectionem mortuorum, id est, resurrectionem corporum negant.

III. Nunc vero sermonem convertimus ad nonnullos nostrorum, qui vel pro intellectus exiguitate, vel explanationis inopia, valde vilem et abiectum sensum de resurrectione corporis introducunt. Quos interrogamus, quomodo intelligant animale corpus gratia resurrectionis immutandum, et spiritale futurum; et quomodo quod in infirmitate seminatur, resurrecturum sentiant in virtute; quod in ignobilitate, quomodo resurgat in gloria; et quod in corruptione, quomodo ad incorruptionem transferatur. Quod utique si credunt apostolo quia corpus in gloria et virtute et incorruptibilitate resurgens, spiritale iam effectum sit, absurdum videtur et contra sensum apostoli dicere, id rursum carnis et sanguinis passionibus implicari, cum manifeste dicat apostolus: „Quoniam caro et sanguis regnum Dei non possidebunt; neque corruptio incorruptionem possidebit.“ Sed illud quo-

9) 1 Cor. XV, 41.

13) Ibid. 39. Hic Apostoli locus ansam dedisse videtur sententiis iis, quae fragm. l. I, 13; II, 1 continentur. Sed diserte docet in textu comparari modo corpora impiorum corporibus piscium et volucrum, cf. fragm. l. II. de Resurr. „peccator non animalium corpus aut volucrum aut piscium accipiet.“ Insinuare se in corpora animalium rapaciorum, ferociorum, callidiorum daemonia, aut excitari potius a daemonibus ferarum *phantasias*, ut noceant hominibus, docet l. IV c. Cels. p. 572; sed ne sic quidem animas in bestias converti sequitur. Cf. quae annotavimus ad lib. III de Princ. p. 147 s. vocc. *quaecunque volumus.*

32) 1 Cor. XV, 50.

modo accipiunt quod dicit apostolus: „Omnes autem immutabimur“? Quae utique immutatio secundum illum ordinem quem superius docuimus, exspectanda est: in qua sine dubio dignum aliquid divina gratia sperare nos convenit; quod futurum credimus hoc ordine quo „nudum granum frumenti aut alicuius ceterorum“ in terra seminatum describit apostolus, cui „Deus dat corpus prout vult,“ cum primum granum ipsum frumenti mortuum fuerit. Ita namque etiam nostra corpora velut granum cadere in terram putanda sunt: quibus insita ratio ea quae substantiam continet corporalem, quamvis emortua fuerint corpora et corrupta atque dispersa, verbo tamen Dei ratio illa ipsa quae semper in substantia corporis salva est, erigat ea de terra, et restituat ac reparet, sicut ea virtus quae est in grano frumenti, post corruptionem eius et mortem reparat ac restituit granum in culmi corpus et spicae. Et ita his quidem qui regni coelorum haereditatem consequi merebuntur, ratio illa reparandi corporis quam supra diximus, Dei iussu, ex terreno et animali corpore corpus reparat spiritale, quod habitare possit in coelis; his vero qui inferioris meriti fuerint, vel abiectioris, vel etiam ultimi et abstrusi, pro uniuscuiusque vitae atque animae dignitate, etiam gloria corporis et dignitas datur: ita tamen ut etiam eorum qui ad ignem 102
aeternum, vel ad supplicia destinandi sunt, per ipsam resurrectionis permutationem ita corpus incorruptum sit quod resurgit, ut ne suppliciis quidem corrumpi valeat et dissolvi. Si ergo ita se habet qualitas eius corporis quod resurget a mortuis, videamus nunc quid sibi velit ignis aeterni comminatio.

Invenimus namque in Esaia propheta designari IV.

1) 1 Cor. XV, 51.

6) Ibid. 37.

8) Ibid. 38.

27) aeternum] i. e. qui in libris divinis aeternus vocatur. Singularis istius, quam Philo huic voci (*αἰώνιος*) subesse voluit, significationis, *mundanus* i. e. ad hunc mundum pertinens, Philo de nomin. mutat. p. 580 Mang., nullum apud Originem vestigium reperitur.

28) ita corpus rell.] Cf. fragm. l. II de Resurr. p. 34: „Malis vero corpus erit quod sufficere et perdurare tantummodo possit in poenis;“ et obscura quidem et atra erunt haec corpora, de Princ. II, p. 103.

33) Ab hac paragrapho editiones Benedictina priores caput XI ordiuntur, inscripto titulo: *De igne inferni et poenis eiusdem.* — De his poenis v. Huet. II, 11; Guerike

uniuscuiusque proprium esse ignem quo punitur; ait enim: „Ambulate in lumine ignis vestri, et in flamma quam accendistis.“ Per quos sermones hoc videtur indicari, quod unusquisque peccatorum flammam sibi ipse proprii ignis accendat, et non in aliquem ignem qui antea iam fuerit accensus ab alio, vel ante ipsum substiterit, demergatur. Cuius ignis materia atque esca nostra sunt peccata, quae ab apostolo Paulo ligna et foenum et stipula nominantur. Et arbitror quod sicut in corpore escae abundantia et qualitas et quantitas cibi contraria febres generant, et febres diversi modi vel temporis secundum eam mensuram qua intemperies collecta materiam suggesserit ac fomitem febrium; quae materiae qualitas ex diversa intemperie congregata, causa vel acerbioris morbi, vel prolixioris exsistit: ita anima cum multitudinem malorum operum et abundantiam in se congregaverit peccatorum, competenti tempore omnis illa malorum congregatio effervescit ad supplicium, atque inflammatur ad poenas; cum mens ipsa vel conscientia per divinam virtutem omnia in memoriam recipiens, quorum in semetipsa signa quaedam et formas, cum peccaret, expresserat, et singulorum quae vel foede ac turpiter gesserat, vel etiam impie commiserat, historiam quamdam scelerum suorum ante oculos suos videbit expositam; tunc et ipsa conscientia propriis stimulis agitatur atque compungitur, et sui ipsa efficitur accusatrix et testis. Quod ita sensisse puto etiam Paulum apostolum cum dicit: „Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut *etiam* defendentibus in die qua iudicabit Deus occulta hominum, secundum evangelium meum per Iesum Christum.“ Ex quo intelligitur quod circa ipsam animae substantiam tormenta quaedam ex ipsis peccatorum noxiis affectibus generantur.

V. Et ne satis tibi huius rei intellectus difficilis appareat, considerari possibile est ex his passionum

II, p. 292 ss. Rei summa haec est. Priusquam beati praemiis afficiantur mundo conflagrante omnes igni purgabuntur, ne Paulo quidem vel Petro et si quis eorum similis sit, excepto, Sel. in Ps. p. 664. Pii purgati prodibunt, impii poenis, quae affectuum violentia et conscientiae vexatione continentur, usquedum convertantur continuo cruciabuntur.

2) Ies. L, 11.

9) Et arbitror — per Ies. Christum] Apol. Pamph. p. 42.

29) Rom. II, 15. 16.

vitiis quae animabus accidere solent, id est, cum vel flammis amoris exuritur anima, vel zeli, vel livoris ignibus maceratur, aut cum ira agitatur, vel cum insaniae, vel tristitiae immensitate consumitur, quomodo horum malorum nimietates aliquanti intolerabiliter ferentes, mortem subire, quam huiuscemodi cruciatus perpeti, tolerabilius habuere. Requires sane si his qui vitiorum malis istis quae supra diximus irretiti sunt, nec emendationis aliquid in hac vita adhuc positi comparare sibimet potuerunt, et ita ex hoc mundo abscesserunt, sufficiat illis ad poenam quod illis ipsis perdurantibus in se noxiis affectibus cruciantur, id est, vel irae, vel furoris, vel insaniae, vel moeroris, quorum utique mortiferum virus nullo in hac vita emendationis medicamento mitigatum est; an his affectibus immutatis generalis poenae stimulis vexabuntur. Sed et aliam suppliciorum speciem intelligi arbitror posse, quia sicut quidem sentimus soluta corporis membra atque a suis invicem divulsa compagibus immensi doloris generare cruciatum, ita cum anima extra ordinem atque compagem vel eam harmoniam qua ad bene agendum et utiliter sentiendum a Deo creata est, fuerit inventa, nec sibimet ipsi rationabilium motuum compagine consonare, poenam cruciatumque putanda sit suimetipsius ferre dissidii, et inconstantiae suae, atque inordinationis sentire supplicium. Quae animae dissolutio atque divulsio cum adhibiti ignis ratione fuerit explorata, sine dubio ad firmiorem sui compaginem instaurationemque solidatur.

VI. Multa sunt etiam alia quae nos latent, quae illi soli cognita sunt, qui est medicus animarum nostrarum. Si enim ad corporis sanitatem pro his vitiis quae per escam potumque collegimus, necessariam habemus interdum austerioris ac mordacioris medicamenti curam; nonnunquam vero, si id vitii qualitas depoposcerit, rigore ferri et sectionis asperitate indigemus; quod si etiam haec supergressus fuerit

16) generalis poenae] Cf. paragr. VII: *animae a spiritu separandae* dolores. *Naturalis* tamen etiam haec poena est, non *positiva*. V. Knappii Glaubenslehre II, p. 569.

29) sine dubio cet.] Nullibi quam in homiliis sempiternas agnoscit poenas, cf. hom. XVIII in Ierem. p. 241.

31) Multa — perdiderunt] Apol. Pamph. l. c.

morbi modus, ad ultimum conceptum vitium etiam ignis exurit: quanto magis intelligendum est et hunc medicum nostrum Deum volentem diluere vitia animarum nostrarum, quae ex peccatorum et scelerum diversitate collegerant, uti huiuscemodi poenalibus curis, insuper etiam ignis inferre supplicium his qui sanitatem animae perdiderunt?

103 Cuius rei imagines etiam in Scripturis sanctis referuntur. Denique in Deuteronomio sermo divinus peccatoribus comminatur, quod febribus et frigoribus et aurigine punientur, et oculorum vacillationibus, et mentis alienatione, et paraplexia, et caecitate, ac debilitate renum cruciandi sint. Si quis igitur ex otio de omni Scriptura congreget omnes languorum commemorationes quae in comminatione peccatoribus velut corporearum aegritudinum appellationibus memorantur, inveniet quod animarum vel vitia vel supplicia per hoc figuraliter indicentur. Ut autem intelligamus quia ea ratione qua medici adiutoria languentibus adhibent, ut per curas reparent sanitatem, etiam Deus agit circa eos qui lapsi sunt et deciderunt in peccata, indicio est et illud, quod per Hieremiam prophetam iubetur calix furoris Dei propinari omnibus gentibus ut bibant, et insaniant, et evomant. In quo comminatur dicens, quia si quis noluerit bibere, non mundabitur. Ex quo utique intelligitur quod furor vindictae Dei ad purgationem proficit animarum. Quoniam autem et ea poena quae per ignem inferri dicitur, pro adiutorio intelligitur adhiberi, Esaias docet, qui de Israel quidem sic dicit: „Abluet Dominus sordes filiorum vel filiarum Sion, et sanguinem expurgabit e medio ipsorum spiritu iudicii et spiritu ustionis.“ De Chaldaeis autem sic dicit: „Habes carbones ignis, sede super eos, hi

1) ad ultimum] Cum medicina veterum, quae tota fere continebatur in secando et urendo (χάειν καὶ τέμνειν), poenas inferni componit; et ultimum locum τῷ χάειν, non quod severius erat τῷ τέμνειν tribuit, ut ad gehennam illud referre posset.

9) Denique] i. e. ultimo loco, post alias multasque minas.

9) Deut. XXVIII.

23) Ierem. XXV, 15.

25) Ibid. 28.

28) Quoniam — Iuda] Apol. Pamph. l. c.

31) Ies. IV, 4.

34) Ies. XLVII, 14.

erunt tibi in adiutorio.“ Et in aliis dicit: „Sanctificabit Dominus in igne ardenti.“ Et in Malachia propheta dicit: „Sedens Dominus conflabit, et purgabit, et fundet purgatos filios Iuda.“

VII.

Sed et illud quod de dispensatoribus non bonis in Evangelio dictum est, qui dividendi dicuntur, et pars eorum cum infidelibus poni, tanquam ea pars quae ipsorum propria non sit, aliorsum sit mittenda, sine dubio genus aliquod indicat poenae eorum quorum, ut mihi videtur, separandus ab anima spiritus indicatur. Qui spiritus siquidem divinae naturae, id est Spiritus sanctus intelligendus est, sentiemus hoc dictum de dono Spiritus sancti: quod, sive per baptismum, sive per gratiam Spiritus cum alicui sermo sapientiae, vel sermo scientiae, vel alterius cuiusque datus est doni, et non recte administratus, id est aut ad terram defossus est, aut in sudario colligatus, auferetur profecto ab anima donum Spiritus, et pars reliqua quae superest, id est animae substantia cum infidelibus ponetur, divisa ac separata ab eo Spiritu cum quo, adiungens se Domino, unus spiritus esse debuerat. Si vero hoc non de Dei Spiritu, sed de animae ipsius natura intelligendum est, pars eius melior illa dicetur quae ad imaginem Dei et similitudinem facta est; alia autem pars, ea quae postmodum per liberi arbitrii lapsum contra naturam primae conditionis et puritatis assumta est, quae utique pars utpote amica et chara materiae cum infidelium sorte mulctetur. Potest autem et tertio sensu illud intelligi de divisione ista, ut quoniam unicuique fide-

1) Ies. LXVI, 16.

3) Malach. III, 3.

6) Luc. XII, 46.

11) Plerumque hanc regulam sequitur Origenes, quam ipse sibi excogitasse videtur, ut quoties *spiritus* sine epitheto reperiatur in libris divinis, toties de Spiritu sancto vocem intelligat. Hanc legem, non memini quo loco, uberius illustravit: in textu de significatione vocis ambiguus est. In mente ipsi fuisse videtur ep. ad Hebr. c. IV, 12.

25) ea quae postmodum etc.] Cf. fragm. l. II, 5.

28) chara materiae] i. e. cui chara est materia, amans materiam, sc. postquam semel cum ea coaluit; non, ut in Platonis dogmate; *materiae desiderio delapsa.*

30) Matth. XVIII, 10. 11. — Unicuique homini et angelum, qui tutelaris est, et daemonem sive spiritum immundum adesse, sic tamen ut altero operante alter interim otiosus sit, atque ut pii semper fere et toti ab angelo, impii et qui non-

Digitized by Google

lium etiamsi minimus sit in ecclesia, adesse angelus dicitur qui etiam semper videre faciem Dei Patris a Salvatore perhibetur; et hic utique unum erat cum eo cui praeerat, si is per inobedientiam efficiatur indignus, auferri ab eo Dei angelus dicatur, et tunc pars eius, id est humanae naturae pars, avulsa a Dei parte cum infidelibus deputetur, quoniam commonitiones appositi sibi a Deo angeli non fideliter custodivit.

VIII. Sed et exteriores tenebras, ut ego opinor, non tam aërem aliquem obscurum et sine ullo lumine intelligendum puto, quam de his qui profundae ignorantiae tenebris immersi extra omne intelligentiae lumen effecti sunt. Videndum quoque est, ne forte etiam illud iste sermo significet, quod sicut sancti corpora sua, in quibus sancte et pure in huius vitae habitationibus vixerunt, lucida et gloriosa ex resurrectione suscipient, ita et impii quique qui in hac vita errorum tenebras et noctem ignorantiae dilexerunt, obscuris et atris post resurrectionem corporibus induantur, ut ea ipsa caligo ignorantiae quae in hoc mundo interiores eorum mentes obsederat, in futuro per exterius corporis appareat indumentum. Similiter quoque et de carcere sentiendum est.

dum credant a daemone regantur, placitum erat Origenis. Haud raro duos *angelos* vocat hos genios. V. Huet. II, 5, 30; Guerike II, p. 217. Praeter hos duos alii numero multi vel adiuvant vel impugnant homines, quamvis minime continuo. Fieri tamen potest, ut multis simul vitiis laborent homines, hom. XXIII in Ios. p. 451; ib. XX, p. 442; hom. IV. in Ps. XXXVI, p. 673. Praeest autem unicuique vitio certus aliquis daemon, cui subiecti sunt complures minoris auctoritatis et potentiae ad auxilium ipsi ferendum. Eadem fere ante Origenem auctores Pastoris Hermae et epistolae Barnabae, ad quos ipse l. III de Princ., p. 140 provocat, docuerant: his, ut de aliis philosophis taceam, Plato in l. X de Rep. v. f. praeiverat; cf. Plotini Enn. III, 4.

6) a Dei parte] Intelligenda sunt haec e Luc. XII, 46.

12) E contrario, paradisus est *schola animarum*; cf. cap. XI, §. 3 not.

24) Similiter sq.] Hoc loco excidisse videntur quae, a Rufino vel omissa vel in alienum sensum detorta, exhibet Hieronymus in ep. ad Avitum p. 764: „Nisi forte corpus hoc pingue atque terrenum caligo et tenebrae nominandae sunt, per quod, consummato hoc mundo, cum necesse fuerit in alium transire mundum, rursum nascendi sumet exordia.“ Addit Hieronymus: Haec dicens perspicue *μετεμψύχωσιν* Pythagorae Platonisque defendit. —

Digitized by Google

Sed sufficiant ista in praesenti loco, quae interim nunc ut dicendi ordo servaretur, quam paucissimis dicta sunt.

Cap. XI. De repromissionibus.

Videamus nunc breviter quid et de repromissionibus sentiendum sit. 104

Certum est quia nullum animal omni modo otiosum atque immobile esse potest, sed omni genere moveri et agere semper et velle aliquid gestit, et hanc inesse naturam omnibus animantibus, manifestum puto. Multo magis ergo rationabile animal, id est, hominis naturam necesse est semper aliquid movere vel agere. Et si quidem immemor sui sit, et quid se deceat ignoret, circa usus corporales omnis sua movetur intentio, et per omnes motus suos erga voluptates suas ac libidines corporis occupatur; si vero talis sit qui in commune aliquid curare vel providere studeat, aut reipublicae consulens, aut magistratibus parens, aut quicquid illud est quod in commune certe prodesse videatur, exercet. Iam vero si quis talis sit ut aliquid melius quam haec quae corporea videntur intelligat, et sapientiae et scientiae operam habeat, sine dubio erga huiuscemodi studia omnem declinabit industriam, quo possit inquisita veritate rerum causas rationemque cognoscere. Sicut ergo in hac vita alius quidem summum bonum corporis iudicat voluptatem, alius vero in commune consulere, alius studiis et intelligentiae operam dare: ita requiramus in illa vita quae vera est, quae abscondita esse dicitur cum Christo in Deo, id est in illa aeterna vita, si aliquis talis erit nobis vivendi ordo vel status.

II. Quidam ergo laborem quodammodo intelligentiae

Itaque *corpus hoc pingue atque terrenum* est *corpus humanum*, in quod denuo migrandum erit animae. Cf. fragm. l. I, 9. Sensus est: nisi forte caligo extrema, in quam impii detrudendi dicuntur, significet, quod corporibus humanis denuo vestiendi sint.

4) de repromissionibus] sive praemiis, v. Huet. II, 11, 9 seq.

28) Coloss. III, 3.

32) Quidam] ex. gr. Papias et Irenaeus. De Origenis et discipulorum eius in confutando chiliasmo meritis v. Gieseleri K. G. I, p. 261, 267. Scripsit de chiliasmo H. Corrodi, Turici 1781 seq. 3 voll. 8. Eadem quae in textu exponuntur, totidem fere verbis graece exstant in Tom. XVII in Matth. p. 827;

recusantes, et superficiem quamdam legis literae consectantes, et magis delectationi suae quodammodo ac libidini indulgentes, solius literae discipuli, arbitrantur repromissiones futuras in voluptate et luxuria corporis exspectandas: et propterea praecipue carnes iterum desiderant post resurrectionem tales quibus manducandi, et bibendi, et omnia quae carnis et sanguinis sunt agendi nunquam desit facultas, apostoli Pauli de resurrectione spiritalis corporis sententiam non sequentes. Quibus consequenter addunt et nuptiarum conventiones, et filiorum procreationes etiam post resurrectionem futuras, fingentes sibimetipsis Ierusalem terrenam urbem reaedificandam, lapidibus pretiosis in fundamenta eius iaciendis, et de lapide iaspide muros eius erigendos, et propugnacula eius ex lapide crystallo; peribolum quoque habituram ex lapidibus electis et variis, id est iaspide et sapphiro et chalcedonio et smaragdo et sardio et onychino et chrysolitho et chrysopasso et hyacintho et amethysto. Quinetiam ministros deliciarum suarum dandos sibi alienigenas putant, quos vel aratores habeant vel structores parietum, a quibus diruta ipsorum et collapsa civitas exstruatur: et arbitrantur quod facultates gentium accipiant ad edendum, et in divitiis eorum dominentur, ut etiam cameli Madian et Cedar veniant, et afferant eis aurum, et thus, et lapides pretiosos. Et haec conantur auctoritate prophetica confirmare ex his quae de Ierusalem repromissionibus scripta sunt: ubi etiam dicitur quia qui serviunt Domino manducabunt et bibent, peccatores autem esurient et sitient; et quod laetitiam agent iusti, impios vero moeror possidebit. Et de novo quoque Testamento vocem proferunt Salvatoris, qua discipulis promittit de vini laetitia, dicens: „Quia non bibam ex hoc iam usquequo bibam illud vobiscum novum in regno Patris mei."[34] Addunt quoque et illud, quod Salvator beatos dicit eos qui nunc esuriunt et sitiunt, pollicens eis quia saturabuntur; et multa alia ex Scripturis exempla proferunt, quorum vim figuraliter intelligi debere non sentiunt. Tum vero se-

cf. Prolog. in Cantic. p. 28, Sel. ad Ps. p. 570.

34) Matth. XXVI, 29.

37) Ibid. V, 6.

39) Apocalypsin et quaecunque ad regnum millenarium spectarent, allegorice accipiebat Origenes. Cui opposuit Nepos librum inscriptum

cundum formam quae in hac vita est, et secundum mundi huius dispositiones dignitatum, vel ordinum, vel eminentias potestatum, reges se fore et principes arbitrantur, sicut sunt isti terreni; propter illud videlicet quod in Evangelio dictum est: „Eris potestatem habens super quinque civitates.“ Et, ut breviter dicam, secundum vitae huius conversationem per omnia similia volunt esse omnia quae de repromissionibus exspectantur, id est ut iterum sit hoc quod est. Hoc ita sentiunt qui Christo quidem credentes, Iudaico autem quodam sensu Scripturas divinas intelligentes, nihil ex his dignum divinis pollicitationibus praesumserunt.

III. Hi vero qui secundum apostolorum sensum theoriam Scripturarum recipiunt, sperant manducaturos quidem esse sanctos, sed panem vitae qui veritatis et sapientiae cibis nutriat animam, et illuminet mentem, et potet eam divinae sapientiae poculis; sicut dicit Scriptura divina: „Quia sapientia praeparavit mensam suam, iugulavit victimas suas, miscuit in cratere vinum suum, et summa voce clamat: Divertite ad me, manducate panes quos paravi vobis, et bibite vinum quod miscui vobis.“ Quibus sapientiae escis nutrita mens ad integrum et perfectum, sicut ex initio factus est homo, ad imaginem et similitu- 105
dinem Dei reparetur: ut etiamsi quis ex hac vita mi-

ἔλεγχος ἀλληγοριστῶν; contra hunc Dionysius Alexandrinus libro περὶ ἐπαγγελιῶν edidit. Semina harum litium in hoc ipso de Princ. libro iam reperiri dicuntur.

5) Luc. XIX, 17.

14) secundum ap. sensum] i. e. ut apostoli ipsi, quos sequi par est, praecipueque Paulus, solebant, v. de Princ. IV, p. 170.

14) theoriam] i. e. sensum allegoricum.

19) Proverb. IX, 1 sqq.

25) ad imaginem] cf. de Princ. III, p. 152 init.

26) ut etiamsi etc.] Animae beatitudinem promeritae sed nondum peccatorum sorde satis purgatae, deducti ab angelis ψυχαγωγοῖς et corporibus formam crassioris huius ac terreni servantibus instructi, primum in certo quodam terrae loco, quem mox paradisum vocat paragr. VI, mox sinum Abrahae hom. XXVI in Num. p. 372, velut in quodam eruditionis loco coelestibus doctrinis ope magistrorum coelestium, i. e. angelorum, imbuuntur. Deinde in aëre, tum in coelo primo, secundo, tertio angelica institutione fruuntur, usquedum ad supremam beatitudinem perveniant, tract. XXX in Matth. p. 871. Haec quomodo sit libro III, p. 152 seq. describitur. E contrario anima si mala fuerit, ad terram peccatis depressa vagatur ut

nus eruditus abierit, probabilia tamen opera detulerit, instrui poterit in illa Ierusalem sanctorum civitate, id est, edoceri et informari, et effici lapis vivus, lapis pretiosus et electus, pro eo quod fortiter et constanter pertulerit agones vitae, et certamina pietatis; ibique hoc quod iam hic praedictum est, verius manifestiusque cognoscet, „quod non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.“ Sed et principes et rectores intelligendi sunt hi qui inferiores et regunt et erudiunt et edocent atque instituunt ad divina.

IV. Verum si minus videntur haec sperantibus ea dignum mentibus incutere desiderium, paululum repetentes, quanquam naturalis sit et insita animae rei ipsius cupiditas, inquiramus, ut ita demum velut species ipsas panis vitae et qualitatem vini eius, ac proprietatem principatuum per theoriae consequentiam describamus. Igitur sicut in artibus his quae manu adimpleri solent, ratio quidem quid, vel qualiter, vel

volutatur vel circa sepulcri loca, vel circa quaevis corpora terrestria, c. Cels. VII, p. 696. Talis erit animarum usque ad corporum resurrectionem et iudicium Dei in fine mundi status. „Tunc futurum est, ut non solum homo, sed etiam universa conditio (κτίσις) iudicetur, hom. IV in Ezech. p. 370, et ubicunque tunc futurus est Christus, in conspectu omnium positus ubique, et omnes ubique erunt in conspectu ipsius: iudice Christo introspiciente corda et conscientiam singulorum, et ante oculos mentis eorum divinitatis suae manifestatione reperto, non in loco aliquo considente, et in subsellio corporali,“ tract. in Matth. XXXIII, p. 886. Itaque ignis purgatorius, quem Origenis interpretes latinis librorum eius textibus nonnullibi inseruerunt, in genuinis proprio sensu non reperitur; sed ignis duntaxat ille, quo mundus absumetur, purgandi et renovandi vi praeditus, c. Cels. IV, p. 515. Pii enim antequam ad praemia veniatur hoc igne examinabuntur et purgabuntur, ib. p. 588, Guerike II, p. 294, ita ut *purgatorius* aliqua ex parte vocari possit.

3) Lapidibus vivis Paulus in ep. ad Eph. II, 20, et fusius Hermae Pastor vis. III Christianos comparat.

7) Deut. VIII, 3.

13) repetentes inquiramus] i. e. uberius exponamus, altius investigemus.

14) quanquam] supple: vix opus sit sed etc.

14) insita] sc. *a Deo ipso*, quod mox sequitur.

17) theoriae consequentia] i. e. quae rationis ope e locis sacri codicis allegorice intellectis concluduntur et derivantur.

19) ratio] i. e. *idea*, adiuncta tamen notione teleologica, *ad quos usus fiat aliquid*.

Digitized by Google

ad quos usus fiat, versatur in sensu, efficacia vero operis manuum ministerio explicatur: ita in operibus Dei quae ab ipso facta sunt, sentiendum est, quod eorum quae videmus ab eo facta, ratio et intelligentia manet in occulto. Et sicut ea quae ab artifice facta sunt, cum oculus noster viderit, si quid, praecipue fabre factum, prospexerit, continuo qualiter, vel quomodo, vel ad quos usus factum sit, ardet animus sciscitari: multo amplius et super omnem comparationem, eorum quae a Deo facta pervidemus, ineffabili desiderio ardet animus agnoscere rationem. Quod desiderium, quem amorem sine dubio a Deo nobis insitum credimus; et sicut oculus naturaliter lucem requirit et visum, et corpus nostrum escas et potum desiderat per naturam: ita mens nostra sciendae veritatis Dei et rerum causas noscendi proprium ac naturale desiderium gerit. Accepimus autem a Deo istud desiderium, non ad hoc ut nec debeat unquam nec possit expleri: alioquin a conditore Deo menti nostrae frustra videbitur amor veritatis insertus, si nunquam desiderii compos efficitur. Unde et in hac vita qui summo labore piis studiis ac religiosis operam dederint, quanquam parva quaedam ex multis et immensis divinae scientiae capiant thesauris, tamen hoc ipsum quod animos suos mentemque erga haec occupant, atque in hac semetipsos cupiditate praeveniunt, multum utilitatis accipiunt ex hoc ipso quod animos suos ad inquirendae veritatis studium amoremque convertunt, et paratiores eos faciunt ad eruditionis futurae capacitatem: sicut cum aliquis velit imaginem pingere, si ante futurae formae lineamenta tenuis styli adumbratio designet, et superponendis vultibus capaces praeparet notas, sine dubio per adumbrationem imposita praeformatio ad suscipiendos veros illos colores iam paratior invenitur; sic modo adumbratio ipsa et deformatio stylo Domini nostri Iesu Christi in cordis nostri tabulis perscribatur. Et idcirco fortasse dicitur, „quia omni habenti dabitur et adiicietur.“ Unde constat haben-

37) Domini] qui quum sit ὁ λόγος ad τοὺς λογικοὺς omnes pervenit (φθάνει, διήκει), fragm. I. 1, 8. Minime tamen mentes sive naturae ratione praeditae uti ante Clementem Alex. credebatur e Deo aut e Filio delibatae sunt et particulae ipsius; v. Kellii Opuscc. p. 680; de Princ. IV, p. 194 n.

38) Luc. XIX, 26.

tibus deformationem quamdam in hac vita veritatis et scientiae, addendam etiam esse pulchritudinem perfectae imaginis in futuro.

V. Tale opinor indicabat desiderium suum ille qui dicebat: „Coarctor autem ex duobus, desiderium habens dissolvi et cum Christo esse, multo enim melius;" sciens quod tunc cum regressus esset ad Christum, omnium quae geruntur in terris manifestius agnosceret rationes, vel de homine vel de anima hominis vel de mente, vel ex quibuscumque illis, qui sit spiritus qui inoperatur, qui sit quoque vitalis spiritus, vel quae sit gratia quae datur fidelibus Spiritus sancti. Tunc quoque intelliget qui sibi videatur Israel, vel quae diversitas gentium, quid etiam sibi velint Israel duodecim tribus, et quid singuli populi per singulas tribus. Tunc intelliget etiam de sacerdotibus et levitis et de diversis sacerdotalibus ordinibus rationem, et cuius forma erat in Moyse, et nihilominus quae sit veritas apud Deum iubilaeorum, et septimanas annorum; sed et festorum dierum et feriarum rationes videbit, et omnium sacrificiorum et purificationum intuebitur causas; quae sit quoque ratio leprae purgationis, et quae leprae diversae, et quae purgatio sit eorum qui seminis profluvium patiuntur, advertet; et agnoscet quoque quae et quantae qualesque virtutes sint bonae, quaeque nihilominus contrariae, et qui vel illis affectus sit hominibus, vel istis contentiosa aemulatio. Intuebitur quoque quae sit ratio animarum, quaeve diversitas animalium, vel eorum quae in aquis vivunt, vel avium, vel ferarum, quidve sit quod in tam multas species

1) deformatio] i. e. adumbratio s. σκιά.

5) Philip. I, 23.

11) spiritus qui seq.] Cic. Acad. I, c. 6 *id quod est efficiens* a materia distinguit. Itaque spiritus hoc loco est invisibile illud in rebus visibilibus, vel ratio et velut idea eorum.

11) De spiritu vitali v. fragm. l. III, p. 12 ed. huius. Continet ille quaecunque sunt omnia, ut unum velut corpus efficiantur; l. II de Princ. p. 77.

12) quae sit] i. e. qualis sit, et qua via ac ratione tribuatur.

13) qui sibi videatur] sc. significari terrestri Israele, verum huius archetypum.

16) Obscure enim haec adumbrantur in libris sacris, nec ad liquidum a nobis nunc iam cognosci possunt, cf. fragm. l. IV, p. 78 not.

27) hominibus] i. e. erga homines, de Princ. III, p. 138.

31) species] Cf. fragm. l. I, 3.

singula genera deducuntur, qui creatoris prospectus, vel quis per haec singula sapientiae eius tegitur sensus. Sed et agnoscet qua ratione radicibus quibusdam vel herbis associantur quaedam virtutes, et aliis e contrario herbis vel radicibus depelluntur; quae ratio apostatarum angelorum, quaeve causa quod iis qui eos non tota fide contempserint, vel adulari in aliquibus possunt, vel erroris causa ac deceptionis 106 exsistere. Sed et de singulis divinae providentiae iudicium discet, de his quae accidunt hominibus, quod non fortuito vel casu accidunt, sed ratione quadam tam examinata, tam ardua, ut eam non solum sanctorum sed fortassis omnium hominum ne numerus quidem praetereat capillorum, cuius providentiae ratio perducatur usque ad duos passeres qui denario distrahuntur, sive spiritaliter, sive etiam secundum literam passeribus intellectis. Nunc enim adhuc interim quaeritur, tunc autem ibi iam manifeste videbitur. Ex quibus omnibus putandum est, quod interim non parum temporis transeat, usquequo eorum tantummodo quae super terram sunt ratio post vitae abscessum dignis et benemeritis ostendatur, ut per eorum omnium agnitionem et plenae scientiae gratiam, laetitia inenarrabili perfruantur. Tunc deinde si aër iste, qui inter coelum et terram est, non est vacuus ab animantibus, et animantibus rationabilibus, sicut et apostolus dixit: „In quibus aliquando ambulastis secundum saeculum mundi huius, secundum principem potestatis aëris huius spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiae.“ Et iterum ait: „Rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra, et ita semper cum Domino erimus.“

VI. Putandum est igitur quod tamdiu sancti ibi permaneant, usquequo utriusque modi rationem dispensationis eorum quae in aëre geruntur agnoscant. Quod autem dixi utriusque modi, hoc est: verbi gra-

4) virtutes] i. e. daemones sive angeli, sequitur enim *et aliis depelluntur*; cf. Tob. VI, 9.

9) Quamvis impium sit negare providentiam, c. Cels. I, p. 329, concedatur tamen necesse est, occultam esse eam multifariam, de Princ. IV, p. 162; nec qua ratione libertas arbitrii cum ea consentanea sit intelligitur, v. Guerike II, p. 192, et quae seqq. p. 120 med.

27) Ephes. II, 2. 3.

31) 1 Thess. IV, 16.

33) ibi] i. e. in paradiso, de quo diximus in nota ad paragr. III, et cuius statim denuo fit mentio.

tia, cum in terris essemus vidimus vel animalia, vel arbores, et differentias eorum prospeximus, sed et diversitatem quamplurimam inter homines; verum videntes haec, rationem eorum non intelleximus, sed hoc nobis tantum ex ipsa quam vidimus diversitate suggestum est, ut inquiramus et perscrutemur, qua ratione ista omnia vel diversa fuerint creata, vel varie dispensentur; et concepto in terris huiuscemodi agnitionis vel studio, vel amore, dabitur nobis post exitum etiam cognitio eius et intelligentia: si tamen res procedat ex voto. Cum ergo comprehenderimus integre eius rationem, tunc utroque modo comprehendemus ea quae vidimus super terram. Tale ergo aliquid etiam de aërea sede dicendum est. Puto enim quod sancti quique discedentes de hac vita permanebunt in loco aliquo in terra posito, quem paradisum dicit Scriptura divina, velut in quodam eruditionis loco, et, ut ita dixerim, auditorio vel schola animarum in quo de omnibus his quae in terris viderant doceantur, indicia quoque quaedam accipiant etiam de consequentibus et futuris, sicut in hac quoque vita positi indicia quaedam futurorum, licet per speculum et aenigmata, tamen ex aliqua parte conceperant, quae manifestius et lucidius sanctis in suis et locis et temporibus revelantur. Si quis sane mundus corde, et purior mente, et exercitatior sensu fuerit, velocius proficiens cito ad aëris locum ascendet, et ad coelorum regna perveniet per locorum singu-

12) utroque modo] i. e. extrinsecus et interius, ratione singularum rerum pernota.

16) De hoc paradiso Scriptura minime in prioribus Geneseos capitibus, sed v. c. Luc. XXIII, 43 loquitur. Illa enim ad ea, quae mundi creationem praevertebant, referenda sunt. Vide de hoc terrestri paradiso hom. XIII in Ezech. p. 403. E Platonis Phaedone p. 109 Steph. petita sunt, quae de eo sibi noster persuaserat; cf. de Princ. II, p. 83. Non dissimilis est Dantii in divina comoedia de duplici paradiso terrestri et coelesti sententia, ed. Lips. p. 159 (ed. 1826). Deinde quindecimo post Dantii obitum anno Benedictus Papa XII singulari decreto, animas purgatorio superato statim ad summam beatitudinem evehi, resurrectionem praevertentes declaravit (1336). Causa huius decreti lites erant inter Philippum VI Galliae regem, et Iohannem Papam XXII, qui quinque priorum saeculorum de hac re sententiam (Sixti Senens. Bibl. VI, p. 345, Huet. II, 11, 15), quam in Origene etiam agnoscas, amplexus erat, v. Gieseleri K. G. II, 3, p. 54.

Digitized by Google

lorum, ut ita dixerim, mansiones, quas Graeci quidem sphaeras, id est globos, appellaverunt, Scriptura vero divina coelos nominat: in quibus singulis primo quidem perspiciet ea quae ibi geruntur, secundo vero etiam rationem quare gerantur agnoscet: et ita per ordinem digredietur singula, sequens eum qui transgressus est coelos Iesum filium Dei dicentem: „Volo ut ubi sum ego, et isti sint mecum." Sed et de his locorum diversitatibus indicat cum dicit: „Multae mansiones sunt apud patrem meum." Ipse tamen ubique est, et universa percurrit: nec ultra intelligamus eum in ea exiguitate in qua nobis propter nos effectus est; id est, non illa circumscriptione quam in nostro corpore in terris positus inter homines habuit, quo velut in uno aliquo circumseptus loco putetur.

VII. Cum ergo, verbi gratia, ad coelestia loca pervenerint sancti, tunc iam rationem astrorum per singula pervidebunt, et sive animantia sunt, sive quicquid illud est, comprehendent. Sed et alias rationes operum Dei, quas eis ipse revelabit, intelligent. Iam enim tanquam filiis rerum causas et virtutem suae conditionis ostendet, et docebit eos quare illa stella in illo loco coeli posita est, et quare ab alia tanto dirimente spatio separatur: verbi gratia, si propinquior fuisset, quid ex hoc esset futurum, si vero longius, quid accideret; aut si maior fuisset illa stella quam illa, quomodo similis non servaretur universitas, sed in aliam quamdam formam cuncta mutarentur. Sic ergo decursis omnibus quae in astrorum ratione et in his conversionibus quae in coelo sunt continentur, venient etiam ad ea quae non videntur, vel ad ea quorum sola nomina nunc audivimus, et ad invisibilia: quae multa quidem esse Paulus apostolus docuit, quae autem sint, vel quam habeant differentiam, ne exiguo quidem aliquo intellectu coniicere possumus. Et ita crescens per singula

6) transgressus] i. e. ultra omnes coelos evectus; cf. fragm. l. IV, 2. n.

7) Ioh. XVII, 24.

9) Id. XIV, 2.

23) ostendet] sc. Deus ipse, qui post angelicas institutiones ipse nos erudiet.

37) Et ita seqq.] „Cumque in tantum profecerimus ut nequaquam carnes et corpora, forsitan ne animae quidem fuerimus, sed mens et sensus ad perfectum veniens, nulloque perturbationum nubilo caligans, intuebitur rationabiles intelligibiles-

rationabilis natura, non sicut in carne vel corpore et
107 anima in hac vita crescebat, sed mente ac sensu aucta, ad perfectam scientiam mens iam perfecta perducitur, nequaquam iam ultra istis carnalibus sensibus impedita, sed intellectualibus incrementis aucta, semper ad purum, et, ut ita dixerim, facie ad faciem rerum causas inspiciens, potitur perfectione, primo illa qua in id ascendit, secundo qua permanet, cibos quibus vescatur habens theoremata et intellectus rerum rationesque causarum. Sicut enim in hac vita corpora nostra primo in hoc ipsum quod sumus corporaliter crescunt, in prima aetate ciborum sufficientia nobis incrementum praestante; postea vero quam crescendi ad mensuram sui fuerit expleta proceritas, utimur cibis iam non ut crescamus, sed ut vivamus et conservemur in vita per escas: ita arbitror et mentem etiam cum venerit ad perfectum, vesci tamen et uti propriis et competentibus cibis in ea mensura, cui neque deesse aliquid debeat, neque abundare. In omnibus autem cibus hic intelligendus est theoria et intellectus Dei, habens mensuras proprias et competentes huic naturae, quae facta est et creata: quas mensuras singulos quosque incipientium videre Deum, id est intelligere per puritatem cordis, competit observare.

que substantias facie ad faciem." Hieronymo interprete ex epist. ad Avitum p. 764. Cf. de Princ. I, p. 75 v. f. Suspicatur Huetius II, 11, 15 legendum esse in fine huius periodi *intuebimur*: temere.

22) competentes sqq.] Qui supra confessus erat ne exiguo quidem aliquo intellectu conniscere nos posse, quae et qualia sint invisibilia, consequenter nunc mentes creatas absoluta et perfecta rerum cognitione, qualis Dei est, unquam frui posse negat, et constanter hanc tuetur sententiam. Praeter Deum nemini, ne Seraphimis quidem, i. e. Filio et Spiritui sancto, omnia patent, quippe qui velata facie velatis pedibus Deum (hunc enim non ipsos alis velari interpretatur) conspiciant, hom. IV in Ies. p. 112, de Princ. IV, p. 193. Itaque a pantheismo toto coelo Origenes abfuit, nec quae ad l. III de Princ. p. 152 ex Hieronymi interpretatione exhibemus, eo trahi licet. Non solum enim quae creata sunt omnia, sed ipsius Dei potentia (fragm. l. IV, 4) certis limitibus circumscripta: neque his limitibus servatis dissolutio animarum, quamvis aequalitas earum inter se, cogitari potest.

Digitized by Google

# LIBER TERTIUS.

## PRAEFATIO RUFINI.

Qui legis, memor esto mei in tuis sanctis orationibus, ut et nos effici mereamur aemulatores spiritus. Superiores duos περὶ ἀρχῶν libellos te non solum insistente, verum etiam cogente, diebus quadragesimae interpretatus sum. Sed quoniam illis diebus etiam tu, religiose frater Macari, et vicinus manebas, et amplius vacabas, etiam ego amplius operabar: hos vero posteriores duos tardius explicuimus, dum tu ad nos ab extrema et ultima urbis parte rarior exactor accedis. Verum si meministi quod in praefatiuncula priore commonui, quia indignaturi essent quidam si nos audissent non aliquid de Origene male loqui, continuo id, ut arbitror, prosecutum probasti. Quod si in illo opere ita inflammati sunt hi qui hominum linguas ad male loquendum excitant daemones, in quo nondum eorum secreta ad plenum nudaverat: quid in hoc futurum putas, in quo omnes eorum caecas et occultas vias quibus humanis cordibus irrepunt, et animas infirmas ac fragiles decipiunt, revelabit? Videbis illico perturbari omnia, seditiones moveri, clamores tota urbe diffundi, ad damnationem vocari eum qui evangelicae lucernae lumine diabolicas ignorantiae tenebras fugare cona-

4) quadragesimae] sc. anni 398, quo anno pascha in diem XVIII Aprilis incidit, labente cyclo solis XV, cyclo lunae XIX, litera dominicali C. Vide de Rubeis in dissert. de Rufino p. 86.

6) *religiose*] i. e. monache.

6) vicinus manebas] mss. Ru.; *vicinius monebas* edd. Ruaea priores. — Docet Franc. de Rubeis contra Fontanini historiam Aquileiensem et Vallarsium in Praef. ad Opp. Hier. non in monasterio Pineti priores huius operis libros duos, sed Romae a Rufino translatos esse; ibique usque ad pascha in vicinia Rufini, post pascha in extrema et a Rufini domo remotissima urbis parte domicilium habuisse Macarium, l. c. p. 86 et 138.

9) urbis] mss. Ru., *orbis* edd. Ruaea priores.

13) continuo] Quod animo praesagiverat Rufinus quum prologum scriberet in Apol. Pamph. (p. 17), id statim post editos libros huius versionis priores secutum esse, ut litesque ipsi moverent inimici, ex hoc loco intelligitur.

17) in quo] sc. capite II.

tus est. Verum haec parvipendat qui cupit salva fidei catholicae regula in divinis eruditionibus exerceri. Illud autem necessario commoneo, quod sicut in prioribus libris fecimus, etiam in istis observavimus ne ea, quae reliquis eius sententiis et nostrae fidei contraria videbantur, interpretarer, sed velut inserta ea ab aliis et adulterata praeterirem. De creaturis vero rationabilibus si quid novi dixisse visus est, quia non in hoc est summa fidei, scientiae gratia et exercitii, cum forte nobis adversum nonnullas haereses tali ordine necessario respondendum est, neque in his libellis neque in superioribus praetermisi, nisi si qua forte iam in superioribus dicta repetere etiam in his posterioribus voluit, et brevitatis gratia aliqua ex his resecare commodum duxi. Si quis tamen proficiendi et non obtrectandi studio haec leget, rectius faciet si exponi sibi haec a peritioribus velit. Absurdum namque est poetarum ficta carmina, et comoediarum ridiculas fabulas a grammaticis exponi; et ea quae vel de Deo, vel de coelestibus virtutibus, ac de omni universitate dicuntur, in quibus omnis vel paganorum philosophorum vel haereticorum pravus error arguitur, sine magistro et explanatore putare aliquem posse se discere: et ita fit ut res difficiles et obscuras malint homines per temeritatem et inscientiam condemnare, quam per diligentiam et studium discere.

---

Interpretatio Rufini.

Cap. I. De arbitrii libertate.

108 Talia quaedam de repromissionibus divinis credimus sentienda, cum intelligentiam nostram ad contemplationem aeterni illius et nullo fine claudendi saeculi iaculamur, atque ineffabilem eius laetitiam ac beatitudinem contemplamur. Verum quoniam in ecclesiastica praedicatione inest etiam de futuro Dei

7) inserta ss.] V. prologum l. I, p. 46.

9) scientiae cet.] i. e. γυμναστικῶς; cf. de Princ. I, p. 143 ed. huius n.; Moshemii dissert. de turbata per Neoplat. eccl. paragr. 39 et 47.

15) aliqua] Commentarios in ep. ad Rom. Dimidiam partem resecavit Rufinus: satis multa ter quaterque repetita in his libris exhibuit.

32) Verum quoniam seqq.] V. fragm. l. I, 1.

iusto iudicio fides, quae iudicii credulitas provocat homines et suadet ad bene praeclareque vivendum, et omni genere refugere peccatum; et per hoc sine dubio indicatur quod in nostra sit positum potestate vel laudabili nos vitae vel culpabili dedere: propterea necessarium reor pauca etiam de arbitrii nostri libertate disserere, eo quod non ignobiliter haec quoque quaestio a quamplurimis agitetur. Ut autem facilius quid sit libertas arbitrii cognoscamus, quid sibi velit natura ipsius arbitrii voluntatisque requiramus.

II. Omnium quae moventur alia in semetipsis causas motuum suorum gerunt, alia extrinsecus accipiunt: ut puta extrinsecus tantummodo moventur omnia quae sine vita sunt, ut lapides et ligna et quaecunque huiusmodi sunt quae solo habitu materiae suae vel corporum constant. Omittenda sane nunc est illa quaestio quae etiam illum motum putat esse, cum per corruptelam corpora dissolvuntur; nihil enim nunc haec ad propositum conducunt. Alia vero in seipsis habent movendi causam, ut animalia, vel arbores, et omnia quae per naturalem vitam, vel per animam constant: inter quae etiam metallorum venas deputari aliquibus visum est; sed et ignis sui motus esse putandus est, fortassis autem etiam et fontes aquarum. Haec autem quae in semetipsis causam suorum motuum habent, quaedam dicuntur ex se, quaedam a se moveri: et ita dividunt, quod ex se moveantur ea quae vivunt quidem, non tamen animantia sunt; a se autem moveantur animantia, cum eis phantasia, id est, voluntas quaedam vel in- 109 citamentum, adfuerit, quae ea moveri ad aliquid vel incitari provocaverit. Denique in quibusdam animantibus inest talis phantasia, id est, voluntas, vel sensus qui ea naturali quodam instinctu provocet et concitet ad ordinatos et compositos motus; sicut videmus araneas facere, quae phantasia, id est, voluntate quadam et studio textrinae ad opus texendi ordinatissime concitantur, sine dubio naturali quodam motu intentionem huiuscemodi operis provocante: nec tamen ultra alium sensum aliquem quam texendi naturale studium ipsum animal invenitur, sicut et apes fingendi favos ac mella, ut aiunt, aëria congregandi.

42) aëria congregandi] quasi legisset: ἀεροπλαστεῖν, loco τοῦ κηροπλαστεῖν. Pessimas plerumque Rufinum sequi lectiones, librisque

III. Rationabile vero animal cum habeat in se et hos naturales motus, habet tamen amplius ceteris animalibus etiam rationis vim qua iudicare et discernere de motibus naturalibus possit, et alios quidem reprobare et abiicere, alios vero probare atque suscipere, cuius rationis iudicio dirigi et gubernari hominis motus ad vitam probabilem possint. Unde consequens est, ut quoniam natura rationis huius, quae est in homine, habet in se vim dignoscendi boni vel mali, idque cum discernit, inest ei facultas etiam eligendi quod probaverit, in eligendo quidem quod bonum est, laudabilis, in sequendo vero quod turpe vel malum est, iure culpabilis iudicetur. Illud sane nequaquam latere nos debet, quod in nonnullis mutis animalibus ordinatior quidem motus ac ceteris animalibus invenitur, ut in sagacibus canibus, vel bellatoribus equis, ita ut videantur aliquibus velut rationabili quodam sensu moveri. Sed id non tam ratione quam incentivo quodam et naturali motu, pro huiusmodi usibus largius indulto, fieri credendum est. Verum ut dicere coeperamus, cum ita se habeat rationabile animal, nobis hominibus incidere quidem extrinsecus possunt aliqua et occurrere sive ad visum sive ad auditum, vel ad alios sensus, quae nos concitent ac provocent ad bonos vel contrarios motus; quae utique quia extrinsecus incidunt, non est in nostra positum potestate ne incidant vel occurrant: iudicare vero et probare qualiter uti debeamus his quae incidunt, nullius alterius res est vel 110 opus nisi rationis eius quae est in nobis, id est nostri iudicii; cuius rationis iudicio incidentibus extrinsecus concitamentis abutimur ad id quodcumque ipsa ratio probaverit, naturalibus motibus nostris nutu eius vel ad bona vel ad contraria gubernatis.

IV. Si vero quis dicat ea quae extrinsecus accidunt motus nostros provocantia talia esse, ut possibile non sit adversari eis, sive ad bonum sive ad malum nos concitantibus: in seipsum paulisper, qui hoc existimat, convertat animum, et proprios diligentius introspiciat motus, nisi invenerit eum alicuius desiderii

usum esse hodiernis nostris interdum depravatioribus, Casaubonus iam docuit in Exercitt. ad Baronii Annales, I, 99. De Iosephi operum versione, quae tamen utrum Rufini sit nunc dubitatur, ibi disserit.

19) incentivo motu] i. e. instinctu.

pulsat illecebra, nihil prius geri quam animi accommodetur assensus, et suggestioni pravae nutus mentis indulgeat; ita ut etiam verisimilibus quibusdam causis intra cordis nostri tribunalia velut iudici residenti ex utraque parte adhiberi videatur assertio, ut causis prius expositis gerendi sententia de rationis iudicio proferatur. Non enim, ut verbi gratia dixerim, huic qui statuit continenter et caste vivere atque ab omni se muliebri contagio continere, si forte apparuerit mulier provocans eum et illiciens aliquid contra propositum gerere, causa ei perfecta et absoluta vel necessitas praevaricandi mulier exstitit: cum possit utique statuti sui memor libidinis incitamenta refraenare, et irritantis illecebrae delectamenta austerioribus virtutis increpationibus coërcere; ut omni luxuriae sensu fugato propositi firmitas et constantia perseveret. Denique si eruditioribus quibusque viris, et in divinis institutionibus roboratis hujuscemodi irritamenta provenerint, memores continuo sui, ea quae dudum meditati sunt et quibus eruditi sunt in memoriam revocantes, et sanctioris se doctrinae adminiculis munientes, respuunt ac refellunt omnem incitamenti illecebram, atque adversas concupiscentias insitae sibi rationis obiectione depellunt.

Cum ergo haec ita esse naturalibus quodammodo testimoniis comprobentur, quomodo non superfluum est gestorum nostrorum causas ad ea quae extrinsecus incidunt, retorqueri, et a nobis culpam in quibus omnis causa est, removeri, hoc est dicere similes nos esse lignis vel lapidibus quae intra se quidem nullum habent motum, causas autem motus sui extrinsecus patiuntur? Quod utique nec vere dicitur nec decenter, sed ad hoc solum fingitur ut libertas arbitrii denegetur; nisi putemus ita demum posse constare arbitrii libertatem, si nihil sit quod nos extrinsecus incidens ad bona provocet aut ad mala. Si vero quis ad naturalem corporis intemperiem culparum refert causas, contra rationem id esse totius eruditionis ostenditur. Quomodo enim videmus in quamplurimis, cum prius incontinenter intemperate- V. 111

39) contra rationem] graece: παρὰ τὸ ἐναργές. Male coniunxisse videtur cum his verbis τό · λόγου παιδευτικοῦ, quod vertit *totius eruditionis*.

que vixissent, ac luxuriae fuissent libidinisque captivi, si forte verbo doctrinae atque eruditionis in melius provocati sunt, tantam exstitisse commutationem, ut ex luxuriosis et turpibus sobrii et castissimi ac mansuetissimi redderentur: ita rursum videmus in aliis quietis et honestis, cum se forte inquietis hominibus ac turpibus sociarint, corrumpi mores bonos colloquiis malis, et effici eos tales quales sunt illi quibus nihil ad turpitudinem deest; et hoc interdum evenit matura iam aetate viris, ita ut continentiores in iuventute vixerint, quam cum provectior aetas facultatem vitae liberioris indulsit. Consequentia ergo rationis ostendit, quod ea quidem quae extrinsecus incidunt in nostra potestate non sunt: bene vero vel male uti his quae incidunt, ea ratione quae intra nos est discernente ac diiudicante quomodo his uti oporteat, nostrae est potestatis.

VI. Ut autem ea quae ratio consequenter ostendit, etiam Scripturarum auctoritate firmemus, id est, quod nostri operis est recte vel minus recte vivere, et non vel ex his quae extrinsecus incidunt, vel, ut quidam putant, fatis urgentibus cogimur, testimonium dabit
112 Michaeas propheta his verbis dicens: „Si annunciatum tibi est, o homo, quid est bonum, aut quid Dominus requirit a te, nisi ut facias iudicium, et diligas misericordiam, et paratus sis ire cum Domino Deo tuo?“ Et Moyses ita dicit: „Posui ante faciem tuam viam vitae et viam mortis, elige quod bonum est, et incede in eo.“ Et Esaias ita ait: „Si volueritis et audieritis me, quae bona sunt terrae comedetis. Si vero nolueritis, neque audieritis me, gladius vos consumet: os enim Domini locutum est hoc.“ Et in Psalmis ita scriptum est: „Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset, in nihilum utique inimicos eius humiliassem,“ per quod ostendit, quod erat in populi potestate audire et incedere in viis Dei. Sed et Salvator dicens: „Ego autem dico vobis non resistere malo;“ et: „Quicumque iratus fuerit fratri suo, reus erit iudicio;“ et: „Quicum-

7) corrumpi etc.] Cf. 1 Cor. XV, 33.
23) Mich. VI, 8.
27) Deut. XXX, 15.
29) Ies. I, 19. 20.
33) Ps. LXXX, 13.
37) Matth. V, 39.
38) Ibid. 22.
39) Ibid. 28.

Digitized by Google

qui inspexerit mulierem ad concupiscendum eam, moechatus est iam in corde suo.“ Et cum dat cetera quaeque mandata, quid aliud indicat, nisi quod in nostra potestate est observare posse quae mandantur? Et propter hoc recte rei efficimur iudicio, si praevaricemur ea quae utique servare poteramus. Unde et ipse ait quia „omnis qui audit verba mea et facit ea, ostendam vobis cui similis est: Similis est viro prudenti qui aedificavit domum suam super petram,“ etc. Et quod ait: „Qui autem audit haec et non facit, similis est viro stulto qui aedificavit domum super arenam,“ et reliqua. Sed et illud quod dicit his qui a dextris eius sunt: „Venite ad me omnes benedicti patris mei,“ etc., „esurivi enim et dedistis mihi manducare: sitivi et dedistis mihi bibere,“ evidenter ostendit quia in ipsis fuit ut vel laudabiles isti essent, facientes quae mandata sunt, et percipientes quae promissa sunt; vel hi culpabiles qui contraria vel audiere vel percepere, quibus dicitur: „Ite maledicti in ignem aeternum.“ Videamus quomodo etiam Paulus apostolus velut potestatem arbitrii habentibus nobis loquitur, et tanquam in nobis ipsis vel salutis vel perditionis habentibus causas, ait:
„An divitias bonitatis eius ac patientiae ac longani- 113
mitatis contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die iudicii et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opus eius: his qui secundum patientiam boni operis, gloria et incorruptio, qui quaerunt vitam aeternam; his autem qui ex contentione, et qui non credunt quidem veritati, credunt autem iniquitati: ira, indignatio, tribulatio et angustia, in omnem animam hominis operantis malum, Iudaeo primum et Graeco; gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Iudaeo primum et Graeco.“ Multa quidem alia et innumera in sanctis Scripturis invenies, quae evidenter ostendent habere nos arbitrii liberi potestatem. Alioquin contrarium esset dari nobis mandata ex quorum vel observatione salvemur,

7) Matth. VII, 24.
10) Ibid. 26.
13) Id. XXV, 34 s.
20) Ibid. 41.
24) Rom. II, 4 ss.

vel praevaricatione damnemur, si observandi ea facultas in nobis non est.

VII. Verum quoniam inveniuntur in ipsis divinis Scripturis quaedam verba ita posita, ut contrarium ex his aliquid videatur intelligi posse, proferentes ea in medium et secundum pietatis regulam disserentes, adhibeamus eorum absolutiones, quo ex his paucis quae exponimus, etiam ceterorum quae similiter dicta sunt, quibus arbitrii potestas videtur excludi, absolutio evidens fiat. Igitur quamplurimos movent ea quae de Pharaone a Deo dicta sunt, dicente frequentius: „Ego indurabo cor Pharaonis.“ Si enim a Deo induratur, et per hoc quod induratur, delinquit, non sibi ipse exstitit causa delicti. Quod si ita est, non videbitur
114 Pharao habere arbitrii libertatem, et iam consequenter asseretur, quod hoc exemplo nec ceteri quidem qui pereunt, ex arbitrii sui libertate causam perditionis accipiant. Sed et illud quod in Ezechiele dictum est, cum dicit: „Auferam eorum lapidea corda, et immittam eis carnea, ut in praeceptis meis incedant, et vias meas custodiant“: movere possit aliquem pro eo, quod a Deo dari videtur vel incedere in mandatis eius, vel iustificationes eius custodire; quippe si ipse id quod obstat ad custodienda mandata lapideum cor auferens, cor melius et sensibilius quod nunc carneum nominatur, immittit et inserit. Vide autem etiam illud quod in Evangelio Dominus et Salvator ad eos qui quaerebant de ipso quare ad turbas in parabolis loqueretur, quale sit; ait enim: „Ut videntes non videant, et audientes non audiant, et non intelligant, ne forte convertantur et remittatur eis.“ Sed et illud quod a Paulo apostolo dictum est quia „non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.“ Et in alio loco: „Et velle et perficere ex Deo est.“ Et iterum in alio loco: „Ergo cui vult miseretur, et quem vult indurat. Dices itaque mihi:

6) pietatis regula] i. q. ecclesiastica: haeretica enim impia.

7) absolutiones] Eodem quo in textu reperitur haec vox sensu mox p. 128 init., cf. p. 117 init. *difficultatem rei solvere*.

11) Exod. IV, 21.

19) Ezech. XI, 19. 20.

26) nunc] nam plerumque in deteriorem sensum voce *carneus* libri sacri utuntur.

29) Marc. XII, 4.

33) Rom. IX, 16.

34) Philip. II, 13.

35) Rom. IX, 18 ss.

Digitized by Google

Quid ergo adhuc culpat? Voluntati enim eius quis resistet? O homo, tu quis es qui contra respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? aut non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere vas aliud quidem ad honorem, aliud autem ad contumeliam?" Haec et his similia non parum videntur deterrere posse quamplurimos, ne putetur unusquisque habere sui arbitrii libertatem, sed quod ex Dei voluntate vel salvari aliquis vel perire videatur.

VIII. 115 Incipiamus igitur ab his quae ad Pharaonem dicta sunt, qui a Deo dicitur induratus ne dimitteret populum; cum quo pariter etiam apostoli ille sermo tractabitur, quo ait: „Ergo cui vult miseretur et quem vult indurat." His enim praecipue nituntur haeretici dicentes non esse in nostra potestate ut salvemur, sed naturas esse animarum tales quae omni genere vel pereant vel salventur: nec ullo modo possit anima quae malae naturae est, bona fieri; aut quae bonae naturae fuerit, mala effici. Unde aiunt et Pharaonem, quoniam naturae erat perditae, propterea indurari a Deo qui indurat eos qui terrenae naturae sunt, miseretur autem eorum qui spiritalis naturae sunt. Videamus ergo quale est istud quod asserunt, et interrogemus eos primo, ut respondeant nobis, si terrenae naturae quam perditam dicunt asserunt fuisse Pharaonem. Respondebunt sine dubio: Terrenae. Si ergo terrenae naturae erat, credere Deo vel obedire ei, resistente natura, omnino non potuit. Quod si hoc ei erat per naturam, quid adhuc opus erat indurari cor eius, et hoc non semel, sed frequenter, nisi quod utique possibile erat eum suaderi? Nec indurari ab alio diceretur nisi is qui a se non erat durus. Quod si ex se non erat durus, consequens est ut nec fuerit terrenae naturae, sed talis qui posset obstupefactus signis et virtutibus cedere. Necessarius etenim erat Deo ut pro salute multorum in ipso ostenderet virtutem suam, dum resistit plurimis signis et obluctatur voluntati Dei, et per hoc cor eius dicitur indurari. Haec autem dicta sunt primo adversus illos; per quae illa eorum subruatur assertio qua putant naturaliter perditum fuisse Pharaonem: sed et de his quae ab apostolo Paulo dicta

14) Rom. IX, 18.

sunt, similiter adversus eos agamus. Quos enim indurat Deus secundum opinionem vestram? Nempe eos quos naturae perditae dicitis, quid aliud credo facturos si non fuissent indurati. Si vero ex induratione ad perditionem veniunt, iam non naturaliter, sed ex accidentibus pereunt. Tunc deinde dicite nobis, quorum miseretur Deus? Nempe eorum qui salvandi sunt. Et in quo isti secunda misericordia
116 indigent qui semel salvandi sunt per naturam, et ad beatitudinem veniunt naturaliter, nisi quia etiam ex his ostenditur, quod quia perire eos possibile erat, idcirco misericordiam consequuntur, ut per hoc non pereant, sed veniant ad salutem et piorum regna possideant? Et haec quidem dicta sint adversus eos qui naturas bonas vel malas, id est terrenas, vel spiritales commentitiis fabulis introducunt, ex quibus fieri dicunt, ut vel salvetur unusquisque, vel pereat.

IX. Nunc vero respondendum est etiam his qui Deum legis iustum tantummodo volunt, non etiam bonum, quomodo putent a Deo indurari cor Pharaonis, quid faciente vel quid prospiciente? Observandus est enim prospectus et intuitus Dei, secundum nos quidem iusti et boni, secundum ipsos vero iusti tantummodo. Et ostendant nobis quomodo Deus quem utique et ipsi iustum fatentur, iuste faciat cor hominis indurari, ut ex ipsa induratione peccet et pereat. Et quomodo in hoc Dei iustitia defendetur, si ipse eis causa perditionis exsistit, quos pro eo quod duritie increduli exstiterint, ipse postmodum iudicis auctoritate damnavit? Quid etiam culpat eum, *dicens*: „Tu autem quoniam non vis dimittere populum meum, ecce percutiam omnia primitiva in Aegypto, etiam primitivum tuum,“ et quaecumque alia scripta sunt per Moysen dicta esse a Deo ad Pharaonem? Necesse est enim omnem qui vera asserit ea quae in Scripturis referuntur, et ostendere vult iustum esse Deum legis et prophetarum, pro his omnibus reddere rationem, quomodo per hoc nihil prorsus iustitiae Dei derogetur; quoniam, licet bonum eum negent, iustum tamen et iudicem et mundi creatorem fatentur. Alius enim responsionis ordo est adversus

22) prospectus et intuitus] i. e. ἔννοια.

31) Exod. IX, 17; cf. XII, 12; XI, 5.

eos, qui malignum, id est diabolum, mundi huius asserunt creatorem.

Nos vero quoniam non solum iustum, sed et bonum Deum fatemur qui per Moysen loquutus est, X.
perspiciamus diligentius quomodo iusto bonoque conveniat quod cor indurare dicitur Pharaonis. Et videamus si forte possumus sequentes apostolum Paulum difficultatem rei exemplis quibusdam ac similitudinibus solvere, si ostenderimus quoniam uno eodemque opere Deus alterius quidem miseretur, et alium indurat, non hoc agens neque volens ut induretur ille qui induratur: sed dum ille benignitate sua et patientia utitur, his quidem qui eius benignitatem et patientiam ad contemtum atque insolentiam ducunt, induratur cor dum criminum poena differtur; hi vero qui benignitatem et patientiam eius ad occasionem poenitentiae suae et emendationis accipiunt, misericordiam consequuntur. Ut autem evidentius quod dicimus demonstremus, utamur exemplo quo in epistola ad Hebraeos usus est apostolus Paulus dicens: „Terra enim quae bibit frequenter super se venientem imbrem et germinat herbam opportunam his a quibus colitur, percipiet benedictionem a Deo: quae autem profert spinas et tribulos, reproba est et maledicto proxima, cuius finis ad exustionem." Igitur ex his quos assumsimus Pauli sermonibus evidenter ostenditur, quod uno eodemque opere Dei quo imbrem terrae largitur, alia quidem terra diligenter exculta fructus afferat bonos; alia vero quae negligenter inculta est, spinas et tribulos proferat. Et si quis quasi ex persona imbrium loquens dicat: Ego imber feci fructus bonos, et spinas ac tribulos ego feci: quamvis dure dici videatur, vere tamen dicitur; nisi enim imber fuerit, nec fructus nec spinae nec tribuli nascerentur, superveniente vero pluvia utrumque terra produxit. Sed quamvis pluviae beneficio terra germen utrumque produxerit, non tamen imbribus merito diversitas germinis adscribetur, sed ad illos iure culpa mali seminis reflectetur, qui cum possent frequenti aratro terram scindere, et rastris gravibus torpentes glebas vertere, et omnes inutiles radices noxii graminis amputare atque succidere,

(117 in margin beside "videamus si forte possumus sequentes apostolum Pau-")

21) Heb. VI, 7. 8.

31) ex persona imbrium] cf. fragm. l. III, p. 22. n.

cunctisque quibus cultus ille deposcit laboribus ac studiis purgata excultaque novalia venturis imbribus praeparare, hoc quidem facere neglexerunt: desidiae autem suae aptissimos fructus, spinas ac tribulos metent: ita fit, ut bonitas et aequitas imbrium super omnem terram aequaliter veniat, sed uno eodemque opere pluviae ea quidem terra quae culta est, diligentibus utilibusque cultoribus cum benedictione utiles fructus proferat; ea vero quae cultorum desidia obduruit, spinas ac tribulos germinet. Sic ergo accipiamus quod ea signa et virtutes quae a
118 Deo fiebant, imbres quidem erant a Deo desuper ministrati: propositum vero hominum et voluntates terra accipienda est culta vel inculta, unius quidem naturae utpote omnis terra cum terra, non tamen unius eiusdemque culturae. Ex quo fit ut uniuscuiusque propositum vel induretur virtutibus et mirabilibus Dei, si incultum et ferum est et barbarum, et semetipso asperius ac spinosius fiat: aut mitescat amplius, ac tota mente se in obedientiam tradat, si purgatum a vitiis fuerit et excultum.

XI. Verum ad evidentiorem rei probationem superfluum non erit uti etiam alia similitudine: verbi gratia, si quis diceret quia sol est qui restringit, et qui resolvit, cum contrarium sit et resolutio et constrictio. Sed non erit falsum quod dicitur, dum una eademque caloris sui virtute sol quidem ceram solvit, limum vero arefacit et stringit: non quod virtus eius aliter in limo, aliter operetur in cera, sed quod limi alia, alia cerae sit qualitas, cum utique secundum naturam unum sit, quia utrumque de terra est. Ita ergo una eademque operatio Dei quae per Moysen in signis ac virtutibus gerebatur, Pharaonis quidem duritiam arguebat, quam malitiae suae intentione conceperat: reliquorum vero Aegyptiorum qui Israelitis admiscebantur, obedientiam declarabat, qui etiam cum Hebraeis pariter excessisse Aegypto referuntur. Quod vero scriptum est quia paulatim edomaretur cor Pharaonis, ut aliquando diceret: „Non longe abeatis: iter tridui abibitis, sed uxores vestras relinquite et infantes vestros et pecora vestra;“ sed

1) quibus] sc. purgari.

39) Exod. VIII, 28. Addiderat huic loco Origenes: καὶ τὰς γυναῖκας ὑμῶν καταλείπετε; addit Rufinus: *et infantes vestros etc.*

et si qua alia scripta sunt per quae paulatim videtur acquiescere signis et virtutibus: quid aliud ex his indicatur, nisi quod agebat quidem in eo aliquid signorum et mirabilium virtus, non tamen quantum debet, operabatur? Si enim talis erat induratio qualem plurimi putant, non utique inveniretur vel in paucis acquiescere. Tropum vero vel figuram sermonis eius qui scriptus est de induratione, etiam ex communi consuetudine exponere, puto quod non videatur absurdum. Frequenter enim benigniores quique domini ad eos servos qui per multam patientiam et mansuetudinem dominorum insolentiores improbioresque fiunt, dicere solent: Ego te talem feci, ego te perdidi, mea te patientia pessimum feci, ego tibi causa huius tam durae et pessimae consuetudinis existo, qui te non statim per singulas culpas punio pro merito delictorum. Necesse est enim nos tropum 119 primo vel figuram sermonis advertere, et ita demum virtutem dicti intelligere, nec inferre calumnias verbo cuius interiorem sensum non diligentius exploremus. Denique apostolus Paulus evidenter de talibus tractans, ait ad eum qui permanebat in peccatis: „An divitias bonitatis eius ac patientiae et longanimitatis contemnis, ignorans quia benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi ipsi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei." Haec dicit apostolus ad eum qui in peccatis est. Convertamus haec ipsa nos ad Pharaonem dici, et vide si non ea etiam de ipso dici consonanter invenies, qui secundum duritiam suam et cor impoenitens thesaurizavit et recondidit sibi ipsi iram in die irae, pro eo quod nunquam duritia eius ita argui et in manifestum venire potuisset, nisi signa et prodigia fuissent tam multa tamque magnifica prosecuta.

Quod si minus plenae videntur esse probationes XII. quas diximus, et apostolicae similitudinis parum munimenti habere adhuc videtur assertio: adhibeamus etiam propheticae auctoritatis assensum, et videamus

20) Interior sensus hoc loco *verus et genuinus*, alibi *allegoricus*, v. notam ad fragm. l. IV, p. 71 ed. hui. Itaque *sensus literalis interior* est Origeni, quoties per se iam altiora quaedam contineri videatur.

23) Rom. II, 4. 5.

29) Convertamus] parum eleganter i. q. advertamus.

quid etiam prophetae pronuncient de his qui primo quidem recte viventes, benignitatis Dei habere quamplurima experimenta meruerunt, postea vero ut homines deliquerunt; cum quibus se quoque unum faciens propheta ait: „Ut quid, Domine, errare nos fecisti a via tua? et quare indurasti cor nostrum uti non timeremus nomen tuum? Convertere propter servos tuos, propter tribus haereditatis tuae, ut et nos parum aliquid haereditatis capiamus de monte sancto tuo.“ Sed et Hieremias similiter dicit: „Seduxisti nos Domine, et seducti sumus: tenuisti et potuisti.“ Quod ergo ait: „Ad quid, Domine, indurasti cor nostrum, uti ne timeamus nomen tuum?“ dictum ab his qui misericordiam precabantur, morali 120 utique tropo accipiendum est, velut si quis dicat: Ut quid in tantum pepercisti nobis nec requisisti nos cum peccaremus, sed reliquisti nos ut per hoc incresceret malum, et propagaretur peccandi licentia animadversione cessante? Sic equus si non assidui sessoris ferratum patitur calcem et frenis ora ferratis obteritur, indurescit. Sic puerilis aetas si nulla plagae assiduitate curetur, insolentem simul et ad vitia praecipitem iuvenem reddet. Relinquit ergo Deus et negligit eos quos correptione iudicarit indignos. „Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit.“ Ex quo arbitrandum est in filiorum iam ordinem et affectum recipi eos qui flagellari a Domino meruerint et corripi, quo scilicet et per tentationum et tribulationum patientiam possint etiam ipsi dicere: „Quis nos separabit a charitate Dei quae est in Christo Iesu? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?“ Per haec enim omnia manifestatur et proditur uniuscuiusque propositum, et perseverantiae firmitas indicatur, non tam Deo qui novit

5) Ies. LXIII, 17. 18.

10) Ier. XX, 7.

12) Ad quid] Paulo ante *ut quid*. Parum sibi in excitando constat Rufinus; cf. Prolog. Ruf. p. 85. lin. 24.

14) morali tropo] Male. *Ἐν ἤθει* est: sensu vulgari et usitato. De sensu morali cf. quae ad l. IV annotamus.

25) Hebr. XII, 6. Hic locus et quae proxime sequuntur non sunt in graeco. Addidit ea dilatando Rufinus.

30) Rom. VIII, 35.

35) qui novit etc.] Non solum omnia quae eveniant novit Deus (fragm. l. III, p. 41. n.), sed etiam antequam fiant *προδιατάσσεται* (de Orat. p. 204).

Digitized by Google

omnia antequam fiant, quam rationabilibus coelestibusque virtutibus, quae utique procurationem salutis humanae velut quaedam adiutrices Dei ministraeque sortitae sunt. Hi vero qui nondum se tanta constantia, neque tanto affectu offerunt Deo, neque parati sunt accedentes ad servitutem Dei praeparare animas suas ad tentationem, derelinqui dicuntur a Deo, id est non erudiri, pro eo quod ad erudiendum parati non sunt, in posterum sine dubio tempus eorum dispensatione vel curatione dilata. Qui utique, quid a Deo consequentur, ignorant, nisi prius ad beneficii consequendi desiderium venerint: quod ita demum fiet, si quis ante semetipsum cognoscat, et sentiat quid sibi desit; et quod sibi deest, a quo quaerere vel debeat vel possit, intelligat. Qui enim non intellexerit prius infirmitatem vel aegritudinem suam, medicum quaerere nescit: vel certe cum receperit sanitatem, non erit gratus medico, qui non prius periculum sui languoris agnovit. Ita et si qui non prius animae suae vitia et peccatorum suorum cognoverit mala, ac proprii oris confessione prodiderit, purgari is absolvique non poterit, ne ignoret sibi per gratiam concessum fuisse quod possidet, et divinam liberalitatem proprium bonum putet; quae res sine dubio arrogantiam rursus animae generat et elationem, et denuo ei causa fit ruinae. Quod etiam de diabolo sentiendum est qui primatus suos proprios et non a Deo datos esse credidit, quos habe- 121
bat tunc cum immaculatus erat; et impleta est in

Non tamen id quod praescivit Deus, ideo fit quia praescivit, sed quia futurum est, ideo praenovit Deus, Comment. in Gen. p. 10. Demonstratur autem praescientia divina l. c. eâdem fere, qua postea Leibnitzius usus est, via ac ratione, e causis rerum eorumque effectibus, quos verisimilitudine assequitur Deus. Cf. Guerike II, p. 193. Solenne Dei in deprecatione publica epitheton: ὁ πάντα προγινώσκων, Constitt. apost. VIII, 5 e loco Siracidis XLII, 18 s. petitum videtur. Plerumque providentiam universalem Deo tribuunt patres ecclesiae: specialem ad angelos rationabiles coelestesque virtutes referunt, v. Keilii Opusc. p. 478.

1) rationabilibus etc.] Omisit Rufinus: καὶ αὐτοὺς, post: ἀλλὰ τὰ λογικά; addidit aut aliunde attulit, quae a textu graeco aliena sunt. Multas autem res propter angelos fieri statuebat Origenes, v. c. astrorum varios motus, quibus fata hominum aperiantur, necessitate tamen fatali exclusa, Comm. in Gen. p. 9.

9) in posterum rell.] Vide quae seqq. paragr. XIII.

eo illa sententia quae dicit quod „omnis qui se exaltat, humiliabitur." Unde mihi videtur quod ideo occultata sint prudentioribus et sapientioribus divina mysteria, quemadmodum Scriptura dicit: „Uti ne glorietur omnis caro in conspectu Dei": et revelata sint parvulis, his videlicet qui posteaquam infantes facti fuerint et parvuli, id est ad humilitatem se et simplicitatem revocaverint parvulorum, tunc proficiunt, et cum ad perfectionem venerint, meminerunt utique quod non iam suis virtutibus, sed gratia et misericordia Dei beatitudinem consecuti sunt.

XIII. Igitur Dei iudicio derelinquitur is qui derelinqui debet, et patientiam habet Deus super nonnullis peccantibus, non tamen sine certa ratione. Sed et hoc ipsum quod patiens est, ad utilitatem ipsorum facit, quoniam quidem immortalis est anima cuius curam et providentiam gerit: et utique quod immortale et aeternum est, etiamsi non cito curetur, non tamen excluditur a salute, quae in tempora opportuniora differtur. Nam et fortassis expedit tardius consequi his qui venenis malitiae profundioris infecti sunt. Sicut enim medici interdum cum possint celerius obducere vulnerum cicatrices, praesentem dissimulant et differunt sanitatem melioris sanitatis firmiorisque prospectu, dum melius esse norunt moram facere in tumoribus vulnerum, et maligni humoris fluentes paulisper sinere meatus, quam festinare ad superficiem sanitatis, et abstrusis in venis fomitem venenati humoris includere, qui utique exclusus a solitis meatibus serpet sine dubio in interiora membrorum atque ipsa vitalia viscerum penetrabit, non iam morbum corpori, sed vitae illaturus exitium: hoc ergo modo et Deus qui noscit occulta cordis, et praenoscit futura, per multam patientiam indulget fieri quaedam quae extrinsecus incidentia hominibus provocent proferri et in lucem procedere passiones et vitia quae celantur intrinsecus, ut per haec expurgari et curari possint hi qui per multam negligentiam et incuriam peccatorum in se radices ac semina receperunt, ut eiecta foras atque ad superficiem provocata, evomi quodammodo possint et digeri; ut etiamsi videatur
122 quis gravioribus affici malis, dum membrorum omnium sustinet convulsiones, possit tamen cessare aliquando

1) Luc. XVIII, 14. 4) 1 Cor. I, 29.

et desinere et satietatem capere malorum, et sic ad statum suum post multas molestias reparari. Deus enim dispensat animos non ad istud solum vitae nostrae breve tempus, quod intra sexaginta fere aut si quid amplius annos concluditur, sed ad perpetuum et aeternum tempus, tanquam aeternus ipse et immortalis, immortalium quoque animarum providentiam tenens. Incorruptibilem namque fecit esse rationabilem naturam, quam ad imaginem suam ac similitudinem condidit: et ideo non excluditur brevitate temporis huius vitae nostrae a curis et remediis divinis anima quae immortalis est.

XIV. Sed assumamus etiam de Evangeliis horum quae diximus similitudines, ubi refertur esse quaedam petra habens parvam et exiguam terram, in quam si ceciderit semen, cito memoratur exoriri, sed cum exortum fuerit, quoniam radicem non dedit in profundum, ascendente sole aestuare dicitur et arescere quod exortum est. Quae utique petra sine dubio pro anima posita est humana pro sui negligentia indurata, et propter malitiam saxea effecta. Nulli enim a Deo cor lapideum creatum est, sed per malitiam unicuique et inobedientiam cor lapideum fieri dicitur. Sicut ergo si quis increpet agricolam quare non citius semina super terram petrosam iecerit, pro eo quod videat aliam terram petrosam accepta semina velociter germinasse, utique respondebit agricola et dicet, quia idcirco tardius semino terram istam, ut possit semina quae susceperit, retinere; expedit enim huic tali terrae ut posterius seminetur, ne forte citius germinata seges summa tenuis soli fronte procedens solis aestibus obviare non possit. Nonne qui prius increpabat, rationi et peritiae acquiescet agricolae, et quod prius sibi videbatur inconsequens, rationabiliter factum probabit? Ita ergo Deus universae creaturae suae peritissimus agricola dissimulat et differt in aliud sine dubio tempus haec quae nobis videntur citius debuisse consequi sanitatem, uti ne superficies eorum magis quam interna curentur. Si vero quis nobis ad haec obiiciat: Quare ergo quaedam semina

9) quam ad] Sola rationalis humanae naturae pars ad imaginem Dei condita est, non corporea, et sic quidem ut imago sit imaginis, sc. Filii Dei. *Ad similitudinem* i. e. ut similis evadat; cf. l. III, p. 152 init.

26) Cf. Matth. XIII, 5.

cadunt etiam super terram petrosam, id est duram
123 aliquam et saxeam animam? dicendum ad haec quia ne hoc quidem absque divinae dispensationis fieri providentia potest: quia nisi per hoc, non cognosceretur quid condemnationis haberet temeritas auditus et perscrutationis improbitas; non utique cognosceretur quid esset utilitatis erudiri per ordinem. Et inde fit ut cognoscat anima vitium suum, seque ipsam reprehendat, ac consequenter se culturae reservet ac tradat, id est ut videat sibi prius vitia resecanda, tum deinde ad instructionem scientiae veniendum. Quia ergo sicut innumerabiles sunt animae, ita et mores earum atque proposita, diversique singularum motus, et appetentiae et incitamenta; quarum varietatem humana mens considerare nullatenus potest: ideo soli Deo ars et potentia dispensationis huiuscemodi relinquenda est, qui solus nosse potest et remedia singularum, et curationum tempus metiri. Ipse ergo est qui solus, ut diximus, agnoscit singulorum mortalium vias, qua via etiam Pharaonem adducere deberet ut per ipsum nomen suum nominaretur in universa terra, pluribus plagis antea castigatum et usque ad submersionem maris adductum. In qua submersione non utique putandum est finitam esse erga Pharaonem providentiam Dei: non enim quia demersus est, continuo etiam substantialiter interiisse putandus est. „In manu enim Dei et nos et sermones nostri, et omnis prudentia atque operum disciplina est,“ sicut Scriptura dicit. Verum haec pro viribus nostris disseruimus capitulum Scripturae discutientes in quo dicitur Deus indurasse cor Pharao-

10) prius vitia seq.] Sicut apud iuniores Platonicos, ita in theologia alexandrina morum emendatio necessario praecedit mentis illuminationem. Nam eadem lege qua sanctissimos modo quosque Spiritus sanctus elegit, quos sacri textus auctores efficeret: eadem γνῶσις christiana et comparatur et servatur vitae sanctitate fere absoluta animos praeparante. De Clemente Alex. v. Gieseleri K. G. p. 264. Eo facilius fieri potuit, ut doctrinam christianam iam ad mores vix pertinere statueretur. Cf. fragm. I. IV, p. 44. De Philone v. Gfroerer ed. II, p. XXX.

27) Sap. VII, 16.

28) disciplina] gr. ἐπιστήμη.

30) De significatione vocis *capitulum* v. Du Cange glossarium med. et inf. latinitatis, Tom. I, p. 146. Oritur significatio nunc vulgaris e *summarii* a. tituli superscripti notione.

31) Exod. X, 20.

Digitized by Google

nis, et pro eo quod dictum est: „Cui ergo vult, miseretur, et quem vult indurat."

Nunc videamus etiam de his quae Ezechiel dicit cum ait: „Auferam cor lapideum ab eis, et immittam eis cor carneum, ut in iustificationibus meis incedant, et praecepta mea custodiant." Si enim eum vult Deus, aufert lapideum cor et carneum dat, ut praecepta sua serventur et mandata custodiantur, neque malitiam auferre in nostra videbitur esse potestate. Auferri enim cor lapideum non aliud videtur esse, quam malitiam qua quis obduratur abscindi a quo Deus vult. Neque quod mittitur cor carneum ut in praeceptis ambuletur Dei et serventur mandata Dei, aliud est nisi obedientem fieri et non resistentem contra veritatem, et operantem opera virtutum. Si ergo haec promittit Deus se facturum, et antequam ipse auferat cor lapideum deponere illud a nobis non possumus, consequens est ut in nostra potestate non sit abiicere malitiam, sed in Deo. Et iterum si non in nostro actu est, ut fiat in nobis cor carneum, sed solius Dei opus est, non erit nostrum opus secundum virtutem vivere, sed in omnibus Dei gratiae opus videbitur. Haec quidem dicunt hi qui volunt ex auctoritate divinae Scripturae disserere nihil esse positum in nostra potestate: quibus respondebimus haec non taliter intelligi oportere, sed sicut si sit aliquis imperitus et indoctus, isque sentiens imperitiae suae notam sive adhortatione cuiusquam, sive prudentium quorumque aemulatione pulsatus, tradat se alicui a quo confidat posse se diligenter imbui et competenter erudiri. Is ergo qui iam prius se obduraverat in imperitia, si se, ut diximus, cum omni animi intentione dat magistro, atque obtemperaturum se in omnibus repromittit, propositi eius intentione perspecta competenter etiam magister pollicebitur ablaturum se ab eo omnem imperitiam, et inserturum peritiam; non quo abnuenti discipulo vel renitenti hoc se promittat esse facturum, sed offerenti se atque in omnem obedientiam mancipanti: ita et divinus sermo promittit his qui accedunt ad se, ablaturum se esse cor lapideum, non utique ab his qui se non audiunt, sed ab his qui doctrinae suae praecepta suscipiunt; sicut in Evan-

XV. (beside line 3) — 124 (beside line 11)

1) Rom. IX, 18. 4) Ezech. XI, 19.

geliis invenimus aegrotantes accedere ad Salvatorem, rogantes ut percipiant sanitatem, et ita demum curari. Et est quidem, verbi gratia, ut curentur caeci et videant, in eo quidem quod precati sunt Salvatorem, et crediderunt ei posse se ab eo curari, opus
125 ipsorum qui curati sunt: in eo vero quod eis redditur visus, opus est Salvatoris. Ita etiam in hoc divinus sermo promittit daturum se esse eruditionem auferendo cor lapideum, id est abstergendo malitiam, ut possint per hoc in divinis ambulare praeceptis et legis mandata servare.

XVI. Post propositum nobis est etiam illud de Evangelio quod Salvator dixerat: „Ut videntes videant, et non videant: et audientes audiant, et non intelligant; ne forte convertantur et remittatur eis.“ In quo dicet qui e diverso respondet: Si omnimodo hi qui manifestius audient, corrigentur et convertentur, et ita convertentur ut et digni sint percipere remissionem peccatorum; non est autem in ipsorum potestate ut audiant manifestum sermonem, sed in eius utique potestate qui docet, ut apertius et manifestius doceat; is vero qui docet, propterea se dicit manifeste eis non praedicare verbum ne forte audiant et intelligant et convertantur et salventur: non erit utique in ipsis ut salvi fiant. Quod si est, liberi arbitrii non erimus vel ad salutem, vel ad perditionem. Et si quidem non esset adiectum quod dixit: „Ne forte convertantur et remittatur eis,“ posset pronior esse responsio; qua diceremus quoniam nolebat eos quos Salvator praesciebat non esse futuros bonos, intelligere mysteria regni coelorum, et propterea loquebatur eis in parabolis; nunc autem cum adiectum sit: „Ne forte convertantur et remittatur eis,“ difficilior efficitur expositio. Et primo quidem observandum nobis est quid habeat munimenti locus iste etiam adversus haereticos, qui aucupari verba de veteri Testamento solent, si qua forte videntur eis, ut ipsi intelligunt, de Deo creatore grave et inhuma-
126 num aliquid designare, cum vel vindicantis designatur vel punientis affectus, vel quoquomodo certe ipsi haec nominare solent, ex quibus videlicet bonitatem

13) Marc. IV, 12.

17) manifestius] Legisse videtur: σαφέστερον, sed in textu est: σαφεστέρων.

36) Cf. de Princ. II, c. 4 et 5.

denegent esse in creatore: quomodo non eadem mente, nec eodem sensu etiam de Evangeliis iudicant, nec observant si qua talia etiam in Evangeliis posita sunt, qualia iudicant vel arguunt in veteri Testamento. Evidenter enim in hoc capitulo Salvator ostenditur, sicut ipsi dicunt, propterea manifeste non loqui, uti ne convertantur homines et conversi remissionem accipiant peccatorum. Quod utique si secundum solam literam intelligatur, nihil omnino minus habebitur ab eis quae in Testamento veteri criminantur. Si vero ipsis etiam videntur haec expositione indigere, si qua in novo Testamento ita posita inveniuntur, consequens et necessarium erit, ut etiam ea quae in veteri Testamento criminantur, simili expositione purgentur, ut per haec unius eiusdemque Dei probentur esse quae in utroque scripta sunt Testamento. Sed ad propositam quaestionem, prout possumus, convertamur.

Dicebamus prius de Pharaone disputantes quod XVII. interdum curari citius non cedit in bonum, maxime si internis visceribus validius morbus grassatur inclusus. Unde Deus qui occultorum cognitor est, et novit universa antequam fiant, pro multa benignitate sua differt horum talium curas, et medicinam protelat in longius, atque, ut ita dixerim, curat eos dum non curat, ne eos prospera sanitas insanabiles reddat. Possibile ergo est ut apud eos, quibus foris positis Domini et Salvatoris nostri sermo fiebat, pro eo quod scrutans corda et renes praevidebat eos non- 127 dum aptos esse manifestioris eloquii recipere doctrinam, profundioris sacramenti fidem velato sermone contegeret; ne forte velociter conversi ac sanati, id est peccatorum suorum remissione celeriter accepta, facile iterum in eumdem reciderent morbum, quem senserant sine aliqua difficultate curatum. Quod utique si fiat, nulli dubium est duplicari poenam, et mali augmenta cumulari, dum non solum peccata quae remitti visa fuerant, repetuntur, verum etiam virtutis aula polluitur, si eam dolosae et contaminatae mentes, plenae intrinsecus malitiae latentis, conculcent. Et quod unquam talibus remedium erit, qui post malitiae impuros ac sordidos cibos, degustata virtutis suavitate, dulcedine eius suis faucibus recepta, rursus se ad virulentos et mortiferos cibos nequitiae converterunt? Et quis dubitat melius esse

differri, et interim relinqui, ut si forte satietatem malitiae aliquando ceperint et horrescere potuerint sordes in quibus nunc interim delectantur, tunc demum competenter eis sermo Dei manifestetur, et non sanctum canibus mittatur, nec margaritae iactentur ante porcos qui conculcent eas pedibus, et insuper conversi rumpant et impugnent eos qui sibi praedicaverunt verbum Dei? Isti ergo sunt qui foris esse dicuntur, sine dubio ad eorum comparationem qui intus esse et manifestius audire verbum Dei referuntur. Audiunt tamen et isti qui foris sunt verbum, licet parabolis obtectum et proverbiis obumbratum. Sunt autem alii praeter eos qui foris sunt, qui Tyrii appellantur, qui omnino non audiunt, et quidem praenoscente de eis Salvatore quod olim in sacco et cinere iacentes, poenitentiam egissent, si factae fuissent apud eos virtutes quae apud alios factae sunt, et tamen non audiunt, ne ea quidem quae hi qui foris sunt audiunt: credo, pro eo quod longe horum inferior et nequior ordo esset in malitia, quam eorum qui foris esse dicuntur, id est non longe ab his qui intus sunt, et audire verbum, licet in parabolis, merebantur, et quod fortassis dispensabatur eorum curatio in illud tempus, quo tolerabilius erit eis in die
128 iudicii, quam illis apud quos factae sunt illae virtutes quae scriptae sunt; ut ita demum, relevati tunc pondere malorum suorum, facilius et tolerabilius per viam salutis incedant. Verum illud est quod admonitos illos esse qui haec legunt, volo, nos in huiusmodi difficillimis et obscurissimis locis summo studio niti, non tam ut quaestionum absolutiones ad liquidum dispiciamus; hoc enim faciet unusquisque prout spiritus dabit eloqui ei: sed ut pietatis regulam evidentissima assertione teneamus, in eo quod providentiam Dei iuste omnia moderantem, et aequissimis dispensationibus pro singulorum meritis et causis regere immortales animas studemus ostendere; dum non intra huius saeculi vitam dispensatio humana concluditur, sed futuri status causam praestat semper anterior meritorum status, et sic immortali et aeterno aequitatis iure et moderamine divinae providentiae

12) et proverbiis] addit Rufinus; plerumque utramque vocem Origenes exhibet.

31) absolutiones] V. supra L. III, p. 113 p. med.

33) pietatis regula] ut supra l. c.

Digitized by Google

immortalis anima ad summam perfectionis adducitur. Si quis tamen occurrat nobis pro eo quod dicimus a deterioribus quibusque et nequioribus consulto differri verbum praedicationis, cur his quibus collati Tyrii qui certe despecti sunt, praeferuntur, praedicatus sit sermo; in quo utique auctum est eis malum, et gravior eorum effecta est condemnatio, ut audirent verbum qui non erant credituri: hoc modo respondendum videtur. Deus qui universarum mentium conditor est, adversus providentiam suam querelas praenoscens, praecipue eorum qui dicunt: Quomodo credere poteramus cum neque viderimus ea quae ceteri viderunt, neque audierimus ea quae aliis praedicata sunt? in tantum extra nos est culpa, ut hi quibus annunciatus est sermo, et signa monstrata sunt, nihil omnino distulerint, sed obstupefacti ipsa prodigiorum virtute crediderint: volens arguere occasiones huiuscemodi querelarum, et ostendere quia non dissimulatio divinae providentiae, sed humanae mentis arbitrium causa sibi perditionis exsistit, contulit etiam indignis et incredulis gratiam benefactorum suorum, ut vere omne os obstruatur, totumque a se et nihil a Deo deesse sibi mens humana cognoscat; simul et quia gravius condemnatur is qui divina beneficia sibi collata contemsit, quam ille qui consequi ea vel audire non meruit, intelligat et agnoscat, misericordiae esse divinae et aequissimae eius dispensationis etiam hoc ipsum quod interdum dissimulat aliquibus praestare ut vel videant vel audiant virtutis divinae mysteria, ne signorum virtutibus vi- 129
sis et sapientiae eius mysteriis agnitis et auditis, si contemserint atque neglexerint, graviore impietatis animadversione mulctentur.

XVIII. Videamus nunc et de eo quod dictum est: „Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.“ Aiunt enim hi qui e diverso sunt: Si non est volentis, neque currentis, sed cuius Deus miseretur, is salvatur, non est in nobis ut salvemur. Aut enim natura nostra talis est ut vel salvari possimus vel non salvari; aut certe in voluntate sola est eius qui, si vult, miseretur et salvat.

A quibus primo hoc inquirimus: Velle bona, bonum est aut malum? Et currentem festinare ut per-

34) Rom. IX, 16.

veniat ad finem boni, an laudabile est? Si quidem dixerint quod culpabile sit, aperte insanient: omnes enim sancti et volunt bona et currunt ad bona, et utique culpabiles non sunt. Quomodo ergo si is qui non salvatur, malae naturae est, vult bona et currit ad bona, sed non invenit bona? Aiunt enim quia arbor mala fructus bonos non affert: bonus etenim fructus est velle bona. Et quomodo malae arboris fructus est bonus? Quod si dixerint quia medium est velle bona et currere ad bona, id est neque bonum neque malum, dicemus ad eos: Si medium est velle bona et currere ad bona, ergo et id quod his contrarium est, medium erit, id est velle mala et currere ad mala; sed certum est quia non sit medium velle mala et currere ad mala, sed aperte malum est: constat ergo quia non est medium velle bona et currere ad bona, sed bonum.

His ergo tali responsione depulsis, ad expositionem iam quaestionis ipsius properemus in qua ait: „Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.“ In libro Psalmorum, in canticis graduum qui Salomonis esse referuntur, hoc modo scriptum est: „Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam: nisi Dominus custo-
130 dierit civitatem, in vanum vigilat qui custodit eam.“ Per quae verba non utique indicat ut cessare debeamus ab aedificando vel vigilando ad custodiam civitatis eius quae intra nos est: sed hoc est quod ostendit, quia quaecumque sine Deo aedificantur, et quaecumque sine eo custodiuntur, vane aedificantur et sine causa servantur. In omnibus enim quae bene aedificantur et bene salvantur, Dominus vel aedificationis vel tutelae auctor adscribitur. Ut, verbi causa, si videamus aliquod magnificum opus et praeclari aedificii moles, decora constructione sublatas, nonne iure et merito dicemus non haec humanis viribus, sed divina ope atque virtute constructa? Nec tamen ex hoc cessasse et nihil omnino egisse etiam humani studii labor atque industria designabitur. Vel iterum si videamus urbem aliquam gravi hostium obsidione circumdatam, minaces inferri machinas muris, vallo, telis, ignibus, cunctisque bellorum in-

22) Salomonis] v. fragm. l. III, p. 34, lin. 13.    23) Psal. CXXVI, 1.

Digitized by Google

strumentis quibus excidia parantur, urgeri; si repelli hostis potuit et fugari, digne meritoque urbi liberatae, salutem a Deo praestitam dicimus, nec tamen per hoc defuisse vigilum excubias, procinctum iuvenum, et custodientium vigilias designamus. Ita et apostolus dixisse intelligendus est quoniam non sufficit ad perficiendam salutem sola voluntas humana, nec idoneus est mortalis cursus ad consequenda coelestia et ad capiendam palmam supernae vocationis Dei in Christo Iesu, nisi haec ipsa voluntas nostra bona promtumque propositum et quaecumque illa in nobis esse potest industria, divino vel iuvetur vel muniatur auxilio. Et ideo valde consequenter dixit apostolus quia „non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei": quemadmodum si dicamus de agricultura illud quod scriptum est: „Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus." Sicut ergo cum bonos atque uberes fructus ad perfectam maturitatem pertulit seges, nemo pie et consequenter dicet quia fru- 131
ctus illos agricola fecit, sed a Deo fatebitur praestitos: ita etiam nostra perfectio non quidem nobis cessantibus et otiosis efficitur, nec tamen consummatio eius nobis, sed Deo qui est prima et praecipua causa operis adscribetur. Sic cum navis superaverit marina discrimina, quamvis multo labore nautarum, et omni nauticae artis opere impenso, et gubernatoris studio atque industria adhibita res agatur, ventorum quoque adspirantibus flatibus, et astrorum signis diligenter notatis: si quando tamen vexata undis et fluctibus fatigata ad portum salva pervenit, nemo sani sensus nisi misericordiae Dei salutem navis adscribet. Sed ne ipsi quidem nautae vel gubernator audent dicere: Ego salvavi navem: sed totum ad Dei misericordiam referunt; non quod sentiant se nihil ad salvandum navem vel artis adhibuisse vel laboris, sed quod sciant a se quidem laborem, salutem vero a Deo praestitam navi. Ita etiam in nostrae vitae cursu a nobis quidem dependendus est labor, et studium atque industria adhibenda: laboris nostri vero fructus a Deo speranda

6) non sufficit seq.] Itaque Semipelagianorum more, *perficere* Dei esse dicit; cf. c. II, p. 139 v. med.

16) 1 Cor. III, 6. 7.

est salus. Alioquin si nihil nostri operis exposcit, superflua utique videbuntur esse mandata; frustra etiam ipse Paulus culpat quosdam decidisse a veritate, et collaudat alios stantes in fide; praecepta quaedam et instituta ex superfluo tradit ecclesiis; frustra etiam nos ipsi vel volumus, vel currimus ad bona. Sed certum est quod haec frustra non fiunt, et certum est quod nec apostoli frustra praecipiunt, nec Dominus sine causa dat leges. Superest ergo ut pronunciemus quod magis bonis dictis haeretici frustra calumniam faciant.

132

XIX. Post haec insequebatur illa quaestio quoniam „et velle et perficere ex Deo est.“ Et aiunt: Si ex Deo est velle, et ex Deo est perficere, sive bene sive male agimus vel volumus, ex Deo est: quod si est, liberi arbitrii non sumus.

Ad quod respondendum est, quia sermo apostoli non dicit, quia velle mala ex Deo est, aut velle bona ex Deo est, neque perficere bona aut mala ex Deo est: sed generaliter ait quia velle et perficere a Deo est. Sicut enim a Deo habemus hoc ipsum quod homines sumus, quod spiramus, quod movemur, ita et quod volumus, ex Deo habeamus: ut sicut dicamus, quod movemur, ex Deo est, vel quod singula quaeque membra officio suo deserviunt et moventur, ex Deo est. Ex quo utique non illud intelligitur quia quod movetur manus, verbi causa, ad verberandum iniuste, vel ad furandum, ex Deo est: sed hoc ipsum quod movetur, ex Deo est; nostrum vero est motus istos quibus moveri ex Deo habemus, vel ad bona vel ad mala convertere. Ita ergo est quod dicit apostolus, quia virtutem quidem voluntatis ac-

10) magis] i. e. multo magis, e contrario.

13) Philip. II, 13.

17) Denuo quae speciali Dei auxilio debentur ad generale auxilium refert, more Pelagianorum: nam *volitiones* singulas ad Deum nonnisi quatenus virtutem sive facultatem volendi a Deo habeamus refert. Placuit Rufino eiusmodi sententias non intactas modo relinquere, sed plerumque adeo amplificare. Cf. quae in fine huius libri graece exstant cum textu latino, et quae in Comment. in ep. ad Rom. de hac re disseruntur ab ipso Rufino, v. Huet. II, 7, 10. Sic factum est ut in concilio Romano septuaginta episcoporum Rufinus ex auctoritate Hieronymi publice damnaretur, Huet. l. c. 17. — Parum abest quin hoc loco etiam quae supra concesserat, Dei esse *perficere* quae propriis viribus inceperimus, neget.

cipimus, nos autem abutimur voluntate, vel in bonis vel in malis desideriis. Similiter quoque et de effectibus sentiendum est.

Sed de eo quod dixit apostolus: „Ergo cui vult XX.
miseretur, et quem vult indurat. Dices ergo mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis resistet? Enimvero homo tu quis es qui contra respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? Aut non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in 133
honorem, aliud autem in contumeliam?“ Dicet fortasse aliquis: Sicut figulus ex eadem massa facit alia quidem vasa ad honorem, alia autem ad contumeliam, ita Deus alios ad perditionem, alios ad salutem facit; non est ergo in nobis vel salvos fieri vel perire: per quod non videmur nostri esse arbitrii. Respondendum est ergo his qui haec ita intelligunt: si potest fieri ut possit apostolus sibi ipsi contraria proloqui? Quod si hoc sentiri non potest de apostolo, quomodo videbitur secundum istos iuste culpare eos qui in Corintho fornicati sunt, vel eos qui deliquerunt et poenitentiam non egerunt ab impudicitia et fornicatione et immunditia quam gesserunt? Quomodo etiam collaudat eos qui recte egerunt, sicut Onesiphori domum, dicens: „Det autem Dominus misericordiam Onesiphori domui, quia frequenter me refrigeravit, et catenam meam non erubuit, sed cum Romam venisset solicite requisivit me, et invenit. Det illi Dominus invenire misericordiam apud Dominum in illo die.“ Non ergo est apostolicae gravitatis culpare quidem eum qui culpa dignus est, id est qui peccavit, et collaudare eum qui laude dignus est pro opere bono: et rursum, tanquam in nullius sit potestate agere aliquid boni vel mali, dicere creatoris esse opus, ut unusquisque vel bene agat vel male, cum aliud ad honorem vas faciat, aliud ad contumeliam. Quomodo autem illud quoque addit quia „omnes nos stare oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque nostrum in corpore suo prout gessit, sive bonum sive malum“? Quae enim boni retributio ei qui malum facere non potuit, ad hoc ipsum a creatore formatus? vel quae poena digne

2) effectibus] gr. τῷ ἐνεργεῖν.
4) Rom. IX, 18 sqq.
25) 2 Tim. I, 16.
38) 2 Cor. V, 10.

irrogabitur ei qui bonum facere ex ipsa conditoris sui creatione non potuit? Tum deinde quomodo non contrarium est huic assertioni illud quod alibi
134 dicit: „In domo autem magna non sunt tantummodo vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, alia quidem ad honorem, alia autem ad contumeliam. Si ergo quis emundaverit semetipsum ab his, erit vas ad honorem, sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum“? Ergo qui se emundaverit, efficitur vas ad honorem: qui autem immunditias suas purgare contemserit, efficitur vas ad contumeliam. Ex quibus sententiis nullatenus, ut opinor, causa gestorum ad creatorem referri potest. Nam facit quidem creator Deus quoddam vas ad honorem, et facit alia vasa ad contumeliam: sed illud vas quod se purgavit ab omni immunditia, ipsum facit vas ad honorem; quod vero vitiorum sordibus se maculaverit, illud vas ad contumeliam facit. Itaque concluditur ex hoc, quia prius gestorum uniuscuiusque causa praecedit, et pro meritis suis unusquisque a Deo vel honoris vas efficitur vel contumeliae. Unde unumquodque igitur vas ut vel ad honorem a creatore formetur vel ad contumeliam, ex se ipso causas et occasiones praestitit conditori. Quod si iusta haec videtur assertio, sicut est certe iusta et

4) 2 Tim. II, 20. 21.

18) Itaque concluditur] Patrocinantur haec verba lectioni Ruaei: ὥστε οὖν, fragm. l. III, p. 39. Minime tamen, quod e Rufini versione colligas, concludendo animarum προϋπαρξιν assecutus est Origenes. Tam late ante eum regnabat hoc dogma, ut τὸν καθόλου λόγον Tom. II in Ioh. p. 82, i. e. *ubique pervulgatum* vocaret hanc sententiam. Post eum usque ad Nemesium et Synesium percrebuit: inter aequales ne Methodius quidem ab ea abstinuit, v. Keil Opusc. p. 648. 669. Praecipuus eius patronus Philo exstiterat, ib. p. 674.

24) Quod si —, haberetur.] „Sin autem semel recipimus quod ex praecedentibus causis aliud vas in honorem, aliud in contumeliam sit creatum, cur non recurramus ad animae arcanum et intelligamus eam egisse antiquitus propter quod in altero dilecta, in altero odio habita sit antequam in Iacob corpore supplantaret, et in Esau planta teneretur a fratre.“ Hieronymo interprete in ep. ad Avitum p. 764. Idem ibid. haec ex hoc libro exhibet: „Ut autem aliae animae fierent in honorem, aliae in contumeliam, materiarum causarumque merita praecesserunt.“ E graeco textu intelligitur, haec paucis versibus post supplenda esse in interpretatione Rufini.

25) et cum omni seq.] i. e. orthodoxa.

Digitized by Google

cum omni pietate concordans, ut ex praecedentibus causis unumquodque vas vel ad honorem Deo vel ad contumeliam praeparetur, non videtur absurdum eodem ordine atque eadem consequentia, discutientes nos antiquiores causas, eadem etiam de animarum ratione sentire, et hoc esse in causa quod Iacob dilectus est antequam huic mundo nasceretur, et Esau odio habitus est, dum adhuc in ventre matris haberetur.

135 XXI.

Sed et illud quod dictum est, quod ex eadem [ massa et honoris et contumeliae vas fiat, non nos poterit coarctare: unam etenim naturam omnium esse dicimus rationabilium animarum, sicut una luti massa subiacere figulo designatur. Cum ergo una omnium sit natura rationabilium creaturarum, ex ipsa Deus secundum praecedentes meritorum causas, sicut ex una massa figulus, creavit et plasmavit alios quidem ad honorem, alios autem ad contumeliam. Quod vero velut increpantis est apostoli sermo quem dicit: „O homo tu quis es qui contra respondeas Deo?“ puto illud esse quod ostendit ex hoc, quoniam ad fidelem quemque recte et iuste viventem et habentem fiduciam apud Deum talis increpatio non refertur, id est, ad talem aliquem qualis erat Moyses ille, de quo dicit Scriptura, quia „Moyses loquebatur, Deus autem respondebat ei cum voce;“ et sicut respondebat Deus Moysi, ita respondet et sanctus quisque Deo. Qui vero infidelis est, et perdit apud Deum fiduciam respondendi vitae suae et conversationis indignitate, quique de his non ideo quaerit ut discat et proficiat, sed ut contendat et resistat, et ut manifestius dicam, qui talis est qui haec possit dicere quae significat apostolus dicens: „Quid ergo adhuc conqueritur? Voluntati enim eius quis resistet?“ ad hunc recte increpatio ista dirigitur quam dicit apostolus: „O homo tu quis es qui contra respondeas Deo?“ Est ergo increpatio haec non ad fideles et sanctos, sed ad infideles et impios.

His vero qui diversas animarum introducunt naturas, et sermonem hunc apostolicum ad assertionem dogmatis sui trahunt, hoc modo respondendum est: Si constat etiam apud ipsos hoc quod ex una massa

20) Rom. IX, 20.
25) Exod. XIX, 19.
33) Rom. IX, 19.
36) Ibid. 20.

fieri dicit apostolus et eos qui ad honorem et eos qui ad contumeliam fiunt, quos ipsi salvandae et perditae naturae vocant, iam non erunt diversae animarum naturae, sed una omnium. Et si acquiescunt quod unus atque idem figulus unum sine dubio creatorem designet, diversi non erunt creatores vel eorum qui salvantur, vel eorum qui pereunt. Iam sane eligant utrum de bono velint intelligi qui creat malos et perditos, an de non bono qui creat bonos et ad honorem paratos. Unum enim e duobus necessitas 136 ab eis responsionis extorquet. Secundum nostram vero assertionem, qua ex praecedentibus causis Deum dicimus vel ad honorem vasa vel ad contumeliam facere, in nullo approbatio Dei iustitiae coarctatur. Possibile namque est ut vas hoc quod ex prioribus causis in hoc mundo ad honorem factum est, si negligentius egerit, pro conversationis suae meritis in alio saeculo efficiatur vas ad contumeliam; sicut rursum si quis ex praecedentibus causis in hac vita vas ad contumeliam a creatore formatus est, et emendaverit se atque ab omnibus sordibus vitiisque purgaverit, illo novo saeculo potest effici vas ad honorem, sanctificatum, et utile ad omne opus bonum paratum. Denique qui in hoc saeculo, ut Israelitae essent a Deo formati sunt, et indignam vitam generis sui nobilitate gesserunt, atque ab omni familiae suae generositate deciderunt, isti quodammodo ex vasis honoris pro incredulitate sua in saeculo venturo in vasa contumeliae convertentur; et multi rursum qui in hac vita inter Aegyptia vel Idumaea deputati sunt vasa, Israelitarum fide ac conversatione suscepta, cum opera Israelitarum fecerint, ecclesiam Domini ingressi in revelatione filiorum Dei vasa honoris exsistent. Ex quo magis convenit regulae pietatis, ut credamus unumquemque rationabilium secundum propositum et conversationem suam aliquando ex malis ad bonum converti, aliquando a bonis ad

11) Secundum — paratum] „Iuxta nos autem ex praecedentibus meritis vas quod in honorem fuerit fabricatum, si non dignum vocabulo suo opus fecerit, in alio saeculo fiet vas contumeliae; et rursum vas illud quod ex anteriori culpa contumeliae nomen acceperat, si in praesenti vita corrigi voluerit, in nova creatione fiet vas sanctificatum et utile Domino, et in omne opus paratum.“ Hieronymi versio in epist. ad Avitum p. 764.

mala decidere: nonnullos manere in bonis, alios vero etiam ad meliora proficere, et semper ad superiora conscendere, usquequo ad summum omnium perveniant gradum; alios vero manere in malis, vel si diffundere se ultra in eis malitia coeperit, proficere in peius, et usque ad ultimum profundum malitiae demergi. Unde et arbitrandum est possibile esse aliquos qui primo quidem a parvis peccatis coeperint, in tantam malitiam diffundi, et in tantum malorum venire profectum, ut nequitiae modo et adversariis potestatibus exaequentur: et rursum si per multas poenarum graves animadversiones resipiscere aliquando potuerint, et paulatim medelam vulneribus suis requirere tentaverint, cessante malitia reparari posse ad bonum. Ex quo opinamur, quoniam quidem, 137 sicut frequenter diximus, immortalis est anima et aeterna, quod in multis et sine fine spatiis per immensa et diversa saecula possibile est ut vel a summo bono ad infima mala descendat, vel ab ultimis malis ad summa bona reparetur.

XXII. Verum quoniam apostoli sermo in his quidem quae de vasis honoris vel contumeliae dicit, quia „si quis se ipsum mundaverit, erit vas ad honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum semper paratum,“ nihil videtur in Deo posuisse, sed totum in nobis; in his vero in quibus ait: „Potestatem habet figulus luti de eadem massa facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam,“ totum videtur ad Deum retulisse: non est accipiendum ista sibi esse contraria, sed uterque sensus ad unum vocandus, et e duobus unus effici debet intellectus, id

7) Unde — reparetur] „Ego arbitror posse quosdam homines a parvis vitiis incipientes ad tantam nequitiam pervenire, si tamen noluerint ad meliora converti, et poenitentia emendare peccata, ut et contrariae fortitudines fiant; et rursum ex inimicis contrariisque virtutibus in tantum quosdam per multa tempora vulneribus suis adhibere medicinam, et fluentia prius delicta constringere, ut ad locum transeant optimorum. Saepius diximus in infinitis perpetuisque saeculis in quibus anima subsistit et vivit, sic nonnullas earum ad peiora corruere, ut ultimum malitiae locum teneant; et sic quasdam proficere, ut de ultimo malitiae gradu ad perfectam veniant consummatamque virtutem.“ Versio Hieronymi in epist. ad Avitum p. 765. Omissa sunt haec in Philocalia, sicut ad graecum textum annotavimus.

22) 2 Tim. II, 20. 21.

26) Rom. IX, 21.



Digitized by Google

est, ut neque quae in nostro arbitrio sunt, putemus sine adiutorio Dei effici posse, neque ea quae in manu Dei sunt, putemus absque nostris actibus et studiis et proposito consummari; scilicet quod neque nos velle aliquid vel efficere ita in nostro habeamus arbitrio, ut non scire debeamus hoc ipsum quod possumus velle vel efficere, a Deo nobis datum esse secundum eam distinctionem quam supra diximus. Vel rursum cum Deus fingit vasa alia quidem ad honorem, alia vero ad contumeliam, putandum est quod non honoris vel contumeliae causas tanquam materiam quandam nostras vel voluntates, vel proposita, vel merita habeat, ex quibus vas singulorum nostrorum vel ad honorem vel ad contumeliam fingat, dum motus ipse animae vel propositum mentis de se ipso suggerat illi quem non latet cor et cogitatio animi, utrum ad honorem fingi vas eius, an ad contumeliam debeat. Sed ista sufficiant nobis, prout potuimus de liberi arbitrii quaestionibus agitata.

Cap. II. De contrariis potestatibus.*)

138 Videndum nunc est secundum Scripturas, quomodo contrariae virtutes vel ipse diabolus reluctantur humano generi provocantes et instigantes ad peccatum. Et primo quidem in Genesi serpens Evam seduxisse describitur: de quo in Ascensione Moysi, cuius libelli meminit in epistola sua apostolus Iudas, Michael archangelus cum diabolo disputans de corpore Moysi, ait a diabolo inspiratum serpentem cau-

10) Cf. de Princ. II, p. 97 p. med., p. 99.

*) De contrariis potestatibus i. e. angelis malis v. Guerike II, p. 221 ss.

21) reluctantur] dum a recta veri Dei cognoscendi pieque colendi ratione arcent, praestigiis, falsa nomina summo Deo tribuendo v. c. Iovis, Mercurii, Ammonis etc., libidines excitando, et quae sunt eiusmodi, Guerike l. c. p. 224.

23) Gen. III.

24) Ascensionem Mosis v. in Fabricii cod. pseudepigr. V. T. Tom. I, p. 839 seqq. Huius ἀναλήψεως *Μωσέως* mentio fit in Actis Conc. Nic. II, cap. 20, apud Athanasium in Synopsi Scripturae Tom. II, p. 154, denique apud Nicephorum Patriarcham in Chronico Eusebii p. 312; v. Suiceri Thes. I, p. 281. Consentiunt hi omnes librum esse apocryphum.

25) Ep. Iud. I, 9. Recte hunc locum ad corpus Moysi mortuum pertinere, et ex *Ascensione Moysi* petitum esse, vidit Origenes. Temere Menkenius (Betrachtungen über den Matth. I, p. 184) ad Exod. II, 3 ss. textum Iudae refert.

sam exstitisse praevaricationis Adae et Evae. Sed et illud requiritur a quibusdam, quis est angelus qui de coelo loquitur ad Abraham dicens: „Nunc cognovi quoniam tu times Deum, et non pepercisti filio tuo dilecto, quem dilexisti, pro me“? Manifeste enim angelus fuisse describitur, qui dicit cognovisse se tunc quia timeret Deum Abraham, et non pepercisset filio suo dilecto, sicut Scriptura dicit: sed non declaravit quia pro Deo, sed pro se, hoc est pro eo qui hoc dicebat. Requirendum est etiam illud de quo in Exodo dicitur, quia voluerit interficere Moysen pro eo quod abibat in Aegyptum. Sed et postea quis est qui exterminator angelus dicitur; nec non et ille quis sit qui in Levitico scriptus est Apopompaeus, id est transmissor, de quo ait ita Scriptura: „Sors una domino, et sors una Apopompaeo, id est, transmissori“? Sed et in primo libro Regnorum spiritus pessimus Saülem dicitur effocare. In tertio vero libro Michaeas propheta dicit: „Vidi Dominum Israel sedentem super thronum suum, et omnis militia coeli stabat circa eum, a dextris eius et a sinistris eius. Et dixit Dominus: Quis seducet Achab regem Israel, ut ascendat et cadat in Ramoth Galaad? Et dixit iste sic, et ille dixit sic. Exiit spiritus, et stetit in conspectu Domini, et dixit: Ego seducam eum. Et dixit Dominus ad eum: In quo? Et dixit: Exeam, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ipsius. Et dixit: Seduces, et quidem poteris. Exi ergo, et fac cito sic. Et nunc dedit Dominus spiritum mendacem in ore omnium prophetarum tuorum: Dominus locutus est super te mala.“ Manifeste enim per hoc ostenditur voluntate et proposito suo elegisse spiritus quidam ut seduceret, et mendacium operaretur quo abuteretur Dominus ad necem Achab qui hoc pati dignus erat. In primo quoque libro Paralipomenon: „Suscitavit,“ inquit, „diabolus Satan in Israel, et concitavit David ut numeraret

3) Gen. XXII, 12.

11) Exod. II.

12) postea] Exod. XII, 23; exterminator, hebr. הַמַּשְׁחִית.

14) Apopompaeum inter contrarias potestates censere videtur, quamvis sit ἀποτρόπαιος, ἀλεξίκακος, averruncus, v. Gesenii lex. s. v. עֲזָאזֵל, Suiceri thes. I, p. 468.

16) Levit. XVI, 18.

19) 1 Sam. XVIII, 10.

22) 1 Reg. XXII, 19 sqq.

30) 1 Paral. XXI, 1.

populum." In Psalmis vero angelus malus atterere dicitur quosdam. In Ecclesiaste quoque Salomon ait: „Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimittas, quoniam sanitas compescet peccata multa." In Zacharia vero legimus diabolum stantem a dextris Iesu, et resistentem ei. Esaias vero ait gladium Domini exsurgere super draconem, serpentem perversum. Quid autem dicam de Ezechiel in secunda visione ad principem Tyri manifestissime de virtute contraria prophetante, qui etiam in fluminibus Aegypti draconem dicit habitare? Totus autem liber, qui scriptus est de Iob, quid aliud, quam de diabolo continet, petente potestatem sibi dari omnium quae habet Iob, et filiorum eius, insuper corporis eius? Qui tamen per eius patientiam vincitur. In quo libro multa responsis suis edocuit Dominus de adversante nobis virtute draconis istius. Haec interim ex veteri Testamento, quantum ad praesens memoriae succurrere potuerunt, dicta sint de eo quod contrariae virtutes vel nominantur in Scripturis, vel humano generi dicuntur adversari, postmodum puniendae.

Videamus autem et in novo Testamento, ubi Satanas ad Salvatorem accedit, tentans eum; spiritus vero maligni, et daemonia immunda quae aliquantos obsederant, fugata sunt a Salvatore de corporibus patientium, qui et liberati ab eo dicuntur.

3) Eccl. X, 4.

5) Zach. III, 1.

7) Ies. XXVII, 1.

9) Ezech. XXVIII, 12 ss. Cf. de Princ. I, p. 138.

12) de Iob] Cf. Augustinum ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas, Tom. VIII, p. 617: „Non pro auctoritate divina istam sententiam (Hiob. XXV, 4) recipiendam existimo: non enim eam Iob ipse enunciavit, sed unus ex eius amicis, qui dicti sunt *consolatores malorum* omnes, et divina sententia reprobati sunt. — In hoc libro non solum quid dicatur, sed a quo etiam considerandum est — sicut etiam in Evangeliis etc." Quam utinam tenuissent regulam sancti Patres, aut potius satis perspectam habuissent. E textu intelligitur non Hiobi dici hunc librum, sed *de Iob*.

13) petente] Hiob. I.

16) edocuit Dominus] sc. proprio sermone, l. c. LX, 25 ss. Eiusmodi locos, qui Dominum ipsis verbis inducunt loquentem, ceteris auctoritate praestare docet Origenes Tom. I in Ioh. p. 4; cf. de Princ. Praef. p. 87 n. Eadem ratione consilia apostolica minoris quam praecepta Domini, ad ipsum Paulum provocans, facere solet.

26) Matth. IV.

Sed et Iudas cum iam diabolus misisset in cor eius
ut traderet Christum, postea etiam totum Satanam
suscepit in sese: scriptum est enim quia post bucel-
lam introivit in illum Satanas. Paulus vero aposto-
lus docet nos non debere dare locum diabolo: „Sed
induite," inquit, „arma Dei, ut possitis resistere ad-
versus astutias diaboli;" designans „luctamen" esse
sanctis „non adversus carnem et sanguinem, sed ad-
versus principatus, adversus potestates, adversus mundi
huius rectores tenebrarum harum, adversus spirita-
lia nequitiae in coelestibus." Sed et Salvatorem cru-
cifixum esse dicit a principibus huius mundi qui de-
struentur, quorum etiam sapientiam dicit se non lo-
qui. Per haec igitur omnia docet nos Scriptura di-
vina esse quosdam invisibiles hostes dimicantes ad-
versus nos, et praecipit armari nos debere contra
eos. Unde et simpliciores quique Domino Christo
credentium existimant, quod omnia peccata quae-
cumque commiserint homines, ex istis contrariis vir-
tutibus mentem delinquentium perurgentibus fiant,
pro eo quod in certamine isto invisibili superiores
inveniantur potestates. Quodsi, verbi causa, diabo- 139
lus non esset, nemo hominum omnino delinqueret.

II. Nos vero rationem dilucidius intuentes, haec ita
esse non arbitramur, considerantes ea quae manifeste
ex corporali necessitate descendunt. An vero pu-

3) Ioh. XIII.

5) Ephes. VI, 11. 12.

12) 1 Cor. II. ,Saeculo iam secundo gnostici angelos malos hoc loco Pauli significari docebant. Postea ad Iudaeos eum pertinere statuerunt interpretes christiani.

17) Simplicioribus vitio vertit, quod totius fere antiquae ecclesiae sententia erat: a daemonibus undique veluti obsessos esse Christianos. Homilia Clement. XI, p. 704 s. docetur, omnem hominem ignis pessimi a malo daemoni ortam in se naturâ habere particulam, a qua ad mala quaevis facinora incendatur. Aqua salutari in baptismate hic ignis extinguitur, aut sensim potius diminuitur. Methodius ap. Photium cod. 234 ad τὸν πολύτροπον ὄφιν eiusque ἐμφύσησιν refert τὴν ἐπιθυμίαν ὑλικήν. Cf. Knappii Glaubensl. I, p. 383.

22) Quodsi seq.] Ne originale quidem vitium ad diabolum referre potuit Origenes per systematis sui consequentiam.

26) Etsi naturam corporis, a gnosticis dissentiens, impuram esse neget c. Cels. IV, p. 474, tamen in corpore peccati *sedem* esse statuit ad Rom. VI, 12, p. 569. In textu de *necessitate* quadam peccandi in corpore posita loquitur, et a naturalibus corporis motibus eam repetit, v. Münteri älteste Dogmengesch.

Digitized by Google

tandum est quod diabolus esuriendi vel sitiendi causa nobis exsistat? Neminem esse puto qui hoc audeat affirmare. Si ergo esuriendi et sitiendi non nobis ipse sit causa, quid aliud cum uniuscuiusque aetas ad virilitatis tempus advenerit, et naturalis caloris incentiva suggesserit? Consequens est sine dubio, ut sicut esuriendi et sitiendi diabolus causa non est, ita nec eius quidem motus qui adultae aetati naturaliter suggeritur, id est appetendi coitus desiderium. Quam causam non utique semper a diabolo moveri certum est, ita ut putandum sit quia si diabolus non esset, huiuscemodi admixtionis desiderium corpora non haberent. Tum deinde consideremus si, ut superius ostendimus, cibus hominibus non ex diabolo, sed naturali quodam appetitur instinctu, utrum posset fieri ut si diabolus non esset, humana experientia tanta in percipiendo cibo disciplina uteretur, ut nunquam penitus excederet modum, id est, ut vel aliter quam res posceret, vel amplius quam ratio indulgeret, acciperet, et nunquam eveniret hominibus in servando cibi modo mensuraque delinquere. Ego quidem non arbitror hoc ab hominibus ita potuisse servari, etiamsi nulla diaboli provocasset instinctio, ut in percipiendo cibo modum disciplinamque nullus excederet, priusquam id longo usu experientiaque didicissent. Quid igitur est? In escis quidem et potu possibile erat

II, 1, p. 222. Causam huius vitii corpori inhaerentis ad concubitum retulisse videtur, hom. VIII in Lev. p. 228. Praeiverant Origeni in hac de corpore humano peccatorum sede et fomite sententia Iustinus M., Athenagoras, Clem. Alex.; secuti sunt Basilius, Gregorii, Chrysostomus, v. Keil p. 727. De theologia iudaica v. eundem ibid. p. 747. Cf. Sap. IX, 15.

1) esuriendi cet.] Cf. Clement. hom. IX, 10: „Quod autem daemones gestiunt intrare in corpora hominum, haec causa est. Cum sint spiritus et appetant cibos ac libidinem, nec capere possint, quia spiritus sint — in hominum ingrediuntur corpora, ut tanquam ministrantia membra nacti, quae cupiunt possint obtinere. — Unde *ieiunium* et afflictatio est aptissimum auxilium." Prorsus eadem Neoplatonicorum erat de hac re opinio, v. Moshemii dissert. de turbata eccl. paragr. XLIX. Ab his igitur valde dissentire nonnullibi Adamantium, documento est locus in textu.

4) quid aliud] Minime negat naturalem hunc de quo loquitur instinctum per se esse malum: haec enim persuasio eunuchismi causa ipsi fuit, sed a diabolo nos *semper*, ut statim sequitur, instigari ad libidinem. De eunuchismo suo, ut in superioribus, tacet.

Digitized by Google

delinquere nos etiam sine diaboli incitamentis, si forte minus continentes, vel minus industrii fuissemus inventi: in appetendo vero coitu, vel naturalibus desideriis temperandis, putandum est quod non simile aliquid pateremur? Arbitror autem quod eadem rationis consequentia etiam in ceteris naturalibus motibus possit intelligi cupiditatis, vel irae, vel tristitiae, vel in omnibus omnino quae per intemperantiae vitium, modum mensurae naturalis excedunt. Evidens igitur ratio est, quia sicut in bonis rebus humanum propositum solum per seipsum imperfectum est ad consummationem boni, adiutorio namque divino ad perfecta quaeque perducitur: ita etiam in contrariis initia quaedam, et velut quaedam semina peccatorum ab his rebus quae in usu naturaliter habentur, accipimus; cum vero indulserimus ultra quam satis est, et non restiterimus adversus primos intemperantiae motus, tunc primi huius delicti accipiens locum virtus inimica instigat, et perurget omnibus modis, studens profusius dilatare peccata, et quidem nobis hominibus occasiones et initia praebentibus peccatorum, inimicis autem potestatibus latius ea et longius, et si fieri potest absque ullo fine propagantibus. Ita denique in avaritiam lapsus efficitur, cum primo homines parum quid pecuniae desiderant, deinde augescente vitio cupiditas increscit. Post hoc iam cum etiam caecitas mentis ex passione successerit, inimicis virtutibus suggerentibus ac perurgentibus, pecunia iam non desideratur, sed rapitur, et vi, aut etiam sanguinis humani profusione conquiritur. Ad certiorem denique rei fidem, quod immensitates istae vitiorum a daemonibus veniant, contemplari etiam ex eo facile potest, quod nihil minus his qui corporaliter vexantur a daemonibus, etiam illi patiuntur, qui vel immoderatis amoribus, vel irae intemperantia, vel nimietate tristitiae perurgentur. Nam et in

10) Itaque initia et bene et male agendi omnino in nobis posita sunt: incrementa non sine Deo aut diabolo capiuntur. Sic Semipelagiani. E contrario Synergistae non initia sed incrementa in bene agendo aliqua ex parte hominis esse statuunt.

13) perducitur] sc. excitando et adiuvando. Cf. quae seqq. paragr. IV: „Nihil tamen aliud putandum est accidere nobis ex ipsis quae cordi nostro suggeruntur bonis vel malis, nisi commotionem solam et incitamentum provocans nos vel ad bona vel ad mala.“

nonnullis historiis refertur, quod in insaniam quidam ex amore deciderunt, alii ex iracundia, nonnulli ex tristitia, vel nimio gaudio: quod arbitror ex eo accidere, quia contrariae istae virtutes, id est daemones, loco sibi in eorum mentibus dato quem intemperantia prius patefecerit, sensum eorum penitus possederint; maxime cum nulla eos ad resistendum virtutis gloria concitarit.

III. Quod autem sint quaedam peccata quae non a contrariis virtutibus veniant, sed ex naturalibus corporis motibus initium sumant, manifestissime declarat apostolus Paulus in eo dum dicit: „Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: haec sunt quae sibi invicem resistunt, ut non quae vultis illa faciatis.“ Si ergo caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, est nobis aliquando colluctatio adversus carnem et sanguinem, id est, cum homines sumus, et secundum carnem ambulamus, et cum non possumus tentari in maioribus tentationibus quam humanis, cum dicitur de nobis: „Tentatio vos non comprehendat nisi humana. Fidelis autem Deus qui non permittet vos tentari supra id quod potestis.“ Sicut enim hi qui agonibus praesunt, eos qui ad certamen veniunt, non utcumque, neque fortuito inter se sinunt inire certamina, sed diligenti examinatione prout vel corpora viderint, vel aetates, aequissima comparatione iungentes illum cum illo, verbi gratia, pueros cum pueris, viros cum viris, qui sibi vel aevi vel roboris propinquitate conveniant: ita intelligendum est *etiam* de divina providentia, quod omnes qui in hos humanae vitae descenderint agones iustissima moderatione dispenset secundum rationem uniuscuiusque virtutis, quam ipse solus, qui solus corda hominum intuetur,
140 agnoscit; ut alius quidem pugnet adversus carnem talem, alius vero adversus talem, et alius quidem in tantum tempus, alius vero in tantum, et ut alter in-

1) in insaniam] i. e. in daemonum potestatem.

2) Cf. quae in Homero et Sophocle ex. gr. de Aiace leguntur.

12) Gal. V, 17.

19) cum non] rectius dixisset *quamdiu nondum*; nam tentamur etiam a contrariis potestatibus saepissime numero, ut in praecedentibus paragr. exposuit.

21) 1 Cor. X, 13.

23) qui — praesunt] i. e. *οἱ βραβεῖς s. βραβευταί.*

Digitized by Google

stigetur carne in hoc vel illud, alius vero in aliud; tum vero ut alius resistat adversus inimicam potestatem illam vel illam, alius vero adversus duas vel tres simul, aut nunc quidem adversus aliam, nunc iterum adversus aliam, et certo tempore quodam adversus illam, et certo quodam adversus aliam, vel post quae gesta adversus quas pugnet, post quae vero adversus alias. Intuere enim, ne forte tale aliquid indicetur per hoc quod dicit apostolus: „Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis," id est, pro eo quod singuli pro virtutis suae quantitate, vel possibilitate tentantur. Nec tamen quoniam diximus iusto Dei iudicio unumquemque pro virtutis suae quantitate tentari, idcirco putandum est, quia omni genere debeat vincere qui tentatur: sicut ille quidem qui in agone contendit, quamvis aequa moderatione comparatus sit adversario, non tamen omni genere vincere poterit. Verum nisi aequalis fuerit concertantium virtus, non erit iusta palma vincentis, nec iuste culpabitur victus, propterea quod permittit quidem nos tentari, non tamen supra id quod possumus: pro viribus enim nostris tentamur: nec tamen scriptum est, quia faciet in tentatione etiam exitum sustinendi, sed exitum ut sustinere possimus. Ut vero hoc quo posse nobis ipse dedit vel strenue vel segniter impleamus, in nobis est. Dubium enim non est quod in omni tentatione adest nobis tolerandi virtus, si tamen nos competenter utamur virtute concessa. Non enim idem est habere vincendi virtutem, et vincere, sicut ipse apostolus cautissimo sermone signavit, dicens, quia „dabit Deus exitum ut sustinere possitis," non ut sustineatis. Multi enim non sustinent, sed in tentatione vincuntur. A Deo autem datur, non ut sustineamus; alioquin nullum iam videretur esse certamen: sed ut sustinere possimus. Ea autem virtute quae nobis data est ut vincere possimus, secundum liberi arbitrii facultatem aut industrie utimur, et vincimus; aut segniter, et superamur. Si enim totum nobis hoc detur ut omni genere superemus, et nullo modo vincamur, quae iam superest causa certandi ei qui vinci non potest? Aut quod palmae meritum, ubi repugnandi adimitur vincendique facultas? Si vero aeque quidem omnibus nobis

9) 1 Cor. X, 13. 31) Ibid.

vincendi possibilitas praebeatur, in nostra autem positum sit potestate, quomodo hac possibilitate uti debeamus, id est vel industrie, vel segniter, iusta erit vel victi culpa, vel palma victoris. Igitur ex his quae pro viribus nostris disputata sunt, arbitror quod evidenter apparuit esse quaedam delicta quae nequaquam malignis virtutibus perurgentibus committamus, alia vero esse quibus instinctu earum ad nimietatem quandam immoderationemque provocemur. Unde consequens est nunc inquirere quomodo ipsae contrariae virtutes haec ipsa incitamenta operentur in nobis.

IV. Cogitationes quae de corde nostro procedunt, vel memoria quorumcumque gestorum, vel quarumlibet rerum causarumque contemplatio, invenimus quod aliquoties ex nobis ipsis procedant, aliquoties a contrariis virtutibus concitentur; interdum etiam a Deo, vel a sanctis angelis immittantur. Verum haec ita esse fabulosum fortasse videbitur, nisi Scripturae divinae testimoniis fuerit comprobatum. Quod ergo cogitatio oriatur ex nobis, David testatur in Psalmis dicens: „Quia cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.“ Quod autem et a contrariis virtutibus fieri soleat, Salomon in Ecclesiaste testatur hoc modo: „Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimittas: quoniam sanitas compescit peccata multa.“ Et Paulus apostolus de iisdem testimonium dabit, dicens: „Cogitationes destruentes, et omnem elationem quae se extollit adversus scientiam Christi.“ Ex Deo autem quod fiat, David nihilominus testatur in Psalmis dicens: „Beatus vir cuius est susceptio apud te, Domine, ascensus in corde eius.“ Et apostolus dicit quoniam „Deus dedit in corde Titi.“ Quod vero etiam per angelos vel bonos, vel malos aliqua humanis cordibus suggerantur, designat vel Tobiam angelus comitatus vel prophetae sermo, di-

16) a Deo] sc. per Spiritum sanctum, in quo est ὕλη omnium charismatum, vel per Filium si quis nondum sit sanctificatus, fragm. l. I, 8.

21) Ps. LXXV, 11.

24) Eccl. X, 4. Textus hebraici sensus est: Quum rex aut potens aliquis tibi irascitur, non cede loco, sed patienter ferendo iracundiam exarma.

28) 2 Cor. X, 4. 5.

31) Ps. LXXXIV, 5.

33) 2 Cor. VIII, 16.

34) Quod vero rell.] cf. notam ad l. II, p. 103 v. med.

centis: „Et respondit angelus qui loquebatur in me“: sed et Pastoris liber haec eadem declarat dicens quod bini angeli singulos quosque hominum comitentur: et si quando bonae cogitationes cor nostrum ascenderint, a bono angelo suggeri dicit; si vero contrariae, mali angeli dicit esse instinctum. Eadem quoque Barnabas in epistola sua declarat, cum duas vias esse dicit, unam lucis, alteram tenebrarum, quibus et praeesse certos quosque angelos dicit: viae quidem lucis angelos Dei; tenebrarum autem viae, angelos Satanae. Nihil tamen aliud putandum est accidere nobis ex ipsis quae cordi nostro suggeruntur bonis vel malis, nisi commotionem solam et incitamentum provocans, nos vel ad bona vel ad mala. Possibile autem nobis est cum maligna virtus nos coeperit ad malum incitare, abiicere a nobis pravas suggestiones, et resistere suasionibus pessimis, et nihil prorsus culpabiliter gerere. Et rursum possibile est ut cum nos di- 141
vina virtus ad melióra provocaverit, non sequamur, liberi arbitrii potestate in utraque nobis servata. Dicebamus sane in superioribus, quod etiam memoriae nobis quaedam vel bonorum vel malorum suggerantur, sive per divinam providentiam, sive per virtutes contrarias: sicut ostenditur in libro Esther, cum beneficia iustissimi Mardochaei Artaxerxes non meminisset, et nocturnis vigiliis fatigatus a Deo in memoriam recepisset rerum gestarum monimenta chartis mandata requirere; in quibus de beneficiis Mardochaei admonitus inimicum quidem eius Aman suspendi iuberet, ipsi vero honores magnificos, universae autem sanctorum genti salutem periculo iam imminente conferret. Per contrariam vero diaboli virtutem memoriae pontificum et scribarum putandum est suggestum illud quod venientes ad Pilatum dixerunt: „Domine, recordati sumus quomodo seductor ille dixit, dum adhuc viveret, quia post tertiam diem resurgam.“ Sed et Iudas quod de proditione Domini Salvatoris cogitavit, non fuit a sola mentis eius malitia veniens. Testata est enim Scriptura, quia „dia-

1) Zach. I, 14.
2) Past. Herm. Mand. VI, 2.
6) Ep. Barnab. p. 50 Cotel. Cf. Origenis hom. 12 in Lucam; 23 in Ies. Nave, c. Celsum l. VIII, p. 798.
11) Nihil tamen] v. paragr. II post med.
35) Matth. XXVII, 63.
39) Ioh. XIII, 2.

bolus iam misisset in cor eius ut traderet eum." Propter quod et Salomon recte praecepit, dicens: „Cum diligentia serva tuum cor." Et Paulus apostolus ait: „Amplius debemus intendere his quae audivimus, ne forte effluamus." Et cum dicit: „Nolite locum dare diabolo," ostendens per hoc quia certo opere, vel certa quadam desidia animi locus diabolo datur, ut si semel ingressus fuerit cor nostrum, aut obtineat nos, aut certe vel polluat animam si non penitus obtinere potuerit, cum ignita sua iacula iactat in nos: quibus aliquando quidem in altum descendente vulnere sauciamur, aliquando vero tantummodo inflammamur. Raro certe et paucis quibusdam haec eius ignita iacula restinguuntur, ita ut locum vulneris non inveniant, id est, cum quis munitissimo et validissimo scuto fidei fuerit obtectus. Quod vero dictum est in epistola ad Ephesios: „Quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus, et potestates, adversus mundi huius rectores tenebrarum harum, adversus spiritalia nequitiae in coelestibus": ita oportebit intelligi quod dixit „nobis," id est mihi Paulo, et vobis Ephesiis, et quibuscumque non est colluctatio cum carne et sanguine. His etenim certamen est adversus principatus et potestates, adversus mundi huius rectores tenebrarum, non sicut erat Corinthiis, quibus certamen adhuc adversus carnem et sanguinem erat, quos tentatio non apprehenderat nisi humana.

V. Nec tamen putandum est quod singuli quique adversus omnia haec decertent. Impossibile enim id esse arbitror ulli hominum, quamvis ille sit sanctus, ut adversus omnia haec simul possit habere certamen. Quod si ullo modo id accidat, quod certe fieri non potest, impossibile est ut id prorsus ferre possit humana natura sine maxima subversione sui. Sed sicut, verbi gratia, quinquaginta aliqui milites si dicant sibi imminere certamen adversus alios quinquaginta, non ita intelligendum est, quod unus ex illis adversus quinquaginta dimicaturus sit, sed recte dicit unusquisque illorum, quia certamen nobis est adversum quinquaginta, omnibus tamen adversum omnes: ita

2) Prov. IV, 23.
4) Hebr. II, 1.
5) Ephes. IV, 27.
17) Ibid. VI, 12.
31) sanctus] cod. Corb. *spiritus*.

etiam hoc audiendum est quod apostolus dicit, quod universis athletis et militibus Christi colluctatio et certamen est adversus omnia ista quae enumerata sunt; omnibus, singulis tamen, vel cum singulis futuro certamine, vel certe prout probatum fuerit ab agonis ipsius iusto praeside Deo. Arbitror namque quia certa mensura sit humanae naturae: etsi Paulus ille sit, de quo dicitur: „Vas electionis est mihi iste;“ aut Petrus, adversus quem portae inferi non praevalent; aut si Moyses ille sit, amicus Dei: quorum nullus prorsus omnem simul adversariarum virtutum catervam posset sine sui aliqua pernicie tolerare, nisi forte illius solius virtus operetur in eo qui dixit: „Confidite, ego vici mundum.“ Propter quem confidenter etiam Paulus dicebat: „Omnia possum in eo qui me confortat Christus.“ Et iterum: „Amplius autem quam omnes illi laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum.“ Propter hanc ergo virtutem quae utique humana non est, operantem et loquentem in se, Paulus dicebat: „Certus sum autem quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque praesentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque virtus, neque alia ulla creatura poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro.“ Sola enim per se humana natura non arbitror quia possit adversus angelos, et excelsa et profunda, et aliam creaturam habere certamen: sed cum senserit praesentem in se Dominum et inhabitantem, confidentia divini adiutorii dicet: „Dominus illuminatio mea et Salvator meus, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo? Dum appropiant super me nocentes ut edant carnes meas: qui tribulant me inimici mei ipsi infirmati sunt et ceciderunt. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exsurgat adversum me proelium, in hoc ego sperabo.“ Unde ego arbitror quod nunquam homo fortassis per se ipsum virtutem contra-

8) Act. IX, 15.

12) nisi forte] sc. suadendo et provocando ad meliora. Provocationibus enim et suasionibus liberi arbitrii, gratiae divinae auxilium prorsus absolvitur; Huet. II, 7, 16.

14) Ioh. XVI, 33.

15) Philip. IV, 13.

16) 1 Cor. XV, 10.

20) Rom. VIII, 38. 39.

30) Psal. XXVI, 1 sqq.

38) fortassis] Dubitandi particula

riam vincere potest, nisi usus fuerit adiutorio divino. Unde et angelus luctatus esse dicitur cum Iacob. Quod nos quidem ita intelligimus, quia non idem sit luctatum esse cum Iacob angelum, quod est adver-
142 sum Iacob: sed is quidem qui ei salutis ipsius causa aderat, qui et cognitis profectibus eius, etiam nomen ei Israel dedit, iste cum ipso luctatur; id est, cum ipso est in agone, et iuvat eum in certamine: cum sine dubio alius esset adversus quem dimicaret, et adversus quem ei certamen ageretur. Denique Paulus non dixit nobis esse luctamen cum principibus, vel cum potestatibus, sed adversus principatus et potestates. Unde etsi Iacob luctatus est, sine dubio adversus aliquam harum virtutum luctatus est quas humano generi, et sanctis praecipue, adversari et movere certamina Paulus enunciat. Ideo denique dicit de eo Scriptura, quia „luctatus est cum angelo, et invaluit ad Deum."; ut sit agonis quidem certamen angeli adiutorio sustentatum, perfectionis vero palma vincentem perducat ad Deum.

VI. Nec sane arbitrandum est quia huiusmodi certamina corporum robore et palaestricae artis exercitiis peragantur; sed spiritui adversus spiritum pugna est, similiter ut Paulus designat adversus principatus, et potestates, et mundi huius rectores tenebrarum nobis imminere certamen. Ipsa vero certaminum species ita intelligenda est, cum damna, cum pericula, cum opprobria, cum criminationes excitantur adversum nos, non id agentibus adversis potestatibus ut haec tantummodo patiamur, sed ut per haec vel ad iram multam, vel ad tristitiam nimiam, vel ad desperationem ultimam provocemur; vel certe, quod est gravius, conqueri adversus Deum fatigati et victi taediis compellamur, tanquam humanam vitam non aeque iusteque moderantem: ut per hoc infirmemur in fide, vel decidamus ab spe, vel transferri cogamur

abundare solet stilus Origenis, quum nihil fere pro certo edicere audeat.

2) cum Iacob] Gen. XXXII, 24; *cum* i. q. ut auxilio esset. Ceteri quoque ecclesiae patres sive angelum sive Filium Dei luctatorem istum fuisse dicunt: Origenes angelum tutelarem subintelligi iubet.

10) Eph. VI, 12.

17) Gen. XXXII, 24.

36) ab spe] Spei incolumitatem proximo post veritatem dogmatum loco haberi, temporum illorum ratio suadebat.

Digitized by Google

a veritate dogmatum, et impium aliquid de Deo sentire persuadeamur. Talia namque quaedam scripta sunt de Iob, cum diabolus dari sibi facultatem bonorum eius poposcisset a Deo. Per quod etiam illud edocemur, quod non fortuitis aliquibus incursionibus impugnemur, si quando nos talia aliqua facultatum damna percusserint; neque quod fortuito nostrorum aliquis captivus abducitur, vel domorum ruinae in quibus chari quique opprimantur, eveniunt: in quibus omnibus unusquisque fidelium dicere debet, quia „non haberes adversum me potestatem, nisi esset data tibi desuper." Vide enim quia non cecidisset domus Iob supra filios eius, nisi prius adversus eos diabolus accepisset potestatem; neque equites ternis ordinibus irruissent, ut raperent camelos eius, vel boves, ceteraque animalia, nisi instincti ab eo spiritu cui se ministros ex propositi sui obedientia mancipaverant. Sed nec ille quidem qui videbatur ignis, vel quod putatum est fulmen, cecidisset super oves Iob, antequam diabolus diceret ad Deum: „Nonne tu communisti omnia quae foris sunt, et quae intus sunt, et eius reliqua? Sed nunc immitte manum tuam, et continge omnia quae habet, nisi in faciem benedixerit tibi."

VII. Ex quibus omnibus illud ostenditur, quod omnia haec quae fiunt in hoc mundo, quae media existimantur, sive illa tristia sint, sive quoquomodo sint, non quidem a Deo fiunt, nec tamen sine Deo; dum malignas et contrarias virtutes talia volentes operari non solum non prohibet Deus, sed et permittit facere haec, sed certis quibusque temporibus et personis: sicut et in ipso Iob dicitur quia ad certum tempus paratus est cadere sub aliis, et domus ipsius depraedari ab iniquis. Propterea docet nos Scriptura divina omnia quae accidunt nobis tanquam a Deo illata suscipere, scientes quod sine Deo nihil fit. Quod autem haec ita sint, id est, quod sine Deo nihil fiat, quomodo possumus dubitare, Domino et Salvatore pronunciante, et dicente: „Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex ipsis non cadet super terram sine patre vestro qui in coelis est?" Sed necesaitas

11) Ioh. XIX, 11.
20) Hiob. I, 10. 11.
26) Haec ad locum de providentia pertinent, cf. cap. I, p. 120 et fragm. l. III, p. 34 s.
39) Matth. X, 29.

nos traxit paulo amplius evagari de colluctatione adversarum virtutum, quam adversus homines gerunt, disputantes et de his quae humano generi accidunt tristioribus, id est tentationibus vitae huius, sicut ait Iob: „Nonne tentatio est omnis vita hominis super terram?“ ut manifestius quomodo haec accidant, et quam pie de his sentiri debeat, panderetur. Nunc videamus quomodo homines etiam in peccatum falsae scientiae dilabuntur, vel quo prospectu virtutes contrariae etiam de his pugnas adversum nos soleant commovere.

Cap. III. De triplici sapientia.

Docere nos volens sanctus apostolus magnum aliquid et reconditum de scientia et sapientia in prima ad Corinthios epistola ait: „Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non huius mundi, neque principum huius mundi qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius mundi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum maiestatis crucifixissent.“ In quo ostendere volens sapientiarum differentias, describit esse quandam huius mundi sapientiam, et esse quandam sapientiam principum huius mundi, aliam vero esse Dei sapientiam.
143 Sed et hoc cum dicit: „Sapientiam principum huius mundi,“ non arbitror eum communem aliquam omnium principum huius mundi sapientiam dicere, sed *singulorum* principum propriam quandam mihi videtur indicare sapientiam. Et rursum cum dicit: „Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram,“ requirendum est si eandem dicit Dei sapientiam hanc quae abscondita est a temporibus aliis et generationibus, et non innotuit filiis hominum, sicut nunc revelata est sanctis apostolis eius et prophetis, quae erat et illa ante adventum Salvatoris sapientia Dei, ex qua sapiens erat Salomon, quo Salomone

5) Hiob. VII, 8.

12) Docere nos seqq.] Continua serie haec in omnibus codd. Ru. post illa quae proxime praecedunt, nullo capitis incipientis indicio, leguntur. Merito tamen Ruaeum secutī priorum editionum divisionem et capitis inscriptionem retinuisse videbimur.

14) 1 Cor. II, 6. 7. 8.

29) Ibid. 7.

Digitized by Google

plus esse quod docet Salvator, ipsius Salvatoris sermo pronunciat, cum dicit: „Et ecce plus Salomone hic.“ In quo ostenditur quia hi qui docebantur a Salvatore, plus aliquid docebantur quam sciverat Salomon. Si enim quis dicat quia sciebat quidem Salvator amplius, non tamen etiam aliis plura tradebat quam Salomon, quomodo conveniet, et consequenter dictum putabitur etiam illud quod in subsequentibus ait: „Regina austri surget in iudicio, et condemnabit homines generationis huius, propterea quod venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis, et ecce plus Salomone hic“? Est igitur sapientia mundi huius, est et sapientia per singulos fortasse principes mundi huius. De ipsa vero unius Dei sapientia illud sentimus indicari, quod minus quidem in antiquioribus et veteribus operata sit, amplius vero et manifestius revelata per Christum est. Verum de sapientia Dei in locis propriis requiremus.

II.

Nunc vero quoniam quidem in manibus est tractatus de virtutibus contrariis, qualiter moveant etiam ea certamina quibus falsa scientia etiam humanis mentibus inseritur, et seducuntur animae dum se putant invenisse sapientiam; necessarium puto dicere, atque distinguere quae sit sapientia mundi huius, et quae principum mundi huius, ut per hoc qui sint etiam patres huius sapientiae, imo vero sapientiarum harum, possimus advertere. Arbitror igitur, sicut supra diximus, sapientiam esse huius mundi aliam quandam praeter illas sapientias quae sunt principum huius mundi, per quam sapientiam intelligi videntur

2) Matth. XII, 42.

4) plus aliquid] Cf. fragm. l. IV, p. 44 n. et quae ad l. II annotavimus. Prae ceteris huc pertinet Tom. XIII in Ioh. p. 259. Quamvis, inquit, sapientis sit intelligere quae ex ore suo prodeant et in labiis suis gestare scientiam (Prov. XVI, 23), ideoque mysteria omnia in lege et prophetis recondita, auctores ipsi probe iuxta spiritalem intelligentiam perspecta habuerint: tamen quoniam *si sermonem audiat sapiens laudabit eum et ad ipsum addet* (Eccl. XXI, 18) sequitur, apostolos rerum magis reconditarum profundarumque quam illos, usos cognitione visionibusque gavisos esse multo copiosioribus. Illi enim exspectabant τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου: Christo adveniente revelanda erant excellentiora, quam quae unquam vel dicta vel scripta fuissent.

8) Matth. XII, 42.

18) in locis propriis] Cf. anacephalaeosin l. IV.



Digitized by Google

ea et comprehendi quae huius mundi sunt. Quae tamen in se nihil habet ut possit aliquid vel de divinitate, vel de mundi ratione, vel de quibuscumque excelsioribus rebus, vel de bonae ac beatae vitae institutione sentire; sed est talis, verbi causa, ut est omnis ars poëtica, vel grammatica, vel rhetorica, vel geometria, vel musica, cum quibus adnumeranda est fortassis etiam medicina. In his omnibus sapientiam mundi huius inesse sentiendum est. Sapientiam vero principum huius mundi intelligimus, ut est Aegyptiorum secreta quam dicunt et occulta philosophia, et Chaldaeorum astrologia, et Indorum de scientia excelsi pollicentium, sed et Graecorum multiplex variaque de divinitate sententia. Igitur in Scripturis sanctis invenimus principes esse per singulas gentes, sicut in Daniele legimus principem esse quemdam regni Persarum, et alium principem regni Graecorum; quos non homines esse, sed virtutes quasdam, evidenter ex consequentia ipsius lectionis ostenditur. Sed et in Ezechiele propheta princeps Tyri virtus esse quaedam spiritalis manifestissime designatur. Hi ergo et alii eiusmodi, habentes singuli sapientias suas, et astruentes dogmata sua variasque sententias, ut viderunt Dominum et Salvatorem nostrum pollicentem et praedicantem se ob hoc venisse in hunc mundum, ut destrueret omnia illa quaecumque essent falsi nominis scientiae dogmata, continuo quis obtegeretur intrinsecus ignorantes, insidiati sunt ei; „astiterunt“ enim „reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius.“ Quibus eorum insidiis cognitis, et his quae adversus Filium Dei moliti sunt intellectis,

1) Quae tamen] sc. quum tota formalis sit.

5) sed est talis, ut est cet.] i. q. sed continetur, arte poetica rell.; sive, partes eius sunt poetica etc.

8) fortassis etiam medica] quippe quae divinior videatur; tamen media est, i. e. piis et impiis parabilis c. Cels. III, p. 461. Huic arti Raphael archangelus praepositus est et patronus, hom. XIV in Num. p. 323.

16) Dan. X.

18) quos non cet.] Cf. l. I, p. 67 seq.

20) Ezech. XXVI.

28) ignorantes] Sic locos Act. III, 17, coll. Eph. III, 10 interpretabatur Origenes. Operam dedisse Christum, ne diabolus eum agnosceret, docuerant Ignatius et alii antiquissimae ecclesiae patres.

29) Psal. II, 2.

Digitized by Google

cum gloriae Dominum crucifixerunt, ait apostolus quia „sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius saeculi, neque principum huius saeculi qui destruuntur, quam nemo principum huius mundi cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent.“

III. Quaerendum sane est utrum istae sapientiae principum huius mundi quibus homines imbuere nituntur, insidiandi et laedendi studio ingerantur hominibus ab adversariis virtutibus, aut tantummodo erroris causa adhibeantur; id est, non laedendi hominis prospectu, sed quia haec vera esse ipsi illi mundi huius principes arbitrantur, ideo etiam ceteros docere cupiant ea quae ipsi vera esse opinantur: quod et magis arbitror. Sicut enim, verbi causa, Graecorum auctores, vel uniuscuiusque haeresis principes cum prius ipsi errorem falsae doctrinae pro veritate susceperint, et hanc esse veritatem apud semetipsos iudicaverint, tunc demum etiam ceteris eadem persuadere conantur, quae apud semetipsos vera esse censuerint: ita putandum est facere et principes huius mundi, in quo mundo certae quaeque spiritales virtutes certarum gentium sortitae sunt principatum, et propter hoc principes huius mundi appellatae sunt. Sunt praeterea etiam aliae praeter hos principes spe-
ciales quaedam mundi huius energiae, id est, virtutes 144
spiritales aliquae, certa quaedam operantes quae ipsae sibi pro arbitrii sui libertate ut agerent elegerunt, ex quibus sunt isti principes qui operantur sapientiam huius mundi: verbi causa, ut sit propria quaedam energia ac virtus quae inspiret poëticam, alia quae

2) 1 Cor. II, 6. 7. 8.

14) Contraria haec paragrapho IV. Ambiguus igitur est hac de re, ut de aliis multis.

16) Quamvis errorum capitalium infestissimus esset insectator, tamen quum ipse sententiis plane novis in ecclesia haud parum indulgeret, mitissimum fere ubique haereticis minus pravis se praebuit. Itaque ut ab errore revocaret Titum Bostrensem, Arabicos, alios ipsi contigit.

27) certa quaedam] Raphael medicinae studio, Michael orationibus Deo offerendis vacat, Gabriel bellorum administrationi praeest, hom. XIV in Num. p. 323.

27) quae ipsae cet.] Nam qui bestiis praesunt, ferinis actibus id consecuti sunt, alii meliora munera pietate promeruerunt. Qui terrenis et corporeis rebus student, inter angelos iis ipsis deputatos aliquando reperientur, hom. in Num. l. c. Cf. Huet. II, 5, 29.

31) poeticam] Cf. Musas in the-

geometriam, et ita quaeque singulas quasque huiuscemodi artes disciplinasque commoneant. Denique quamplurimi Graecorum opinati sunt artem poëticam sine insania non posse constare: unde et in historiis eorum refertur aliquoties eos quos vates appellant, subito insaniae cuiusdam spiritu esse repletos. Quid autem dicendum est de his etiam quos divinos appellant, a quibus per inoperationem daemonum eorum qui eis praesunt, versibus arte modulatis responsa proferuntur? Sed et hi quos magos vel maleficos dicunt, aliquoties daemonibus invocatis supra pueros adhuc parvae aetatis, versu eos dicere poëmata admiranda omnibus et stupenda fecerunt. Quae hoc modo geri arbitranda sunt, quod sicut sanctae et immaculatae animae si cum omni affectu omnique puritate se voverint Deo, et alienas se ab omni daemonum contagione servaverint, et per multam abstinentiam purificaverint se, et piis ac religiosis imbutae fuerint disciplinis, participium per hoc divinitatis assumunt, et prophetiae ac ceterorum divinorum donorum gratiam merentur: ita putandum est etiam eos qui se opportunos contrariis virtutibus exhibent, id est, industria vita, vel studio amico illis et accepto, recipere eorum inspirationem, et sapientiae eorum ac doctrinae participes effici. Ex quo fit ut eorum inoperationibus repleantur, quorum se prius famulatui subiugarunt.

IV. De his sane qui de Christo aliter docent quam Scripturarum regula patitur, non otiosum est intueri, utrum insidioso proposito adversum Christi fidem nitentes contrariae virtutes fabulosa quaedam simul et

logia Graecorum et Deos μουσηγέτας. Non tamen, quod Moshemio placebat, religionem christianam cum ethnica sic conciliare, sed hanc ipsam erroris convincere, Origeni in animo erat.

4) insania] idem fere quod ἔκστασις. Veterum de afflatu divino et Christianorum severiorum de theopneustia sententiae invicem aliquid lucis sibi affundunt. Cf. quae seqq. paragr. IV.

8) divinos] De vatibus loquitur, cf. c. Cels. III, p. 462 et Moshemii de Pythia, Apollinis flatum per pudenda recipiente, dissertationem in versione librorum c. Cels. l. c.

18) Sic Neoplatonici et qui Epicuraeorum tunc temporis essent adversarii. Cf. Porphyrii libros περὶ ἀποχῆς, Clement. hom. VIII, p. 684; IX, p. 700; XV., p. 729. Tota fere ieiuniorum disciplina ex eiusmodi sentiendi ratione promanavit, Mosheim de turb. eccl. paragr. 49; Keil l. c. p. 759 ss.

impia dogmata commentae sint; an vero etiam ipsae audito verbo Christi, et neque evomere id valentes ex arcanis conscientiae suae, neque pure sancteque retinere, per vasa opportuna sibi, et, ut ita dicam, prophetas suos, diversos errores contra regulam christianae veritatis induxerint. Et magis putandum est quod apostatae et refugae virtutes quae a Deo recesserint, ex ipsa mentis suae propositique nequitia vel invidia eorum quibus veritate cognita ad illum gradum unde ipsae delapsae sunt praeparatur ascensus, ad impediendos huiuscemodi profectus, errores hos falsae doctrinae deceptionesque componunt. Manifeste ergo et ex multis indiciis demonstratur, quod humana anima dum in hoc est corpore, recipere potest diversas energias, id est inoperationes, spirituum diversorum malorum ac bonorum; et malorum quidem duplici specie, id est, vel tunc cum penitus ex integro eorum possederint mentem, ita ut nihil omnino eos quos obsederint intelligere vel sentire permittant, sicut exemplo sunt ii quos vulgo energumenos vocant, quos amentes et insanos videmus, quales illi erant qui in Evangelio a Salvatore curati esse referuntur; vel cum sentientem quidem et intelligentem animum cogitationibus variis et sinistris persuasionibus inimica suggestione depravant, ut exemplo est Iudas ad proditionis facinus diaboli immissione provocatus, sicut Scriptura declarat, dicens: „Cum autem iam diabolus misisset in cor Iudae Scariotis ut traderet eum." Boni vero spiritus recipit quis energiam, id est inoperationem, cum movetur et provocatur ad bona, et inspiratur ad coelestia vel divina; sicut sancti angeli et ipse Deus inoperatus est in prophetis, suggestionibus sanctis ad meliora provocans et cohortans: ita sane ut maneret in arbitrio hominis ac iudicio, si sequi velit aut nolit ad coelestia et divina provocantem. Unde et ex hac manifesta discretione dignoscitur quomodo anima melioris spiritus praesentia moveatur, id est, si nullam

28) Ioh. XIII, 2.

32) Ad sanctos angelos hoc loco inspirationem refert; alibi quantum memini nusquam. Cf. Praef. de Princ. p. 87 n.

38) Ethnicorum de vatibus et rudiorum inter Christianos de ecstasi sententiae ubique bellum indicit Origenes. Cf. hom. VI in Ezech. p. 376. „Neque enim, ut quidam suspicantur, mente excidebant prophetae, et ex necessitate spiritus loquebantur.

prorsus ex imminenti aspiratione obturbationem vel alienationem mentis incurrat, nec perdat arbitrii sui iudicium liberum: sicut exemplo sunt omnes vel prophetae, vel apostoli, qui divinis responsis sine ulla mentis obturbatione ministrabant. Boni ergo spiritus suggestionibus humanam memoriam ad recordationem meliorum provocari exemplis iam in superioribus edocuimus, cum Mardochaei et Artaxerxis fecimus mentionem.

V. Illud quoque consequenter requirendam puto, ex quibus causis humana anima nunc quidem a bonis, nunc autem moveatur a malis. Cuius rei causas suspicor esse quasdam antiquiores etiam hac nativitate corporea, sicut designat Ioannes in matris ventre tripudians et exsultans, cum vox salutationis Mariae ad aures Elizabeth matris eius allata est; et ut declarat Hieremias propheta, qui antequam plasmaretur in utero matris cognitus erat Deo, et antequam e vulva procederet sanctificatus ab eo est, et puer
145 adhuc prophetiae gratiam accepit. Et rursum e contrario manifeste ostenditur, ab adversariis spiritibus quosdam a prima statim aetate possessos, id est nonnullos cum ipso daemone esse natos; alios vero a puero divinasse historiarum fides declarat. Alii a prima aetate daemonem quem Pythonem nominant,

Ex 1 Cor. XIV, 30 ostenditur potestatem habere eum qui loquatur, cum velit dicere, et cum velit tacere." Cf. fragm. l. IV, p. 51 n.

10) Illud — malis] „Sed et hoc requirendum quare humana anima nunc ab his, nunc ab aliis virtutibus ad diversa moveatur." Ex epist. Hieronymi ad Avitum p. 765.

10) ex quibus causis] Addit Hieronymus l. c. „et putat (Origenes) quorundam antequam venirent in corpora merita praecessisse; ut est illud Ioannis exsultantis in utero matris suae, quando ad vocem salutationis Mariae indignam se confabulatione eius Elisabeth confitetur." In compendium redegisse videtur Rufinus textum Origenis.

14) Luc. I, 41.

17) Ier. I, 5.

19) Ibid. 6.

20) Et — natos] „Et e contrario parvuli licet, et pene lactentes malis replentur spiritibus, et in divinos atque hariolos inspirantur, in tantum ut etiam daemon Pythonicus quosdam e tenera aetate possideat, quos derelictos esse apud providentiam Dei, cum nihil tale fecerint, ut istiusmodi insaniam sustinerent, non est eius qui nihil vult absque Deo fieri, et omnia illius iustitia gubernari." Hieron. in epist. ad Avit. p. 765.

25) quem Pythonem] Cf. Act. XVI, 16.

Digitized by Google

id est ventriloquum, passi sunt. Pro quibus omnibus ab his qui Dei providentia regi omnia quae in mundo sunt asserunt, sicut nostra quoque continet fides, ut mihi videtur; non aliter poterit responderi ita ut absque omni iniustitiae culpa providentia demonstretur, nisi priores quaedam fuisse eis causae dicantur, quibus antequam in corpore nascerentur animae aliquid contraxerint culpae in sensibus vel motibus suis, pro quibus hoc merito pati a divina providentia iudicatae sunt. Liberi namque arbitrii semper est anima, etiam cum in corpore hoc, etiam cum extra corpus est: et libertas arbitrii vel ad bona semper, vel ad mala movetur; nec unquam rationabilis sensus, id est mens vel anima, sine motu aliquo vel bono vel malo esse potest. Quos motus causas praestare meritorum verisimile est etiam prius quam in hoc mundo aliquid agant: ut pro his meritis vel causis per divinam providentiam statim a prima nativitate, imo et ante nativitatem, ut ita dicam, vel boni aliquid vel mali perpeti dispensentur.

Et haec quidem dicta sint de his quae videntur hominibus, vel a prima nativitate statim, vel etiam antequam in hanc lucem prorumpant, evenire. De his vero quae a diversis spiritibus animae, id est humanae cogitationi, suggeruntur, quae vel ad bona vel ad contraria provocent, interdum etiam in hoc exsistere quaedam anteriores corporeae nativitatis causae putandae sunt. Interdum vero vigilans mens, et abiiciens a se quae mala sunt, bonorum ad se adiutorium provocat: vel e contrario negligens et ignava, dum minus cauta est, locum dat his spiritibus qui velut latrones ex occulto insidiantes, irruere humanas mentes, cum locum sibi datum per segnitiem viderint, moliuntur, sicut ait Petrus apostolus quia „adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret.“ Propter quod

3) nostra] i. e. ecclesiae, non Origenis solius.

3) quoque] nam philosophorum haud pauci providentiam agnoscebant, prae ceteris Platonici, Brucker hist. crit. phil. III, p. 377.

11) Itaque corporalis peccandi *necessitas* proprio sensu non datur.

14) sine motu cet.] Sequitur *media* s. adiaphora nostro sensu non esse. Facultatem utriusque, boni vel mali τὸ μέσον vocat, cf. fragm. l. III, p. 34.

35) 1 Pet. V, 2.

Digitized by Google

die noctuque cor nostrum omni custodia servandum est, et locus non est dandus diabolo; sed omnia agenda sunt quibus ministri Dei, hi videlicet spiritus qui ad ministerium missi sunt eorum qui ad haereditatem salutis vocati sunt, inveniant in nobis locum, et delectentur ingredi hospitium animae nostrae, et habitantes apud nos consiliis nos regant: si tamen habitaculum cordis nostri virtutis et sanctitatis cultu invenerint exornatum.

Verum sufficiant ista pro viribus nostris disserta a nobis de his virtutibus quae humano generi adversantur.

**Cap. IV. De humanis tentationibus. *)**

Nunc ne de humanis quidem tentationibus silendum puto, quae nascuntur interdum ex carne et *sanguine*, vel ex prudentia carnis et sanguinis quae *Deo* dicitur esse inimica. Et utrum verum sit quod quidam dicunt quasi binas animas esse per singulos,

4) Heb. I, 14.

9) In editionibus Ruaei prioribus vox *exornatum* ultima est capitis tertii, et inscribitur quarto *De humanis tentationibus.* Nulla huiusmodi tituli mentio, nullum capituli incipientis indicium in mss. Ruaei.

*) De humanis tentatt.] i. e. quae ex corpore vel ex naturalibus motibus veniunt. Rectius inscripsissent editores: De binis animabus s. de animae partibus.

16) quidam] Sua ipsius de anima et mente placita hic latent. Quanquam enim de quaestione, utrum duae sint an una in homine anima, in utramque partem egregie disputat: ipse tamen animam et spiritum per se exsistere, et velut duas animas esse sibi persuaserat. Sic in Comment. ad Matth. p. 880 spiritum impiorum ab anima eorum (ut a corpore animam, magno cum cruciatu) divisum iri, et spiritum quidem ad Deum reverti, animam cum corpore in gehenna cruciandam esse docet, cf. supra c. X. *Velut* duas autem, non *absolute* duas dicit, quum alterutra pars sit hominis, nec alterutra carere possit natura humana. De Clemente Alex. fere eadem sentiente, et aliis theologis vide Keil p. 618 ss. Haereticorum sententias idem recenset p. 633. Quae de manichaica haeresi ibi tractantur e Bauri libro (de Manichaismo Tubing. 1831) corrigenda sunt. Vix enim materiae animam tribui posse ex systematis consequentia apparet, quum materia prorsus contraria sit animae. Nec veterum Persarum de duabus in unoquoque homine animabus, bona et mala, sententia Xenoph. Cyrop. VII, 1, 21, apte conferri potest. Dualistarum enim est, parem dignitatem alterutri vindicare: theologis christianis altera melior, altera inferior est. Revixerunt fatalistici nedum dualistici errores in praedestinatione Augustini, aliqua saltim ex parte, qui

posteaquam de his tentationibus exposuimus quae plus quam humanae dicuntur, id est quas adversum principatus et potestates et adversum mundi huius rectores tenebrarum harum et adversus spiritalia nequitiae in coelestibus gerimus, vel quae nobis adversus spiritus malignos et immundos daemones peraguntur, dicemus. In qua re consequenter arbitror requirendum, si in nobis hominibus qui ex anima constamus et corpore ac spiritu vitali, est etiam aliud aliquid quod incitamentum habeat proprium, et commotionem ad malum provocantem: sicut haberi a quibusdam quaestiō solet huiusmodi, utrumnam velut duae animae in nobis dicendae sint, una quaedam divinior et coelestis, et alia inferior; an vero ex hoc ipso quod corporibus inhaeremus, (quae corpora se-

tamen scripsit contra has duas animas, Opp. Tom. VIII, p. 75.

9) Idem est re ipsa *spiritus vitalis* quod alibi anima s. ψυχή, *anima* hoc loco i. q. spiritus s. πνεῦμα: sed quia proposuit sibi disceptare, utrum proprio incitamento utatur i. e. per se exsistat hic spiritus vitalis, ita ut merito anima s. ψυχὴ vocari possit, iam nonnisi quatenus corpus vivificat s. spiritus vitalis est, eam designat. Cf. Sap. Salomonis c. XV, 11, ubi duplex homini anima inesse statuitur: ψυχὴ et πνεῦμα ζωτικὸν, et Cabbalistarum נֶפֶשׁ et נְשָׁמָה, quibus adiungitur רוּחַ, interdum etiam חַיָּה et יְחִידָה, v. Keil p. 646. — Inde a Iustino usque ad Apollinarem, in quo primo trichotomia psychologica damnari coepta est, regnavit in ecclesia triplex humanae naturae divisio. Apollinaris partitionem, qua inter τὴν σάρκα, τὴν ψυχὴν ζωτικὴν et τὴν ψυχὴν νοητικὴν internoscit, v. in Theodoreti Dial. II, p. 73 ed. Schulz. Spiritus igitur vitalis in textu, i. q. in Sap. Sal. τὸ πνεῦμα ζωτικὸν, et apud Apollinarem ἡ ψυχὴ ζωτική. Clementi Alex. haec est ἡ σωματικὴ ψυχὴ vel τὸ πνεῦμα ἄλογον s. σαρκικόν. Cf. 1 Thess. V, 23.

9) aliud aliquid] sc. anima per se exsistens.

14) an vero] quod Tertulliano placuit, de anima c. 10 s., qui inter animum et animam non distinguendum esse docet. Semper fuisse in ecclesia qui eiusmodi distinctiones damnarent praeter locum in textu Lactantius de Opif. Dei c. 18 testis est. Sed displicebat Origeni haec sententia, *unum esse*, quod mox sequitur, *in nobis motum, et unam vitam unius eiusdemque animae.* — Quae sequuntur attente legenda sunt, quum parum distincte singula quae in textu erant Rufinus exhibeat. Nescio an romanis auribus tolerabiliorem voluerit hoc etiam in capite efficere Origenem, ideoque nonnisi disceptantem eum inducat.

15) quae corpora etc.] materialia enim sunt, materia autem antequam vitali spiritu digeratur et conformetur, plane mortua est. Cf. Iustin. M. fragm. de resurr. carnis p. 191 ed. Grabii: οὐ ζῇ δὲ ἄψυχον σῶ-

Digitized by Google

cundum propriam quidem naturam mortua sunt et penitus exanima, quia ex nobis, id est, ex animabus corpus materiale vivificatur, quod utique contrarium est et inimicum spiritui) trahimur et provocamur ad haec mala quae corpori grata sunt; an vero tertium, quod quidam Graecorum arbitrati sunt, quia anima nostra cum una sit per substantiam, ex pluribus tamen constet, et una pars eius rationabilis, pars vero alia irrationabilis dicatur, et ea quidem pars quam irrationabilem dicunt in duos rursum dividatur affe-
146 ctus, cupiditatis et iracundiae. Has ergo tres quas supra diximus de anima opiniones a nonnullis haberi invenimus.

Ex quibus illud interim quod quibusdam Graecorum philosophis visum diximus, quia tripartita sit anima, non valde confirmari ex divinae Scripturae auctoritate pervideo: ad alia vero duo quae reliqua sunt, inveniri possunt aliquanta quae ex divinis lite-

μα, ψυχῆς ἀπολειπούσης οὐκ ἔστιν; et Clem. Alex. Strom. VI, p. 808. Anima (latiori sensu) e contrario est αὐτὸ ἑαυτὸ κινοῦν, Plato de legg. X, p. 88.

3) quod utique] vario modo affectibus s. πάθεσι coercens et constringens vim animis insitam, Clem. Alex. Strom. VI, p. 649, v. Dähne de Clem. p. 103.

6) quidam Graecorum] sc. Platonici. V. Platonem de Rep. p. 439 sq. qui sic distinguit: τὸ λογιστικὸν ἢ ὁ νοῦς, τὸ ἐπιθυμητικὸν ἢ χρηματιστικὸν, τὸ θυμικὸν ἢ θυμοειδὲς (Rixner Gesch. d. Phil. I, p. 215). Posterius utrumque oritur quum in corpus incarceratur anima, v. Phaedonem.

7) Recte vidit Origenes non duas tresve diversas animae substantias, sed unius eiusdemque substantiae partes s. facultates agnosci a Platone, v. Moshemium ad Cudworthi Syst. intell. I, p. 242, Tennemann Syst. d. Plat. Phil. II, p. 48.

14) Ex quibus seqq.] Sequitur, minime Platonis auctoritatem maioris fecisse quam sacri codicis Origenem, quum Platonem huius auctoritate destitutum derelinquere non vereatur. Neque e Platone sententiam de tribus hominis partibus suam fecit, quod post Moshemium placuit Bruckero (Keil l. c. p. 643). Itaque Buddeus Dissert. de haeresi Valent. p. 701 a Iudaeis ad Christianos eam venisse suspicatur. Res sic se habere videtur. A Platone ad LXX interpretes, Iosephum, Philonem, denique Cabbalistas transiit humanae naturae partitio: theologia vero orientalis i. e. alexandrina non iam partes animae sed diversas animas agnoscebat. Nam a vehementioribus affectibus qui voce quodammodo ac propria vi praediti videantur, laborandum est in oriente; cf. Rom. VII. Itaque non sine Platone nec tamen ex ipsis Platonis definitionibus exorta est haec de duabus animabus sententia.

Digitized by Google

ris aptari posse videantur. Ex quibus primo illud II.
discutiamus quod astruere solent quidam, quia una sit bona in nobis anima et coelestis, alia vero inferior et terrestris; et quod ea quidem quae melior est, coelitus inseratur, qualis est illa quae et Iacob adversus Esau adhuc in utero posito palmam victoriae supplantati praestitit fratris, et quae in Hieremia sanctificatur ex vulva, et Spiritu sancto repletur ex utero in Ioanne. Illam vero inferiorem quam dicunt, ex corporali eam semine simul asserunt cum corpore seminari, unde et praeter corpus vivere eam vel subsistere negant posse, propter quod et carnem eam frequenter appellari dicunt. Quod enim scriptum est: „Caro concupiscit adversus spiritum," non hoc de carne dictum accipiunt, sed de hac anima quae propriè carnis est anima. Sed et ex his student nihilominus confirmare haec, quae in Levitico ita scripta sunt: „Anima omnis carnis, sanguis ipsius." Ex eo enim quod per totam carnem sanguis diffusus vitam praestat carni, in sanguine inesse aiunt hanc animam quae dicitur totius carnis esse anima. Hoc autem ipsum quod dictum est, carnem repugnare adversus spiritum, spiritum autem adversus carnem; et quod dictum est: „Anima omnis carnis, sanguis ipsius," alio nomine iidem vocari dicunt sapientiam carnis, quod est spiritus quidam materialis qui legi

4) quae melior est] i. e. spiritus, νοῦς, v. fragm. l. II, 5.

5) Gen. XXV. Ad mentem igitur Iacobi et ad merita, in priori vita conquisita, victoria quam in utero reportavit, pertinet; cf. l. II, p. 99 p. med. Priora merita, sanctificationis Ieremiae ex utero causa.

7) Ier. I.

9) Luc. I, 41, 80.

9) Illam vero] cf. l. III, p. 139 init. not. Occidentalium theologorum de traduce animae sententiam dimidia ex parte hic agnosci reperies. Etiam in Salvatore caro de semine Davidis est, Comment. ad Rom. I, p. 466.

11) unde etc.] Cf. Iustini M. Dial. c. Tryph. paragr. 6: nec corpus anima destitutum, nec animam a corpore solutam vivere posse. Nam animae quoque deesse propriam vitam, nec absque spiritu ullo modo vivere ac perdurare posse: ἀλλὰ αὐτὴ ὅθεν ἐλήφθη, ἐκεῖσε χωρεῖ πάλιν.

14) Gal. V, 17.

18) Lev. XVII, 14. De anima cf. l. II, p. 93 v. f.

26) materialis] i. e. quod nos dicimus *corporeus*, quippe qui in sanguine insit. Idem est Clementis σωματικὴ ψυχὴ s. σαρκικὴ Strom. VII, p. 880

26) legi Dei] Idem valet apud Origenem *lex Dei*, quam nos voca-

Digitized by Google

Dei subiectus non est, sed nec potest esse subiectus, quia voluntates habet terrenas et desideria corporalia. De hoc putant etiam apostolum dixisse illud quod ait: „Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati quae est in membris meis." Si vero quis obiiciat eis hoc dici de natura corporis, quod vere secundum proprietatem quidem naturae suae mortuum est, habere autem dicitur sensum vel sapientiam quae inimica est Deo, vel quae repugnat adversus spiritum, pro eo veluti si quis dicat quodammodo carnis ipsius esse vocem quae clamet non esuriendum, non sitiendum, non algendum, neque velle prorsus in aliquo molestiam pati sive ex abundantia, sive ex penuria: haec illi resolvere atque impugnare conabuntur, ostendentes quamplurimas alias esse passiones animae quae in nullo prorsus a carne originem trahant, et tamen his spiritus adversetur, sicut est ambitio, avaritia, aemulatio, invidia, superbia, et his similia; cum quibus pugnam quandam esse humanae menti vel spiritui videntes, ideo causam omnium horum malorum non ponunt aliud quid nisi hanc de qua superius diximus velut corporalem animam et ex seminis traduce generatam. Adhibere quoque ad assertionem horum etiam illud testimonium apostoli solent, quod ait: „Manifesta

mus naturalem, *quae in cordibus Spiritu Dei scripta est*, i. e. conscientia, et τὸ πνεῦμα (τοῦ ἀνθρώπου), Comment. ad Rom. II, p. 486. Eadem fere Augustini sententia est, de Genes. c. 11. Plerique tamen patres ad Spiritum sanctum eos qui in textu sequuntur locos referunt, praecipue Gal. V, 17. Alibi ipse Origenes, ut iam monuimus, docet ad sanctum Spiritum pertinere eos locos, in quibus nullo adiecto epitheto vox „τὸ πνεῦμα" obvia sit.

4) Rom. VII, 23.

7) Si vero] Quae abhinc sequuntur denuo docent, quae Paulus carni tribuat, sive ad corpus sive ad animam, i. e. ψυχὴν, retulisse Origenem. In eodem errore versatur Clem. Alex. Strom. VI, p. 681. De vera vocis σάρξ in libris sacris vi ac potestate v. Tholuck in ep. ad Rom. c. VII, 14. Origeni media est inter corpus et spiritum anima, utriusque, boni et mali capax: Pauli σάρξ per se mala et prorsus fugienda est. E contrario Origenis πνεῦμα est ἀνεπίδεκτον τῶν χειρόνων; Tom. XXXII in Ioh. p. 432.

17) carne] i. e. corpore. Quam parum Hieronymus adeo, Origenis adversarius, quid sit caro perspectum habuerit, v. in ep. ad Pamm. p. 322.

26) Gal. V, 19. 20. 21.

autem sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitiae, idololatria, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, haereses, sectae, invidiae, ebrietates, comessationes, et his similia": dicentes non haec omnia de usu vel delectatione carnis originem trahere, ita ut putentur eius substantiae quae animam non habet, id est carnis, hi omnes motus exsistere. Sed et illud quod ait: „Videte, fratres, vocationem vestram, quoniam non multi inter vos sapientes secundum carnem," ad hoc videbitur inclinandum, ut propria quaedam videatur esse carnalis ac materialis sapientia, alia vero sit sapientia secundum spiritum, quae utique non potest dici sapientia, nisi sit anima carnis, quae sapiat hoc quod carnis sapientia nominatur. Ad haec aiunt etiam illud: „Si caro repugnat adversus spiritum et spiritus adversus carnem, uti non quae volumus illa faciamus": quae sunt de quibus dicit: Ut non quae volumus faciamus? Certum est, aiunt, de spiritu non dici: non enim voluntas spiritus prohibetur; sed neque de carne: quia si non habet animam propriam, sine dubio nec voluntatem habebit; superest ergo ut de huius animae voluntate dicatur quae habere potest propriam voluntatem, quae utique adversatur voluntati spiritus. Et si ita est, constat quod huius animae voluntas quaedam media est inter carnem et spiritum, uni sine dubio e duobus serviens et obtemperans: cuicumque obtemperare delegerit. Quae cum se delectationibus carnis subdiderit, carnales homines facit: cum vero se spiritui iunxerit, in spiritu esse homines facit, et propter hoc spiritales nominari. Quod designare apostolus videtur, cum dicit: „Vos autem in carne non estis, sed in spiritu."

9) 1 Cor. I, 26.

16) aiunt] sc. qui duas esse animas sibi persuaserunt.

16) Rom. VIII, 9.

27) media] gr. μέσον μέν τι i. e. ἐπιδεχόμενον ἀρετὴν καὶ κακίαν, Tom. XXXII in Ioh. p. 432. Cf. Comm. in Rom. I, p. 466: „mediam semper esse animam inter spiritum et carnem, et aut iungere se carni et effici unum cum carne, aut sociare se spiritui et esse unum cum spiritu; ex quo siquidem cum carne sit, carnales homines fiant, si vero cum spiritu, spiritales."

29) Quae cum] Totidem fere verbis eadem haec sententia reperitur in Comm. in Rom. l. c. Utriusque scriptionis Rufinus interpres est.

33) Rom. VIII, 9.

Digitized by Google

Requirendum ergo est quae sit omnino haec ipsa voluntas inter carnem et spiritum, praeter eam voluntatem quae carnis esse vel spiritus dicitur. Pro certo namque habetur quod omnia quaecumque spiritus esse dicuntur, voluntas sit spiritus; et quaecumque opera carnis esse dicuntur, voluntas sit carnis. Quae ergo ista est praeter haec voluntas animae quae extrinsecus nominatur, quam voluntatem nolens nos
147 facere apostolus dicit: „Ut non quaecumque vultis illa faciatis"? In quo hoc videtur designari, quod neutro ex his duobus, id est neque carni neque spiritui, debeat adhaerere; sed dicet quis quia sicut melius quidem est animae si propriam faciat voluntatem, quam ut voluntatem faciat carnis: sic iterum melius est facere voluntatem spiritus magis quam propriam voluntatem. Quomodo ergo apostolus ait: „Ut non quae vultis illa faciatis"? Quoniam in ea pugna quae inter carnem et spiritum geritur, non omnino spiritus certa victoria est; manifestum est enim obtinere in quamplurimis carnem.
III. Verum quoniam in disputationem incidimus profundam in qua necesse est ex singulis quibusque partibus quae possunt moveri discutere, videamus ne forte in hoc loco

1) Requirendum] gr. *ἀναζητητέον.*

1) haec ipsa voluntas] i. e. anima.

2) carnem] i. q. corpus.

4) spiritus] sc. opera. Cf. Tom. XXXII in Ioh. p. 432: *τὰ γὰρ κάλλιστα καρποὶ λέγονται εἶναι τοῦ πνεύματος, οὐχ ὡς ἂν οἰηθείη τις τοῦ ἁγίου, ἀλλὰ τοῦ ἀνθρώπου.*

5) voluntas sit] i. e. ea velit et gestiat. Cf. Rom. VII, 19.

8) extrinsecus] i. e. *seorsim, insuper,* cf. Tom. I in Rom. p. 466: „Et idcirco *extrinsecus* eam (animam, corporis et spiritus mentione facta Rom. I, 3. 4, apostolus) non nominat, sed carnem tantum vel spiritum etc."

9) Gal. V, 17.

10) videtur] supple *quidem, sed falso.*

12) sed] subaudi *recte,* ita ut illud *quaecunque* minime spiritus voluntatem excludat, sed carnis et *τῆς ψυχῆς.* Itaque non *Psychici* sed *Spiritales* simus.

16) Propriam esse animae voluntatem nonnisi quomagis apostoli locum in suam sententiam trahere possit, agnoscere videtur. Mox paragr. III post med. prorsus eam negat, atque nec malam nec bonam, sed *animalem,* i. e. merum instinctum eam esse definit. Media enim semper est anima inter carnem, i. e. corpus et spiritum, ut horum alterutrum sequatur.

17) Quoniam] Sequitur iam responsio quaestionis motae.

20) quamplurimis] sc. hominibus.

20) Iam excursu, ut mox ipse fatetur *ampliori quam voluimus* utitur

tale aliquid tractari potest: quia sicut melius est animae sequi spiritum, tunc cum spiritus carnem vicerit, ita etiam si videtur ei esse deterius sequi carnem repugnantem adversus spiritum, et ad se revocare animam volentem, tamen forte utilius videatur obtineri animam a carne, quam residere in suis propriis voluntatibus. Namque quoniam nec calida dicitur esse, nec frigida, sed in medio quodam tepore perdurans, tardam et satis difficilem conversionem poterit invenire. Si vero carni adhaereat, ex his ipsis interdum malis quae ex carnis vitiis patitur, satiata aliquando et repleta, velut gravissimis oneribus luxuriae ac libidinis fatigata, facilius et velocius converti a materialibus sordibus ad coelestium desiderium et spiritualem gratiam potest. Et hoc arbitrandum est dixisse apostolum, idcirco pugnare spiritum adversus carnem et carnem adversus spiritum, ut non quaecumque volumus illa faciamus, sine dubio ea quae extra voluntatem spiritus et extra voluntatem carnis designata sunt, ut si aliis nominibus diceremus, quia melius est hominem aut in virtute esse aut in malitia, quam in nullo horum; anima vero priusquam se convertat ad spiritum et unum efficiatur cum eo, dum adhaeret corpori et de carnalibus cogitat, neque in bono statu videtur esse neque manifeste in malo, sed esse animali, ut ita dixerim, similis: melius autem est ut si fieri potest adhaerens spiritui efficiatur spiritalis, si vero fieri non potest, magis expedit eam vel carnis malitiam sequi, quam in suis positam voluntatibus animalis irrationabilis statum tenere. Haec autem tractavimus volentes singularum assertionum disserere opiniones, ampliori quam voluimus usi excursu, uti ne latere nos

7) nec calida] Apoc. III, 15. Cf. fragm. l. III, p. 111.

18) volumus] i. e. anima vult.

20) ut si aliis cet.] coniunge cum his: hoc dixisse apostolum i. e. hoc sibi velle, sive aliis verbis sic dici posse, *quia melius est* etc.

26) animali] In animalia enim nec boni nec mali notio cadere potest. *Similis* animali: non enim, quod Iustino M. dial. c. Tr. p. 106 placuit, prorsus eandem cum bestiis hominibus communem esse animam statuit. Itaque Iustinus M. consequenter animos impiorum *εἰς τινα θηρίων σώματα ἐνδεσμεύεσθαι* docet l. c., Origenes hoc etiam loco a metempsychosi procul abest, cf. fragm. l. I, 13. Egregie contra eam disputat Iustinianus in ep. ad Mennam Tom. IX Mansi, p. 507.

Digitized by Google

putarentur ea quae moveri solent ab his qui quaerunt, utrum sit alia anima in nobis praeter hanc coelestem et rationabilem, quae huic naturaliter adversetur, et vocetur vel caro, vel sapientia carnis, vel anima carnis.

IV. Nunc videamus quid etiam adversum haec responderi soleat ab his qui defendunt unum esse in nobis motum, et unam vitam unius eiusdemque animae, cuius sive salus sive perditio secundum actus suos ipsi proprie adscribatur. Et primo videamus cuiusmodi sint passiones animi quas patimur cum sentimus intra nosmetipsos velut in partes nos rapi per singula; cum pugna quaedam fit cogitationum in cordibus nostris, et quaedam nobis verisimilitudines suggeruntur, quibus nunc in hoc, nunc in aliud inclinamur, quibusque nunc quidem arguimur, nunc vero nosmetipsos amplectimur. Nihil autem magnum est si mala ingenia dicamus quia varium ac sibi ipsi repugnans iudicium habeant et a semetipso discordans, cum etiam in omnibus ita inveniatur si quando deliberatio incertae rei ad consilium venerit et prospicitur vel consulitur quid rectius vel utilius eligatur. Nihil ergo mirum si duae verisimilitudines sibi invicem occurrentes et contraria suggerentes in diversas partes animum rapiunt. Verbi causa, si cogitatio invitet aliquem ad fidem et timorem Dei, tunc non potest dici quia caro adversum spiritum pugnet: sed dum incertum est quod verum et utile est, animus in diversa rapitur. Ita et cum putatur caro ad libidinem provocare, consilium vero melius huiuscemodi incitamentis resistit, non putandum est vitam esse aliquam aliam quae adversus aliam resistat, sed naturam corporis quae repleta sativi humoris loca evacuare gestit atque defluere: sicut nec contraria

1) moveri] gr. ζητεῖσθαι, tractari. Non immutasse textum videtur Rufinus hoc loco: sed confer lib. II, p. 81 et mox p. 152.

6) Nunc seqq.] Egregium dialecticae artis quae in Origene erat, et aequitatis erga alienas sententias exemplum.

13) Rom. II, 15.

14) verisimilitudines] gr. λογισμοί.

18) mala ingenia] i. e. homines impios.

28) incertum est seqq.] Quid sit pugna inter carnem et spiritum ignorat, qui totam fere hominis praestantiam vi intellectuali contineri censeret, nec de *carne* satis recte iudicaret.

31) vitam] i. e. Substantiam per se exsistentem.

Digitized by Google

aliqua virtus, nec vita alterius animae putanda est quae nobis excitat sitim et provocat ad bibendum, vel quae esurire facit et irritat ad cibum; sed sicut haec naturalibus motibus corporis vel appetuntur vel evacuantur: ita et naturalis seminis congregatus per tempus in suis locis humor expelli gestit et abiici; quod in tantum nequaquam impulsu alterius cuiusquam provocationis efficitur, ut etiam sponte interdum soleat egeri. Cum ergo dicitur, quia „caro pugnat adversus spiritum,“ ita intelligunt isti, quia usus vel necessitas vel delectamentum carnis provocans hominem abstrahit et abducit a divinis et spiritalibus rebus. Pro necessitate etenim corporis abstracti, divinis et in aeternum profuturis rebus vacare non sinimur. 148 Sic rursus divinis et spiritalibus anima vacans et spiritui coniuncta, impugnare dicitur carnem, dum resolvi eam deliciis non sinit, et voluptatibus fluitare, quibus naturaliter delectatur. Hoc modo etiam illud asserunt quod dictum est: „Sapientia carnis inimica est Deo,“ non quod vere animam habeat caro, vel sapientiam propriam; sed sicut abusive dicere solemus et sitire terram et velle eam bibere aquam, hoc utique, quod dicimus, *velle*, non proprie, sed abusive proferimus, velut si dicamus iterum, quia domus recomponi vult, et alia multa his similia: ita et sapientia carnis accipienda est, vel quod dictum est quia „caro concupiscit adversus spiritum.“ Adiicere solent etiam illud quod dictum est: „Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.“ Quod enim clamat ad Dominum, non est proprie sanguis ille qui effusus est, sed abusive sanguis clamare dicitur dum eius qui sanguinem effudit vindicta deposcitur. Sed et illud quod apostolus ait: „Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae,“ ita intelligunt tanquam si dixisset, quod is qui verbo Dei vacare vult pro necessitatibus et usibus corporalibus, quae velut lex quaedam corpori inest, distrahitur atque divellitur atque impedi-

9) Gal. V, 17.

10) isti] Iam alienam rem se agere incaute prodit.

19) Rom. VIII, 7.

29) Gen. IV, 10.

33) Rom. VII, 23.

35) intelligunt] sc. isti; sensu quem exposuimus.

37) Sicut idem valent *lex divina*, *conscientia*, *spiritus*: ita lex corporis et *corporalis necessitas*.

tur ne sapientiae vacans intentius possit divina contueri mysteria.

V. Quod vero inter carnis opera descriptae sunt esse etiam haereses et invidiae et contentiones vel cetera, ita accipiunt, quod anima cum crassioris sensus fuerit effecta, ex eo quod corporis sese passionibus subdit, oppressa vitiorum molibus, et nihil subtile ac spiritale sentiens, caro dicitur effecta, et inde nomen trahit, in quo plus studii vel propositi gerit. Addunt etiam haec requirentes: Quis invenietur, vel quis dicetur conditor mali huius sensus qui dicitur sensus carnis? quia alium nullum creatorem animae et carnis quam Deum credendum esse defendunt. Et si dicamus quia bonus Deus in ipsa conditione sua aliquid sibi creavit inimicum, utique absurdum videbitur. Si ergo scriptum est quia „sapientia carnis inimica est Deo," et hoc factum ex conditione dicetur, videbitur ipse Deus naturam sibi aliquam fecisse inimicam, quae ei non potest esse subiecta nec legi eius: quippe si animale esse putabitur de quo haec dicuntur. Quod si ita recipiatur, quid iam differre videbitur ab his qui diversas naturas animarum dicunt esse creatas, quae naturaliter vel periturae sint vel salvandae? Quod utique solis haereticis placet, qui dum iustitiam Dei pia ratione asseverare non possunt huiuscemodi impietatis figmenta componunt.

Et nos quidem prout potuimus ex singulorum personis quae dici possunt disputationis modo de singulis dogmatibus in medium protulimus: qui autem legit, eligat ex his quae magis amplectenda sit ratio.

Cap. V. Quod mundus ex tempore coeperit.

Post haec iam quoniam quidem de ecclesiasticis definitionibus unum habetur praecipue secundum historiae nostrae fidem, quod mundus hic factus sit,

8) caro dicitur] sc. tropice; idem enim Origeni est caro quod corpus.

14) conditione] i. e. creatione, cf. c. V, p. 149 p. med.

16) Rom. VIII, 7.

20) animale] i. e. vita praeditum.

22) ab his] i. e. Gnosticis, v. fragm. l. III, p. 20.

29) qui autem] Summa sentiendi libertas decebat Christianos primaevos, nec iam certa dogmatum forma sancita esse potuit. Cf. lib. IV, c. XXVII.

31) eccl. definitionibus] i. e. regula fidei.

32) sec. historiae n. fidem] sive: ex quo tempore Christiani sunt.

Digitized by Google

et ex certo tempore coeperit, et secundum promulgatam omnibus consummationem saeculi pro sui corruptione solvendus sit, etiam de hoc pauca repetere non videtur absurdum. Et quantum quidem ad Scripturarum fidem pertinet, perfacilis videtur de hoc assertio. Denique haeretici cum in alia multa distracti sint, in hoc tamen Scripturae auctoritati cedentes visi sunt consonare.

De conditione ergo mundi quae alia nos Scriptura magis poterit edocere quam ea, quae a Moyse de origine eiusdem scripta est? Quae, licet maiora intra se contineat quam historiae narratio videtur ostendere, et spiritalem in quam maximis contineat intellectum, atque in rebus mysticis et profundis velamine quodam literae utatur: tamen nihilominus indicat hoc sermo narrantis, quod ex certo tempore creata sunt omnia quae videntur. De consummatione vero mundi primo Iacob indicat, cum ad filios suos testatur dicens: „Convenite ad me, filii Iacob, ut annuntiem vobis quid erit in novissimis diebus,“ vel „post novissimos dies.“ Si ergo sunt novissimi dies, vel post novissimos dies, cessare dies necesse est qui coeperunt. David quoque ita ait: „Coeli peribunt, tu autem permanebis, et omnes sicut vestimentum veterascent; et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.“ Dominus vero et Salvator noster, cum dicit: „Qui creavit ab initio, masculum et foeminam fecit eos,“ factum etiam esse mundum ipse testatur; et rursum dicens quia „coelum et terra transient, verba autem mea non transient,“ corruptibilem eum finiendumque designat. Sed et apostolus dicens: „Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit in spe, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei,“ manifeste finem mundi declarat; et cum rursum dicit: „Transiet habitus huius mundi.“ Ve- 149

10) Nihil igitur praeter initium creationis ex tempore, in Gen. c. I literali sensu accipit; nil praeter illud *In initio*.

13) maximis] i. e. plurimis. Cf. fragm. l. IV, p. 174 v. f.

19) Gen. XLIX, 1.

21) post novissimos] *ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν*, LXX, ed. comm.

23) Ps. CII, 27 s.

28) Matth. XIX, 4.

30) Ibid. XXIV, 35.

32) Rom. VIII, 20.

37) 1 Cor. VII, 32.

rum in eo ipso quod dixit quia vanitati creatura subiecta est, etiam initium eius ostendit; si enim vanitati creatura subiecta est propter spem aliquam, ex causa utique subiecta est: et quod ex causa est, necesse est ut coeperit; non enim poterat sine ullo initio vanitati creatura esse subiecta, et sperare liberari a servitute corruptionis quae servire non coeperat. Sed et quamplurima alia in Scripturis divinis huiuscemodi dicta reperiet si quis requirat ex otio, quibus et initium habere mundus et finem sperare dicitur.

II. Si quis ergo est qui adversetur in hac parte vel auctoritati Scripturae nostrae, vel fidei, inquiremus ab eo utrum dicat Deum comprehendere posse omnia, an non posse? Et dicere quidem *non posse*, manifeste impium est. Si vero, quod necesse est, dixerit quia omnia comprehendit, superest ut eo ipso quo comprehendi possunt, et initium habere intelligantur et finem. Nam quod penitus sine initio ullo est, comprehendi omnino non potest. In quantumcumque enim se intellectus extenderit, in tantum comprehendendi facultas sine fine subducitur et differtur, ubi initium non habetur.

III. Sed solent nobis obiicere dicentes: Si coepit mundus ex tempore, quid ante faciebat Deus quam mundus inciperet? Otiosam enim et immobilem dicere naturam Dei impium est simul et absurdum, vel putare quod bonitas aliquando bene non fecerit, et omnipotentia aliquando non egerit potentatum. Hoc nobis obiicere solent dicentibus mundum hunc ex certo tempore coepisse, et secundum Scripturae fidem annos quoque aetatis ipsius numerantibus. Ad quas propositiones non arbitror aliquem haereticorum secundum rationem dogmatis sui posse facile respondere. Nos vero consequenter respondebimus obser-

11) Si quis seqq.] Cf. fragm. l. IV, 4.

14) Et dicere] Cf. fragm. l. II, 6.

25) otiosam] Cf. fragm. l. I, 1 et 2.

32) aliquem haereticorum] sc. Gnosticorum, non enim eos qui literali sensui inhaerebant sempiternae creationis nescii, nunc taxat. Prorsus nova autem et ne apud Gnosticos quidem audita erat Origenis sententia, quum et demiurgum et emanationem tolleret; cf. fragm. l. II, 1, ...

34) Nos vero — postmodum] „Nobis autem placet et ante hunc mundum alium fuisse mundum, et post istum, alium futurum. Vis discere quod post corruptionem huius mundi alius sit futurus? Audi Isaiam loquentem: *Erit coelum novum et terra nova, quae ego permanere fa-*

vantes regulam pietatis, et dicentes, quoniam non tunc primum cum visibilem istum mundum fecit Deus, coepit operari, sed sicut post corruptionem huius erit alius mundus, ita et antequam hic esset, fuisse alios credimus. Quod utrumque divinae Scripturae auctoritate firmabitur. Nam quod erit post hunc alius mundus, Esaias docet, dicens: „Erit coelum novum et terra nova, quae ego faciam permanere in conspectu meo, dicit Dominus.“ Quod autem ante hunc mundum fuerint etiam alii, Ecclesiastes ostendit dicens: „Quid est quod factum est? Id ipsum, quod futurum est. Et quid est quod creatum est? Hoc ipsum quod creandum: et nihil est omnino recens sub sole. Sed quis loquetur, et dicet: Ecce hoc novum est? Iam fuit id in saeculis quae fuerunt ante nos.“ Quibus testimoniis utrumque simul probatur, quod et ante fuerint saecula, et futura sint postmodum. Non tamen putandum est plures mundos simul esse, sed post hunc initium aliorum futurum: de quibus nunc non est necessarium per singula repetere, cum iam id in superioribus fecerimus.

IV. Illud sane otiose praetereundum non arbitror, quod Scripturae sanctae conditionem mundi novo quodam et proprio nomine nuncupaverunt, dicentes καταβολὴν mundi, quod latine satis improprie translatum constitutionem mundi dixerunt: καταβολὴ vero in graeco magis *deiicere* significat, id est deorsum iacere, quod latine improprie, ut diximus, constitu-

*cio in conspectu meo.* Vis nosse quod ante fabricam istius mundi alii mundi in praeterito fuerint? Ausculta Ecclesiasten: *Quid est quod fuit? Ipsum quod erit. Et quid est quod factum est? Ipsum quod futurum est. Et non est omne novum sub sole quod loquatur et dicat: Ecce hoc novum est. Iam enim fuit in saeculis pristinis quae fuerunt ante nos.* Quod testimonium non solum fuisse, sed futuros mundos esse testatur: non quod simul et pariter omnes fiant, sed alius post alium.“ Hieronymo interprete l. c. p. 765.

7) Jes. LXVI, 22.

11) Eccl. I, 9.

15) Iam fuit cet.] Cf. l. II. p. 79 v. f.

18) Non tamen] Cf. l. II, p. 81 v. f.

22) Illud sane seqq.] Uberius hanc eandem vocis καταβολὴ interpretationem exposuit Tom. XIX in Ioh. p. 305.

25) satis improprie] Tom. XIX. in Ioh. l. c. „ὡς ἔτυχεν.“

27) in graeco] Rufini haec. Tomo laudato in Ioh. p. eadem „ἐπιτηδὲς διὰ τοιαύτην ἐπίνοιαν πλασάντων ὄνομα τῶν ἁγίων τὸ τῆς καταβολῆς.“

tionem mundi interpretati sunt, sicut in Evangelio secundum Ioannem, cum dicit Salvator: „Et erit tribulatio in illis diebus qualis non fuit a constitutione mundi,“ hic constitutio καταβολή dicta est; quod ita intelligendum est sicut superius exposuimus. Sed et apostolus in epistola ad Ephesios eodem sermone usus est, cum ait: „Qui elegit nos ante mundi constitutionem,“ et hic constitutionem mundi καταβολήν dixit, eodem sensu quo superius interpretati sumus intelligendam. Dignum igitur videtur inquirere quid est quod hoc novo nomine indicetur: et arbitror,

2) Matth. XXIV, 21.

7) Ephes. I, 4.

11) et arbitror seqq.] „Divinitus habitaculum et veram requiem apud superos existimo intelligi, in qua creaturae rationabiles commorantes antequam ad inferiora loca descenderent, et de invisibilibus ad visibilia commigrarent, ruentesque ad terram crassis corporibus indigerent, antiqua beatitudine fruebantur. Unde conditor Deus fecit eis congrua humilibus locis corpora, et mundum istum visibilem fabricatus est, ministrosque ob salutem et correptionem eorum qui ceciderunt, misit in mundum: ex quibus alii certa obtinerent loca, et mundi necessitatibus obedirent; alii iniuncta sibi officia singulis quibusque temporibus quae novit artifex Deus, sedula mente tractarent. Et ex his sublimiora mundi loca sol et luna et stellae, quae ab apostolo creatura dicuntur, acceperunt. Quae creatura vanitati subiecta est eo quod crassis circumdata corporibus, et aspectui pateat; et tamen non sponte subiecta est vanitati, sed propter voluntatem eius qui eam subiecit in spe (Cf. fragm. L. I, 11 ss.).

*Et iterum:* Alii vero in singulis locis atque temporibus, quae solus artifex novit, mundi gubernaculis serviunt, quos angelos esse credimus.

*Et post paululum:* Quem rerum ordinem totius mundi regit providentia, dum aliae virtutes de sublimioribus corruunt, aliae paulatim labuntur in terras: istae voluntariae descendunt, aliae praecipitantur invitae; hae sponte suscipiunt ministeria, ut ruentibus manum porrigant, illae coguntur ingratae, ut tanto tempore in suscepto officio perseverent.

*Et iterum:* Ex quo sequitur ut ob varios motus varii creentur et mundi, et post hunc quem incolimus, alius multo dissimilis mundus fiat. Nullusque alius diversis casibus et profectibus, et vel virtutum praemiis vel vitiorum suppliciis, et in praesenti, et in futuro, atque in omnibus, et retro et priora temporibus potest merita dispensare et ad unum rursum finem cuncta pertrahere, nisi solus conditor omnium Deus, qui scit causas propter quas alios permittat sua perfrui voluntate, et de maioribus ad ultima delabi, alios incipiat visitare, et gradatim quasi manu data ad pristinum retrahere statum, et in sublimibus collocare.“ Versio Hieronymi in epist. ad Avitum p. 765. Parum accurate

Digitized by Google

quoniam quidem finis et consummatio sanctorum erit in his quae non videntur et aeterna sunt, ex ipsius finis contemplatione, sicut in superioribus frequenter ostendimus, simile etiam initium rationabiles creaturas habuisse censendum est. Et si tale initium habuerint qualem finem sperant, fuerunt sine dubio iam ab initio in his quae non videntur et aeterna sunt. Quod si est, de superioribus ad inferiora descensum est non solum ab his animabus quae id motuum suorum varietate meruerunt, verum et ab his quae ad totius mundi ministerium ex illis superioribus et invisibilibus ad haec inferiora et visibilia deductae sunt, licet non volentes; „Vanitati quippe creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit in spe,“ qua vel sol, vel luna, vel stellae, vel angeli explerent obsequium mundo, et his animabus quae ob nimios defectus mentis crassioribus istis et solidioribus indiguere corporibus, et propter eos quibus hoc erat necessarium, mundus iste etiam visibilis institutus est. Ex hoc ergo communiter omnium per hanc significantiam, id est per *καταβολήν*, a superioribus ad inferiora videtur indicari deductio. Spem sane libertatis universa creatura gerit ut a servitutis corruptione liberetur, cum filii Dei qui vel prolapsi, vel dispersi sunt, in unum fuerint congregati, vel cum cetera officia expleverint in hoc mundo, quae solus cognoscit omnium artifex Deus. Talem vero ac tantum putandum est factum esse mundum, qui vel omnes eas animas quae in hoc

Rufinum interpretis munere hoc loco functum esse, ex utriusque versionis comparatione intelligitur.

2) quae non videntur] Cf. 2 Cor. IV, 18; Philo de Opif. M. p. 8 Mang. „*πᾶν γὰρ τὸ αἰσθητὸν ἐν γενέσει καὶ μεταβολαῖς — τῷ μὲν ἀοράτῳ καὶ νοητῷ προσένεμεν (ὁ Μωΰσης) ὡς ἀδελφὸν καὶ συγγενὲς, ἀϊδιότητα.*“ Eadem docuerat Plato, Tim. p. 28.

2) aeterna] *αἰώνια.* Nihil tamen absolute aeternum i. e. *a parte post*, praeter spiritum. Fortassis enim in nihilum redigentur in fine omnia quae ulla ex parte sunt materialia. Cf. l. II. p. 80, 83, et quae seqq. p. 152.

3) in superioribus] sc. l. II, c. 2.

4) ostendimus, simile] *Ostendimus. Simile* Ru., perperam.

10) et ab his ss.] Cf. annotationem ad fragm. l. I, 9 lin. 4.

13) Rom. VIII, 20.

25) prolapsi] qui peccaverunt.

25) dispersi] qui aliorum salvandorum causa ad certa quaedam officia missi sunt, ex. e. sol, luna, astra.

Digitized by Google

mundo statutae sunt exerceri caperet, vel omnes eas virtutes quae adesse eis, et dispensare eas ac iuvare paratae sunt. Unius namque naturae esse omnes rationabiles creaturas, ex multis assertionibus comprobatur: per quod solum Dei iustitia in omnibus earum dispensationibus defendi potest, dum unaquaeque in semetipsa habet causas quod in illo, vel in illo vitae ordine posita sit.

V. Hanc ergo dispositionem Dei quam postea ordinavit, iam tunc ab origine mundi rationibus causisque perspectis eorum qui vel pro defectu mentis venire in corpora merebantur, vel eorum qui visibilium cupiditate raptabantur, sed et illorum qui vel volentes vel inviti praestare officia quaedam his qui in hunc statum deciderant compellebantur, ab eo qui in spe subiiciebat, non intelligentes quidam, nec advertentes quod ex praecedentibus liberi arbitrii causis instituta fuisset a Deo dispositionis ista varietas, arbitrati sunt vel fortuitis motibus vel fatali necessitate agi omnia quae in hoc mundo fiunt, nec esse aliquid in nostro arbitrio. Unde nec Dei providentiam inculpabilem assignare potuerunt.

VI. Sicut autem diximus, quia multis, vel ministris, vel rectoribus, vel auxiliatoribus eguerunt animae omnes quae in hoc mundo versatae sunt: ita in novissimis temporibus cum iam finis mundo proximus immineret, et in ultimam perditionem omne humanum vergeret genus, infirmatis non solum his qui regebantur, verum etiam illis quibus regendi fuerat sollicitudo commissa, non iam tali auxilio, nec similibus suis indiguit defensoribus, sed auctoris ipsius et creatoris sui opem depoposcit, qui et his obediendi, et illis regendi corruptam profanamque restitueret

3) unius naturae] V. fragm. l. II, 1; fragm. l. I, 3 n. Sicut materia eadem omnibus subest corporibus: sic mentis una eademque in omnibus qui ratione praediti sunt natura est. Quodsi quis angelus, archangelus, homo, daemon efficitur: id meritorum ipsius est. Ad officia, non ad naturae diversitatem haec nomina spectant, Tom. II in Ioh. p. 75. Sic varia animarum genera et classes, quos haeretici induxerant refutare voluit. Senioris ecclesiae patres quid statuerint, v. ap. Huet. II, 5, 16.

25) in novissimis cet.] Cf. fragm. l. IV, 2.

30) similibus suis] quales sunt Moses, patriarchae, postea prophetae, apostoli et aliqua ex parte martyres, quorum sanguine aliquot numero animae salvantur.

Digitized by Google

disciplinam. Unde unigenitus Filius Dei, qui erat verbum et sapientia Patris, cum esset in ea gloria apud Patrem quam habuit ante quam mundus esset, exinanivit semetipsum, et formam servi accipiens efficitur 151 obediens usque ad mortem, ut obedientiam doceret eos qui non aliter nisi per obedientiam salutem consequi poterant; regendi quoque regnandique corruptas restituit leges, dum omnes inimicos subiecit pedibus suis, ut per hoc quod necesse est eum regnare donec ponat inimicos suos sub pedibus et novissimum inimicum destruat mortem, rectores ipsos regendi doceat moderamina. Quia ergo non solum regendi vel regnandi, verum etiam obediendi, ut diximus, venerat reparare disciplinam, in semetipso prius complens quod ab aliis volebat impleri, idcirco non solum usque ad mortem crucis Patri obediens factus est, verum etiam in consummatione saeculi in semetipso complectens omnes quos subiicit Patri, et qui per eum veniunt ad salutem, cum ipsis et in ipsis ipse quoque subiectus dicitur Patri; dum omnia in ipso constant, et ipse est caput omnium, et in ipso est salus et salutem consequentium plenitudo. Hoc ergo est quod de eo dicit apostolus: „Cum autem

1) unigenitus et seqq. usque ad finem huius capitis] V. libr. I. ad Ianuarium p. 58.

5) ut obedientiam doceret] Quasi hic unicus fuisset mortis dominicae fructus. Expiationis nullibi in his libris mentio fit, sed solius inhaesivae, quae dici solet, iustificationis, per Christum partae. Non desunt tamen in aliis Origenis tractatibus loci, quibus diabolo Christum redemptionis pretium solvisse docetur. Martyrum mors paucioribus, Christi omnibus salutaris fuit. V. Guerike II, p. 255.

9) eum regnare] 1 Cor. XV, 25 seq.

12) Quia ergo etc.] i. e. non solum ad dogmata, sed etiam ad mores pertinet doctrina christiana; quum et praeceptis et exemplo exhibito Christus nos adiuvet, c. Cels. I, p. 383.

17) verum etiam cet.] Cf. hom. VII in Levit. p. 222 „tunc (in rerum omnium fine) ipse dicetur subiectus in his quos subdidit Patri, et in quibus opus quod ei Pater dederat consummavit, ut sit Deus omnia in omnibus seqq.;“ tract. in Matth. XXIII, p. 834.

23) 1 Cor. XV, 28. Cf. fragm. l. III, 2, et seq. e versione Hieronymi. Continetur autem subiectio Christi secundum Origenem in eo, ut omnes ratione praediti Christo adhaerentes salutem perfectam adipiscantur, et sic finis iam omni ex parte initio rerum respondeat, unitate (ἑνάδι) s. aequalitate inter singulos et perfecta erga Deum obedientia restituta. V. Tom. X in

ei subiecta fuerint omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui sibi subdidit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus."

VII. Verum nescio quo pacto haeretici non intelligentes apostoli sensum qui his verbis continetur, subiectionis in Filio nomen infamant: cuius appellationis si proprietas requiritur, ex contrariis facile poterit inveniri. Nam si subiectum esse non est bonum, restat ut illud quod contrarium est, bonum sit, id est, non esse subiectum. Sermo namque apostoli secundum quod isti volunt, hoc videtur ostendere, dum dicit: „Cum autem ei subiecta fuerint omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui sibi subdidit omnia:" ut quasi is qui nunc Patri subiectus non sit, subiectus futurus sit tunc cum prius Pater ei universa subiecerit. Sed miror quomodo hoc intelligi possit, ut is qui nondum sibi subiectis omnibus non est ipse subiectus, tunc cum subiecta fuerint sibi omnia, cum rex omnium fuerit, et potestatum tenuerit universorum, tunc eum subiiciendum putent, cum subiectus ante non fuerit: non intelligentes quod subiectio Christi ad Patrem beatitudinem nostrae perfectionis ostendit, et suscepti ab

Matth. p. 445; Huet. II, 11, 16. Plane haec consentiunt cum Pauli sententia: regnum et efficaciam Christo propriam ad peccantem mundum pertinere, peccatoque aliquando prorsus superato Patri regnum restituturum esse Filium. Nihilominus Origenem in hoc dogmate acerbe accusarunt Theophilus Alex. in ep. synodica, Vallarsi Opp. Hieron. I, p. 537; in ep. paschali I, ap. Mansi T. III, p. 979; auctor anathematismatum XIII, ap. Mansi T. IX, p. 399; alii. Defendit Origenem apologeta anonymus ap. Photium cod. 113. Coniunctum erat cum hoc dogmate, si fides est auctori anathematismatum l. c., alterum illud, omnes animas tunc in fine Christo aequales esse futuras. Sed non divinae Christi naturae, sed animae ipsius aequales efficiendae videntur ex systematis consequentia. Nam serioris quidem aevi Origenistae ad *divinam* naturam retulerunt hanc *aequalitatem*, Euagrius h. e. IV. c. 37 s., Isochristi ideo dicti (Walch hist. haer. VII, p. 656): sed segregarunt se ab eorum grege Protoctistae sive Tetraditae, ut videtur huius dogmatis causa, primos honores sine ullo fine Christo vindicaturi. Itaque in Origenem ipsum erroris suspicio vix ulla cadere potest.

22) beatitudinem nostrae perf.] Legendum esse suspicatur Semlerus l. c. p. 198 *beatitudinis perfectionem*. Sensum sic recte assequitur, cf. l. III de Princ. p. 153 init.; nil tamen mutandum.

eo operis palmam declarat, cum non solum regendi ac regnandi summam, quam in universam emendaverit creaturam, verum etiam obedientiae et subiectionis correcta reparataque humani generis Patri offerat instituta. Si ergo bona et salutaris accipitur ista subiectio qua subiectus esse dicitur Filius Patri, valde consequens et cohaerens est ut et inimicorum, quae dicitur Filio Dei esse subiectio, salutaris quaedam intelligatur et utilis: ut sicut cum dicitur Filius Patri subiectus, perfecta universae creaturae restitutio declaratur, ita cum Filio Dei inimici dicuntur esse subiecti, subiectorum salus in eo intelligatur et reparatio perditorum.

Verum certis quibusque et modis, et disciplinis, VIII.
et temporibus subiectio ista complebitur: non necessitate aliqua ad subiectionem cogente, ne per vim subditus fiat omnis mundus Deo, sed verbo, ratione, doctrina, provocatione meliorum, institutionibus optimis, comminationibus quoque dignis et competentibus, quae iuste immineant his qui salutis et utilitatis suae curam sanitatemque contemnunt. Denique et nos homines, cum vel servos vel filios erudimus, dum adhuc per aetatem rationis incapaces sunt, minis eos et metu coercemus; cum vero boni, utilis, et honesti intelligentiam ceperint, tum iam cessante verberum metu, verbo ac ratione suasi ad omnia quae bona sunt acquiescunt. Quomodo autem servata in omnibus rationabilibus creaturis arbitrii libertate unusquisque debeat dispensari, id est, quos velut iam paratos et capaces sermo Dei et inveniat et instituat, quos autem interim differat, a quibus vero penitus occultetur et longe eorum a se fieri dispenset auditum, quosque rursum contemnentes indicatum sibi et praedicatum verbum Dei correptionibus quibusdam et castigationibus illatis perurgeat ad salutem, conversionemque eorum quodammodo exigat et extorqueat; quibusnam vero etiam occasiones

1) palmam] s. victoriam, ut iam non amplius lugenda sint Christo peccata nostra, hom. VII in Lev. p. 221, non amplius pugnandum cum potestatibus contrariis, ib.

2) summam] omnibus iam libere omnique ex parte ipsi assentientibus.

5) correcta instituta] i. e. humanum genus ad obedientiam restitutum, sive obedientia humani generis restituta.

32) longe eorum cet.] Prov. XV, 29.

quaedam praestet salutis, ita ut interdum etiam ex responsione sola fide probata indubitatam quis ceperit salutem; quibus haec ex causis vel quibus occasionibus fiant, quidve in his intro inspiciens divina sapientia, vel quos motus propositi eorum videns haec universa dispenset: soli Deo cognitum est, ut Unigenito eius, per quem creata ac reparata sunt universa, et Spiritui sancto per quem cuncta sanctificantur, qui ab ipso Patre procedit, cui est gloria in aeterna saecula. Amen.

Cap. VI. De consummatione mundi.

De fine vero mundi et consummatione omnium iam quidem et in superioribus pro viribus nostris disseruimus, secundum quod divinae Scripturae indulsit
152 auctoritas, quae sufficere ad instructionem putamus, paucis etiam nunc admonitis, quoniam ad hunc nos locum quaestionis ordo perduxit. Igitur summum bonum ad quod natura rationabilis universa festinat, quod etiam finis omnium dicitur, a quamplurimis etiam philosophorum hoc modo terminatur, quia summum bonum sit, prout possibile est, similem fieri

2) responsione] sc. in baptismate. Cf. Comment. ad Rom. Tom. III p. 516 v. f. „Dicit apostolus (c. III, 28) sufficere solius fidei iustificationem, ita ut credens quis tantummodo iustificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum.“ Hoc loco muniti Centuriatores Magdeburgenses Cent. III, c. 10 Origenem doctrinae de iustificatione ex sola fide auctorem vocarunt. Temere. In iisdem enim commentariis l. IV, p. 523 docet, fidem *tanquam radicem* imbre suscepto haerere in animae solo, ut cum per legem Dei excoli coeperit, surgant in ea rami, qui fructus operum ferant, et nonnisi tempore et occasione ad proferendos fructus deficiente, fidem sufficere: alia autem fidei, alia operum, alia denique iustificationis apud Origenem, quam nostra notio.

9) ab ipso Patre] Addidisset sane Rufinus *et Filio*, si suo iam tempore lites de processione spiritus exarsissent, et addere sane potuisset sine Origenis iniuria: creavit enim Pater Spiritum sanctum per *Filium*.

18) finis omnium] sc. *bonorum*, non rerum. Idem tamen utrumque est re ipsa apud Origenem.

18) quamplurimis] sc. a Platonicis. De Platonis *ὁμοιώσει θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν* v. Tim. p. 338; Theaet. p. 176; de Rep. IX, p. 48. Cf. Pythagoreorum *ὁμολογίαν πρὸς τὸν θεόν*, Diog. Laert. VIII, 33.

20) similem fieri] quod fit, quum *ἀπάθειαν* absolutam Deique *ἐποπτείαν* assequimur et efficimur *θεοί*, sensu huius vocis latiori. Daehne de Clem. Alex. p. 110; Gieseler I, p. 264. De commixtione mystica hominis cum Deo non satis liquet

Deo. Sed hoc non tam ipsorum inventum, quam ex divinis libris ab eis assumtum puto. Hoc namque indicat Moyses ante omnes, cum primam conditionem hominis enarrat, dicens: „Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.“ Tunc deinde addit: „Et fecit Deus hominem, ad Dei imaginem fecit illum, masculum et foeminam fecit eos, et benedixit eos.“ Hoc ergo quod dixit: „ad imaginem Dei fecit eum,“ et de similitudine siluit, non aliud indicat nisi quod imaginis quidem dignitatem in prima conditione percepit, similitudinis vero perfectio in consummatione servata est: scilicet ut ipse sibi eam propriae industriae studiis ex Dei imitatione consciseeret, cum possibilitate sibi perfectionis in initiis data per imaginis dignitatem, in fine demum per operum exple-

quid docuerint Christiani. Certe indissolubilis non fuit.“

2) ex div. libris] Non solum eos legisse, sed sensu etiam allegorico intellexisse libros sacros, iam Aristobulus Iudaeus docuerat, neutrum sane impune negari potuit, v. Daehne de Philone I, p. 77.

3) omnes] sc. philosophos graecos.

4) Gen. I, 26.

6) Ibid. 27.

10) De imagine divina in homine cf. l. IV, p. 194 v. f. Perdidisse eam Adamum, nec unquam docuit, nec docuisse potuit Origenes, ut statim ostendemus. Calumniae igitur sunt Epiphanii haer. 64, 4 (cf. eiusd. ep. ad Ioh. Hierosolymitanum ap. Mart. opp. Hieron. IV, p. 827), Theophili Alex. in epp. pasch. et Hieronymi in ep. ad Pamm. p. 310 criminationes. Similitudo Dei ab imagine diversa est, c. Cels. IV, p. 522; promiscue tamen nonnunquam Origenes utraque voce utitur. Consentit Clemens Alex. Strom. II p. 418; Irenaeus adv. haer. V, 6. Perditam e contrario imaginem docet Tertullianus de bapt. c. 5.

12) similitudinis vero] Cf. Tom. IV in Rom. p. 530: „In initiis homo, cum propositum fuisset ut ad imaginem et similitudinem Dei fieret, ad imaginem quidem factus est, similitudo autem dilata est, ob hoc ut prius confideret in Deum, et ita fieret similis ei, et ipse audiret, quia similis ei fiet omnis qui confidit in eum (Ps. CXV, 8 sec. LXX).“ Contra hanc imaginis et similitudinis distinctionem Methodius in libro de Resurr. ap. Photium cod. 234 pugnare videtur, quum et τὸ θεοειδὲς et τὸ θεοείκελον homini a Deo dono datum esse contendat. Servarunt tamen hanc distinctionem seriores ecclesiae tam orientalis quam occidentalis doctores, Huet. II, 12, 9.

15) Imaginem divinam nil praeter possibilitatem perfectionis esse e mente Origenis, recte iam vidit Iansenius in Augustino Tom. I, 2, c. 7. Sequitur nunquam perdi potuisse hanc imaginem.

tionem perfectam sibi ipse similitudinem consummaret. Sed apertius haec et evidentius ita se habere Ioannes apostolus definit, hoc modo pronuncians: „Filioli, nondum scimus quid futuri sumus: si vero revelatum nobis fuerit de Salvatore, sine dubio dicetis: Similes ei erimus.“ Per quod certissime indicat et finem omnium, quem adhuc sibi dicit ignotum, et similitudinem Dei sperandam, quae pro meritorum perfectione praestabitur. Ipse quoque Dominus in Evangelio haec eadem non solum futura, verum etiam sui intercessione futura designat, dum ipse hoc a Patre discipulis suis impetrare dignatur, dicens: „Pater, volo ut ubi ego sum et isti sint mecum; et sicut ego et tu unum sumus, ita et isti in nobis unum sint.“ In quo iam videtur ipsa similitudo, si dici potest, proficere, et ex simili unum iam fieri, pro eo sine dubio quod in consummatione vel fine omnia et in omnibus Deus est. In quo re-

1) Itaque *in fine demum* sc. rerum omnium, non in hac vita omnibus numeris perfecti erimus.

4) 1 Ioh. III, 2. 3. Diversitatem textus nondum satis observarunt critici.

13) Ioh. XVII, 21.

16) unum fieri] Qualis sit haec animae cum Deo unitas (*ἕνωσις*), mox p. 153 sic exponit: „ut anima omni vitiorum faece purgata nihil aliud vel intelligere vel sentire possit quam Deum.“ Cf. Neoplatonicorum, quae abstrusissima est, de unione cum Deo mystica (*ἁπλώσει, ἑνώσει*) sententiam, Plotini Enn. VI, 9, 9. 11. Neoplatonicis ut antiquissimis quibusdam patribus anima est *μέρος τοῦ θεοῦ*: inde *κρᾶμα* illud animarum cum Deo. Origines huius dogmatis exposuit Daehne de Philone I. p. 42. Theologi alexandrini, quum creationem animarum, non emanationem profiterentur, haec somnia non potuerunt non reiicere: cf. tamen quae seqq. p. 155 v. f. ex versione Hieronymi.

18) In quo requiritur est.] Haec sic exhibet Hieronymus in ep. ad Avitum p. 766: „Quia, ut crebro iam diximus, principium rursus ex fine generatur, quaeritur utrum et tunc futura sint corpora, an sine corporibus aliquando vivendum sit, quum redacta in nihilum fuerint, et incorporalium vita incorporalis esse credenda sit, qualem et Dei novimus. Nec dubium est, quin si omnia corpora ad mundum istum sensibilem pertineant, quae appellantur ab apostolo visibilia, futura sit vita incorporalium incorporalis.

*Et paulo post*: Illud quoque quod ab eodem apostolo dicitur: *Omnis creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei* (*Rom.* VIII, 21), sic intelligimus, ut primam creaturam rationabilium et incorporalium esse dicamus, quae non serviat corruptioni, eo quod non sit vestita corporibus, et ubicunque corpora fuerint, statim corruptio subsequatur. Postea autem

**quiritur a nonnullis, si ratio naturae corporeae quamvis expurgatae ad liquidum et penitus spiritalis effectae, non videatur obsistere vel ad similitudinis di-**

liberabitur de servitute corruptionis quando receperint gloriam filiorum Dei, et Deus fuerit omnia in omnibus.

*Et in eodem loco:* Ut autem incorporeum finem omnium rerum esse credamus, illa nos Salvatoris oratio provocat in qua ait: *Ut quomodo ego et tu unum sumus, sic et isti in nobis unum sint* (*Ioh.* XVII, 21). Etenim scire debemus quid sit Deus, et quid sit futurus in fine Salvator: et quomodo in sanctis similitudo Patris et Filii repromissa sit: Quomodo in se illi unum sunt, sic et isti in eis unum sint. Aut enim suscipiendum est universitatis Deum vestiri corpore, et quomodo nos carnibus, sic illum qualibet materia circumdari: ut similitudo vitae Dei, in fine sanctis possit aequari: aut si hoc indecens est, maxime apud eos, qui, saltem ex minima parte, Dei sentire cupiunt maiestatem, et ingenitae atque omnia excedentis naturae gloriam suspicari, e duobus alterum suscipere cogimur, ut aut desperemus similitudinem Dei, si eadem semper sumus corpora habituri, aut si beatitudo nobis eiusdem cum Deo vitae promittitur, eadem qua vivit Deus, nobis conditione vivendum est."

Sic Hieronymus. Intelligitur denuo quot numeris nonnunquam perfida sit Rufini interpretatio. Utrum vero naturam corpoream nostro sensu hoc loco negarit in fine esse superfuturam: ne ex Hieronymi quidem versione satis liquet. Quamvis enim, ut supra docuimus, dubium non sit, quin ζητητικῶς sententiam de interitu materiae protulerit Adamantius, idque Origenistis serioris aevi vitio vertatur a Cyriaco (Acta Sanct. l. c.) et in anthematismate XI Synodi ap. Mansium Tom. IX, p. 399: tamen ipse Hieronymus post exhibita, quae huc transscripsimus verba, sic pergit: „Ex quibus omnibus approbatur, quid de resurrectione sentiat, et quod omnia corpora interitura confirmet, ut simus absque corporibus, quomodo prius fuimus antequam *crassis* corporibus vestiremur;" nec non Theophilus in ep. synodica p. 540 ss. corpora nostra secundum Origenem in nihilum *et in aërem subtilissimum* converti autumat. Itaque quaeritur, utrum de vita incorporea absoluto an relativo sensu agatur hoc loco. Posterius illud suadere videntur illa *si eadem semper sumus corpora habituri*, in fine fragmenti Hieronymiani, et quae in initio *de visibilibus et invisibilibus* sensu apostoli dicuntur. Accedit quod, et multo quidem post Origenem tempore, Iohannes Philoponus praeter terrestre et spirituale animarum corpus, tertium quoddam, sc. σῶμα οὐράνιον, αἰθέριον et αὐγοειδὲς agnoscit, quod animabus ab affectibus corporis omnino liberatis tribuit, vide Cudworth Syst. II, p. 1027. Itaque corporibus carituri dicimur, ut videtur, relativo sensu; atque illud *eadem qua vivit Deus conditione nobis vivendum esse* idem est quod: omni corporali peccandi necessitate et affectibus (s. πάθεσι) aliquando

gnitatem, vel ad unitatis proprietatem: quod naturae divinae quae utique incorporea est, nec similis videatur dici corporea natura posse, nec unum cum ea vere ac merito designari, maxime cum id quod unum est Filius cum Patre, ad naturae proprietatem referendum fidei veritas doceat.

II. Cum ergo in fine Deus esse omnia et in omnibus promittatur, sicut consequens est, non est putandum venire ad illum finem animalia, vel pecora, vel bestias, ne etiam in animalibus, aut pecoribus, vel bestiis Deus inesse designetur; sed nec ligna, vel

nos solutum iri. Nam Deum nulla ex parte corporeum sibi finxisse Origenem, denuo in fine huius tertii libri efficiemus. Falli autem Moshemium qui de Platone, utrum Deum nostro sensu incorporeum agnoverit, dubitat ad Cudworthi Syst. II, p. 949, nunc inter viros doctos nulla lis esse potest. Qualia autem sint quae hoc loco definiat Origenes, negari non potest dixisse eum, etsi *ζητητικῶς* duntaxat, de interitu materiae absoluto l. II, p. 79 seqq. Praeivit ipsi in hoc dogmate Plato in Phaedone p. 114, quum vitâ *ἄνευ σωμάτων τὸ παράπαν* eos, qui per philosophiam se purgarint, aliquando gavisuros esse dicat. Crassioribus enim e systemate Platonis omnes tam pii quam impii tunc carebunt corporibus: philosophorum est, omni prorsus corpore exuto, iam totos *mentes* effici. Cf. fragm. l. II, 2 et 5; III, 2; IV, 7; Huet. II, 6, 14. — Superest ut ad ipsum Hieronymi textum haec annotemus. „Principium rursus cet.“] i. e. quum redeant in fine, quae in principio fuerunt. — „Quae appellantur ab apostolo“] Cf. p. 150 huius libri init. Minime de absolute incorporea ibi vita loquitur. — „primam creaturam seqq.“] i. e. quae et rationabilis est, sive ex solis mentibus constat, et *simul* incorporalis, sc. ratione crassiorum corporum. De *ideis* in Filio Dei latentibus haec intelligenda non sunt. — „ubicunque corpora“] sc. crassiora. — „liberabitur“] sc. omnis creatura, ratione praedita. Animalia dissolventur, cf. fragm. l. III, 2 et quae seq. p. 153. „quid sit futurus“] sc. subiectus Patri, quod supra explicuimus.

5) ad naturae] non voluntatis. Videntur haec esse Rufini.

7) Cum ergo — dicatur] cf. fragm. l. III, 2.

9) animalia vel cet.] Dilatat interpres quae sunt in textu *graeco*: „*ἄλογα ζῶα*“ propter vocis *animalia* in latino ambiguitatem. Animalium et hominum in animam mundi redire animas docebat Zeno, ap. Diog. Laert. VII, p. 464. Porphyrium docuisse, *λύεσθαι ἑκάστην δύναμιν ἄλογον εἰς τὴν ὅλην τοῦ παντὸς*, testis est Cudworthus I, p. 54. Origenes qui animalium animas sanguinem esse sibi persuaserat, et Deum minime animam mundi sed *quasi animam* dicit, de exstinctione earum dubitare non potuit. Si metempsychosin consequenter docuisset, transitum in rationalium animarum ordinem profiteri debuisset.

lapides, ne in his quoque esse dicatur Deus. Ita ne 153
ullam quidem malitiam ad illum finem pudandum est pervenire; ne dum in omnibus Deus esse dicitur, etiam in aliquo malitiae vasculo inesse dicatur. Nam et si nunc quoque ubique et in omnibus dicimus esse Deum, pro eo quod nihil potest esse vacuum Deo, non tamen ita esse dicimus, ut omnia sit nunc in quibus est. Unde diligentius intuendum est quale est hoc quod perfectionem beatitudinis rerumque finem significat: quod non solum in omnibus esse dicitur Deus, sed etiam omnia in omnibus. Quae sint ergo ista omnia quae Deus futurus sit in omnibus, requiramus.

Et ego quidem arbitror quia hoc, quod in omnibus omnia dicitur esse Deus, significet etiam in III.
singulis eum omnia esse. Per singulos autem omnia erit hoc modo, ut quidquid rationabilis mens, expurgata omnium vitiorum faece atque omni penitus abstersa nube malitiae, vel sentire, vel intelligere, vel cogitare potest, omnia Deus sit, nec ultra iam aliud aliquid nisi Deum videat, Deum teneat, omnis motus sui Deus modus et mensura sit; et ita erit omnia Deus: non enim iam ultra boni malique discretio, quia nusquam malum; omnia enim Deus est, cui iam non adiacet malum; nec ultra ex arbore sciendi bonum et malum manducare concupiscet, qui semper in bono est, et cui omnia Deus est. Sic ergo finis ad principium reparatus, et rerum exitus collatus initiis, restituet illum statum quem tunc habuit natura rationabilis, cum de ligno sciendi bonum et malum comedere non egebat, ut amoto omni malitiae sensu, et ad sincerum purumque deterso, solus qui est unus bonus Deus hic ei fiat omnia, et non in paucis aliquibus vel pluribus, sed in omnibus ipse sit omnia. Cum iam nusquam mors, nusquam acu-

5) ubique — in omnibus erit] V. Ian. II, p. 58. De omnipraesentia Dei v. c. Cels. IV, p. 505; de Princ. II, p. 78.

13) requiramus] *inquiramus* Ian.

25) non adiacet malum] i. e. qui omnino peccare non potest. Hac naturae praestantia solus Deus utitur: creatis omnibus *adiacet* sive in natura eorum posita est peccandi possibilitas; cf. l. IV, p. 193 v. f.

25) nec ultra seqq.] Arbor igitur sciendi Gen. III sensu allegorico idem est quod primum singulae cuiusque animae peccatum, post satietatem illam, qua defecerit a Deo.

35) mors] i. q. diabolus.

lens mortis, nusquam omnino malum, tunc vere Deus omnia in omnibus erit. Verum istam perfectionem ac beatitudinem rationabilium creaturarum, vel naturarum, ita demum quidam permanere in eodem statu quo supra diximus putant, id est ut Deum omnia habeant et Deus eis sit omnia, si nullatenus eas societas naturae corporalis amoveat. Alioquin existimant gloriam summae beatitudinis impediri, si materialis substantiae interseratur admixtio. De qua re plenius a nobis quae in superioribus occurere potuerunt, pertractata atque digesta sunt.

IV. Nunc vero quoniam apud apostolum mentionem spiritalis corporis invenimus, qualiter etiam inde sentiri debeat de hoc, tantummodo prout possumus requiramus. Quantum ergo sensus noster capere potest, qualitatem spiritalis corporis talem quandam esse sentimus, in quo inhabitare deceat non *solum* sanctas quasque perfectasque animas, verum etiam

2) verum istam seqq.] „Nec dubium est quin post quaedam intervalla temporum (Cf. fragm. l. I, 2, n.) rursus materia subsistat, et corpora fiant, et mundi diversitas construatur propter varias voluntates rationabilium creaturarum, quae post perfectam beatitudinem usque ad finem omnium rerum paulatim ad inferiora delapsae tantam malitiam receperunt, ut in contrarium verterentur, dum nolunt servare principium, et incorruptam beatitudinem possidere. Nec hoc ignorandum quod multae rationabiles creaturae usque ad secundum et tertium et quartum mundum servent principium, nec mutationi in se locum tribuant; aliae vero tam parum de pristino statu amissurae sint, ut pene nihil perdidisse videantur, et nonnullae grandi ruina in ultimum praecipitandae sint barathrum. Novitque dispensator omnium Deus in conditione mundorum singulis abuti iuxta meritum et opportunitates et causas, quibus (*sc. aeque perponderatis*) mundi gubernacula sustentantur et initiantur: ut qui omnes vicerit nequitia, et penitus se terrae coaequaverit (*cf. Plat. Phaed.*), in alio mundo qui postea fabricandus est, fiat diabolus, principium plasmationis (*Hiob* XL, 14) Domini, ut illudatur ei ab angelis qui exordii amisere virtutem.“ In epist. Hieronymi ad Avit. p. 767. *Docet* utriusque versionis comparatio, Rufinum in alios transferre, quae in textu ex ipsius Origenis persona dicta erant. Eo usque progreditur paragrapho VI, ut refutantem inducat Origenem ea, quae ipse profitebatur dogmata. Suspicatur Ruaeus non tam interpolasse haec, quam adtexuisse de suo Rufinum: temere. De dogmate ipso v. Huet. II, 11, 9.

6) si nullatenus seq.] Non fortuito dictionis ambiguitas haec orta videtur.

10) in superioribus] V. l. II, p. 80.

Digitized by Google

omnem illam creaturam quae liberabitur a servitute corruptionis. De corpore etiam illud apostolus dixit: „Domum habemus non manu factam, aeternam in coelis,“ id est, in mansionibus beatorum. Ex hoc ergo coniecturam capere possumus, quantae puritatis, quantae subtilitatis, quantaeque gloriae sit qualitas corporis illius, si comparationem faciamus eius ad ea, quae nunc licet coelestia sint et splendidissima corpora, manu facta tamen sunt et visibilia. De illo autem dicitur, domus esse non manu facta, sed aeterna in coelis. Quia ergo „quae videntur temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt,“ omnibus his 154
corporibus quae sive in terris sive in coelis videmus, et quae videri possunt, et manu facta sunt, et aeterna non sunt, multa longe praelatione praecellit illud quod et visibile non est, nec manu factum est, sed aeternum est. Ex qua comparatione coniici potest quantus decor, quantus splendor, quantus fulgor sit corporis spiritalis; et verum esse illud quod dictum est, quia „oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus illum.“ Non autem dubitandum est naturam corporis huius nostri, voluntate Dei qui talem fecit eam, usque ad illam qualitatem subtilissimi et purissimi ac splendidissimi corporis posse a creatore perduci, prout rerum status vocaverit, et meritum rationabilis naturae poposcerit. Denique, cum varietate et diversitate mundus indiguit, per diversas rerum facies speciesque omni famulatu praebuit se materia conditori, utpote domino et creatori suo, quo diversas coelestium terrenorumque ex ea duceret formas. Cum vero res ad illud coeperint festinare ut sint omnes unum, sicut est Pater cum Filio unum, consequenter intelligi datur, quod ubi omnes unum sunt, iam diversitas non erit.

Propterea namque etiam novissimus inimicus, V.
qui mors appellatur, destrui dicitur, ut neque ultra triste sit aliquid, ubi mors non est, neque adversum

1) creaturam] i. e. solem, lunam, stellas etc., fragm. l. I, 12.
3) 2 Cor. V, 1.
7) ad ea] sc. astra.
9) illo] sc. corpore.
11) 2 Cor. IV, 18.
20) 1 Cor. II, 9.
22) non autem cet.] v. Indicem s. v. materia.
29) species] gr. εἴδη, fragm. l. I, 3.
36) novissimus] v. Indicem s. v. diabolus.

sit, ubi non est, inimicus. Destrui sane novissimus inimicus ita intelligendus est, non ut substantia eius quae a Deo facta est pereat, sed ut propositum et voluntas inimica, quae non a Deo, sed ab ipso processit, intereat. Destruetur ergo, non ut non sit, sed ut inimicus non sit et mors. Nihil enim omnipotenti impossibile est, nec insanabile est aliquid factori suo: propterea enim fecit omnia ut essent, et quae facta sunt ut essent, non esse non possunt. Propter quod immutationem quidem varietatemque recipient, ita ut pro meritis vel in meliori vel in deteriori habeantur statu: substantialem vero interitum ea quae a Deo ad hoc facta sunt ut essent et permanerent, recipere non possunt. Non enim quae opinione vulgi interire creduntur, continuo etiam vel fidei vel veritatis ratio ea interire consenserit. Denique caro nostra ab imperitis et infidelibus ita post mortem deperire existimatur, ut nihil prorsus reliquum substantiae suae habere credatur. Nos vero qui resurrectionem eius credimus, immutationem eius tantummodo per mortem factam intelligimus: substantiam vero eius certum est permanere, et voluntate creatoris sui certoque tempore rursus reparari ad vitam, atque iterum permutationem eius fieri, ut quae primo fuit caro ex terra terrena, tum deinde dissoluta per mortem, et iterum facta cinis ac terra, „quoniam terra es,“ inquit, „et in terram ibis,“ rursum resuscitetur e terra, et post hoc iam prout meritum inhabitantis animae poposcerit, in gloriam corporis proficiat spiritalis.

VI. In hunc ergo statum omnem hanc nostram substantiam corporalem putandum est perducendam, tunc cum omnia restituentur ut unum sint, et cum Deus fuerit omnia in omnibus. Quod tamen non ad subitum fieri, sed paulatim et per partes intelligendum

9) non esse seq.] Itaque coniicias materiam esse sempiternam. Sed urgenda sunt, quae praecedunt, *ut essent* i. e. quae vera et absoluta exsistentia, non ut malum (fragm. l. II, 2. n.) proprie nulla utuntur. Mox addit vocibus *ut essent*: „et permanerent.“ Materia igitur τὸ μὴ ὄν, cf. l. II, p. 80. n.

12) substantialem] i. e. substantiae.

19) Nos vero seqq.] Attamen Rufini fides nonnulla ex parte plus semel in dubium vocanda videtur, v. Huet. II, 9, 6. Veram Originis sententiam supra exposuimus. V. tamen quae ex Hieronymo, l. c. in fine huius libri annotamus.

27) Gen. III, 19.

Digitized by Google

est, infinitis et immensis labentibus saeculis, cum sensim et per singulos emendatio fuerit et correctio prosecuta, praecurrentibus aliis et velociori cursu ad summa tendentibus, aliis vero proximo quoque spatio insequentibus, tum deinde aliis longe posterius: et sic per multos et innumeros ordines proficientium ac Deo se ex inimicis reconciliantium pervenitur usque ad novissimum inimicum qui dicitur mors, ut etiam ipse destruatur, ne ultra sit inimicus. Cum ergo restitutae fuerint omnes rationabiles animae in huiuscemodi statum, tunc natura etiam huius corporis nostri in spiritalis corporis gloriam perducetur. Sicut enim de rationabilibus naturis videmus, non alias esse quae pro peccatis in indignitate vixerint, et alias quae pro meritis ad beatitudinem invitatae sint, sed has easdem quae ante fuerant peccatrices, conversas postmodum et Deo reconciliatas videmus ad beatitudinem revocari; ita etiam de natura corporis sentiendum est, quod non aliud corpus est quo nunc in ignobilitate et in corruptione et infirmitate utimur, et aliud erit illud quo in incorruptione, et in virtute, et in gloria utemur: sed hoc idem abiectis his infirmitatibus in quibus nunc est, in gloriam transmutabitur, spiritale effectum, ut quod fuit indignitatis vas, hoc ipsum expurgatum fiat vas honoris, et beatitudinis habitaculum. In quo statu etiam permanere semper et immutabiliter creatoris voluntate est credendum, fidem rei faciente sententia apostoli, dicentis: „Domum habemus non manu factam, aeternam in coelis." Non enim secundum quosdam Graecorum philosophos praeter hoc corpus quod ex quatuor elementis est, aliud quintum corpus quod per omnia aliud sit et diversum ab hoc nostro corpore, fides ecclesiae recipit: quoniam neque ex Scripturis sanctis vel suspicionem aliquam proferre de his quis potest, neque ipsa rerum consequentia haec recipi patitur, maxime cum manifeste definiat sanctus apostolus, quia non nova aliqua corpora resurgenti-

29) 2 Cor. V, 5.

30) quosdam] sc. Aristoteles et qui eum sequantur, Cicero Disp. Tusc. I, c. 10; Augustinus de Civ. Dei Tom. VII. (Bened.) p. 502. V. Aristotelis libros de anima (l. II, 2); quos cum commentario nuper edidit Trendelenburg. — Denuo ex hoc loco Origenis de anima et Deo, vere incorporeis, sententia intelligitur.

34) quoniam] Cf. c. IV, p. 146 init. n.

bus a mortuis dentur, sed haec ipsa quae viventes habuerant, ex deterioribus in melius transformata, recipiant. Ait enim: „Seminatur corpus animale,
155 resurget corpus spiritulale: seminatur in corruptione, resurget in incorruptione: seminatur in infirmitate, resurget in virtute: seminatur in ignobilitate, resurget in gloria.“ Sicut ergo profectus est homini quidam, ut cum sit prius animalis homo, nec intelligat quae sunt spiritus Dei, veniat in hoc per eruditionem ut efficiatur spiritalis, et diiudicet omnia, ipse vero a nemine diiudicetur: ita etiam de corporis statu sentiendum est, quod ipsum idem corpus quod nunc pro ministerio animae nuncupatum est animale, per profectum quendam, cum anima, adiuncta Deo, unus cum eo spiritus fuerit effecta, iam tunc corpus quasi spiritui ministrans in statum qualitatemque proficiat spiritalem, maxime cum, sicut saepe ostendimus, talis a conditore facta sit natura corporea, ut in quamcunque voluerit, vel res poposcerit qualitatem, facile subsequatur.

VII. Omnis igitur haec ratio hoc continet, quod duas generales naturas condiderit Deus: naturam visibilem, id est corpoream; et naturam invisibilem, quae est incorporea. Istae vero duae naturae diversas sui recipiunt permutationes. Illa quidem invisibilis quae rationabilis est, animo propositoque mutatur pro eo quod arbitrii sui libertate donata est; et per hoc aliquando in bonis, aliquando in contrariis invenitur. Haec vero natura corporea substantialem recipit permutationem; unde et ad omne quod moliri, vel fabricare, vel retractare voluerit artifex omnium Deus, materiae huius habet in omnibus famulatum, ut in quascunque vult formas vel species, prout rerum merita deposcunt, naturam corpoream transmutet et transferat. Quod evidenter propheta designavit: „Deus qui facit omnia, et transmutat.“

VIII. Iam sane illud quaerendum est, si tunc cum erit Deus omnia in omnibus, in consummatione omni-

3) 1 Cor. XV, 42 sqq.

13) animale] i. e. *ψυχικόν*.

24) incorporea] sc. partim absoluto, partim relativo sensu. V. l. II, p. 86 med.; I p. 71 de voce *invisibilis*.

29) substantialem] i. e. quae in substantiam cadit, substantia ipsa tamen servata.

30) Cf. Ps. CII, 26. 27.

38) V. l. II. p. 84 ex versione Hieronymi.

tum universa corporis natura una specie constabit, et omnis qualitas corporis illa sola erit quae in illa inenarrabili gloria fulgebit, quae spiritalis corporis futura esse sentienda est. Si enim recte accipimus, id in initio libri sui Moyses scribit dicens: „In principio fecit Deus coelum et terram.“ Hoc enim principium totius creaturae; ad hoc principium finem omnium consummationemque convenit revocare: id est ut illud coelum, et illa terra, habitatio et requies sit piorum; ita ut prius terrae illius sancti quique et mansueti haereditatem capiant, quandoquidem hoc etiam lex et prophetae et evangelium docent. In qua terra puto esse veras illas et vivas formas illius observantiae quam Moyses per legis umbram tradebat. De quibus dictum est, quia „exemplari et umbrae deserviunt coelestium:“ hi scilicet qui serviebant in lege. Sed et ad ipsum Moysen dictum est: „Vide ut facias omnia secundum formam et similitudinem quae tibi ostensa est in monte.“ Unde mihi videtur quod sicut in hac terra lex paedagogus quidam fuit eorum qui ad Christum ab ipsa perduci deberent, eruditi ab ea et instituti, ut facilius possent post institutionem legis perfectiora quaeque instituta Christi suscipere: ita etiam alia terra, sanctos quosque suscipiens, verae et aeternae legis institutionibus eos prius imbuat et informet, quo facilius etiam illis coeli perfectis, et quibus addi iam nihil potest, institutis potiantur; in quo vere erit illud quod aeternum dicitur Evangelium, et Testamentum semper novum quod nunquam veterascet.

IX. Hoc itaque modo in consummatione ac restitutione omnium fieri putandum est, ut paulatim proficientes et ascendentes modo et ordine perveniant primo ad terram illam, et eruditionem quae in ea est, in qua ad meliora, et illa quibus iam addi nihil potest, instituta praeparentur. Post actores enim et procuratores Christus dominus, qui est rex omnium, regnum

5) Gen. I, 1.

9) illud coelum] sc. supercoeleste, quod l. II, p. 83. descripsit.

14) observantiae] i. q. cultus, religionis.

15) Hebr. VIII, 5.

17) Exod. XXV, 40.

19) Unde cet.] quasi e solis libris sacris sententiam suam hausisset.

28) Apoc. XIV, 6. De hoc veritatis archetypo absoluto ad l. II. diximus.

36) Gal. IV, 2.

Digitized by Google

ipse suscipiet: id est, post eruditionem sanctarum virtutum eos qui eum capere possunt secundum quod sapientia est, ipse instruet, regnans in eis tamdiu usquequo eos etiam Patri subiiciat qui sibi subdidit omnia, id est, ut cum capaces Dei effecti fuerint, sit eis Deus omnia in omnibus. Tunc ergo consequenter etiam natura corporea illum summum, et cui addi iam nihil possit, recipiet statum.

Hactenus nobis etiam corporeae naturae vel spiritalis corporis ratione discussa, arbitrio legentis relinquimus, ex utroque quod melius iudicaverit eligendum. Nos vero in his finem libri tertii faciamus.

---

# LIBER QUARTUS.

Cap. I. Quod scripturae divinitus inspiratae sint.

156 Verum quoniam de tantis et talibus rebus dis-

6) Tunc ergo — statum] „Et erit Deus omnia in omnibus, ut universa natura corporea redigatur in eam substantiam quae omnibus melior est, in divinam scilicet, qua nulla est melior.“ Versio Hieronymi l. c. p. 767. Haec intulit post disputationem, verba refero Hieronymi, longissimam qua omnem creaturam corpoream in spiritualia corpora et tenuia dicit esse mutandam, cunctamque substantiam in unum corpus mundissimum et omni splendore purius convertendam, et talem qualem nunc humana mens non potest cogitare. — Itaque *divinam substantiam* in textu versionis Hieronymi iam corporeum aliquid redolere visam esse, ideoque Rufinum missam fecisse eam, suspicatur Ruaeus. Nescio an satis recte. *Divina* enim substantia, quae omnibus melior est, necessario vel prorsus incorporea est, ne sibi ipsi contradicentem temere faciamus Origenem, ita ut sensus sit: ut corporeâ substantiâ in nihilum redactâ unice mentes superstites sint; vel sicut vox θεὸς, ita *divini* notio latius patet, ut sit divina substantia i. q. quae purgatarum et perfectarum omni ex parte animarum *vehiculum* est. Dubius autem ubique de interitu materiae Origenes est: de Deo incorporeo nullibi, ne in libro IV quidem c. XXXVI e vers. Hier, quo Deum et creaturas rationales *quodammodo* unius substantiae esse autumat, i. e. quatenus hae sint rationales et incorporeae.

13) Verum quoniam seqq.] V. fragm. l. IV, 1. Nullibi fere obscurior atque confusior, et infelicius omni ex parte interpretis munere Rufinus functus est, quam in dimidia parte priore huius capitis. — De hermeneutica Origenis v. Rich. Simon histoire critique des Com-

Digitized by Google

serentibus non sufficit humanis sensibus et communi intellectui summam rei committere, et, ut ita dixerim, visibiliter de invisibilibus pronunciare, assumenda nobis sunt ad probationem horum quae dicimus, etiam divinarum Scripturarum testimonia. Quae testimonia ut certam et indubitatam fidem praestent, sive in his quae dicenda nobis, sive quae iam dicta sunt, necessarium prius videtur ostendere quod ipsae Scripturae divinae sint, id est, Dei spiritu inspiratae. Igitur quam poterimus breviter etiam de hoc assignabimus ex ipsis divinis Scripturis, quae nos competenter moverint proferentes; id est, de Moyse primo legislatore gentis Hebraeae, et ex verbis Iesu Christi, auctoris et principis Christianorum religionis et dogmatis. Cum enim permulti legislatores exstiterint apud Graecos et Barbaros, innumeri quoque doctores vel philosophi veritatem se pollicentes asserere: nullum meminimus legislatorem affectum quendam et studium etiam exterarum gentium animis iniicere potuisse, ut leges suas vel susciperent libenter, vel etiam omni animi intentione defenderent. Nemo ergo eam quae sibi visa est veritatem non solum 157
pluribus aliis exteris nationibus, sed ne uni quidem genti ita insinuare atque innotescere potuit, ut ad

mentateurs du N. T. p. 37; Moshemium de rebus Christ. ante Const. M. p. 629; I. G. Rosenmüller hist. interpretationis librorum s. Tom. III, p. 1 ss.; Guerike de schola Alex. II, 57.

1) humanis sensibus sq.] i. e. argumentationi philosophicae.

3) visibiliter] gr. *τῇ ἐναργείᾳ τῶν βλεπομένων.*

3) assumenda sunt] Confunditur sensus, apodosi hic inserta, quasi in sequentibus testimonia e Scripturis congerere voluisset Origenes. Adaugetur sensus obscuritas addita voce *prius*, quae statim sequitur. Sensus in graeco est: Quum semel testimoniis probemus atque auctoritate sententias nostras, neque hoc ipsum sine ratione fiat, exponamus etc.

9) id est seq.] Addit haec Rufinus.

10) de hoc] sc. quod divinas esse iudicemus Scripturas.

10) assignabimus] i. e. significabimus, ostendemus, ut saepe ap. Rufinum; cf. usum vocum *signare* p. 175 p. m., *designare* p. 188 m.

12) id est] redundant haec; refer ad *ex Scripturis.*

12) primo] non liquet utrum ad *legislatore* retulerit, an adverbialiter acceperit hanc vocem. Parum concinne *de Moyse*, quum sequatur *ex verbis Christi*, cf. graecum textum.

22) non solum] i. q. non solum non. Cf. Ciceronis *non modo, sed,* sensu *non dicam, sed,* in Verrem I, 31, pro Sext. 20.

24) innotescere] barbare apud Rufinum i. q. notum facere.

Digitized by Google

omnes eius scientia vel credulitas perveniret. Et quidem dubitari non potest, quod legislatores optaverint observari ab omnibus, si fieri posset, hominibus leges suas, et magistri, omnibus innotescere eam quae sibi visa fuerat veritatem. Sed scientes quia id omnino non possent, ut virtus in eis aliqua tanta subsisteret qua etiam exteras nationes ad legum suarum vel assertionum observantiam provocarent, ne conari quidem hoc aut incipere omnino ausi sunt, ne imprudentes eos etiam in hoc inefficax et inexplebile notaret inceptum. At vero in omni orbe terrarum, in omni Graecia atque universis exteris nationibus innumeri sunt et immensi, qui relictis patriis legibus et his quos putabant Deos, ad observantiam Moysis legis et discipulatum se Christi cultumque tradiderunt; et hoc non sine ingenti odio adversum se commoto eorum qui simulacra venerantur, ita ut ab his frequenter et cruciatibus affligantur, nonnunquam etiam agantur in mortem. Amplectuntur tamen et cum omni affectu custodiunt doctrinae Christi sermonem.

II. Et est videre quomodo brevi tempore ipsa religio crevit, poenis cultorum mortibusque proficiens, sed et bonorum direptionibus, atque ab his omni genere suppliciorum tolerato; et eo maxime mirum est, quod ne doctores quidem ipsi vel satis idonei sunt, vel satis plures: praedicatur tamen sermo iste in toto orbe terrarum, ita ut Graeci ac Barbari, sapientes et insipientes religionem Christianae doctrinae suscipiant. Ex quo dubium non est hoc humanis viribus aut opibus non agi, ut cum omni credulitate et potestate
158 sermo Christi Iesu apud omnium mentes atque animos convalescat. Nam et praedicta esse ab eo haec ipsa, et divinis ab eo responsis confirmata, manifestum est cum dicit, quia „apud praesides et iudices ducemini

1) credulitas] i. e. fides, cf. p. 157 v. f., 163. med.

6) id non possum, ut] i. e. non sum talis qui etc.

11) in omni orbe — nihil ab eo nocendis, paragr. V.] v. Apol. Pamph. p. 29 seq.

12) universis] exaggerat Rufinus, quae in textu graeco sunt, pro more scriptorum ecclesiasticorum, cf. Gieseleri K. G. I, p. 130.

14) ad observantiam] *vel observantia* Ap. Pamph.

23) poenis etc.] Cf. c. Cels. III, p. 452.

31) credulitate] *persuasione* Ap. Pamph.

35) Matth. X, 18.

Digitized by Google

propter me, in testimonium ipsis et gentibus.“ Et rursum: „Praedicabitur hoc evangelium in omnibus gentibus.“ Et iterum: „Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo manducavimus et bibimus, et in tuo nomine daemonia eiecimus? et dicam eis: Discedite a me operarii iniquitatis, nunquam cognovi vos.“ Quae si ita quidem dicta ab eo fuissent, nec tamen ad finem ea quae praedicta sunt pervenissent, fortasse minus vera esse viderentur, nec habere aliquid auctoritatis. Nunc vero cum in effectum ea quae fuerant ab eo dicta, perveniant, cum tanta autem potestate atque auctoritate praedicta sint, manifestissime declaratur verum esse, quia homo factus salutaria praecepta hominibus tradidit.

III. Quid vero inde dicendum est quod prophetae de ipso ante praedixerant, non cessaturos principes ex Iuda, neque duces de femoribus eius usquequo veniat ille cui repositum est, regnum scilicet, et usquequo veniat exspectatio gentium. Manifestissime enim ex ipsa historia apparet ex his quae hodie pervidentur, quia ex temporibus Christi ultra reges apud Iudaeos non exstiterunt. Sed et illae omnes ambitiones Iudaicae in quibus iactantiae quamplurimum gerebant, et in quibus exsultabant, vel de templi decore, vel de altaris insignibus, atque omnibus illis sacerdotalibus infulis, indumentisque pontificum, simul universa destructa sunt. Completa est enim prophetia quae dixerat: „Per dies multos sedebunt filii Israel sine rege, sine principe: non erit hostia, nec altare, nec sacerdotium, nec responsa.“ His ergo testimoniis utimur adversus eos qui videntur asserere de his quae in Genesi ab Iacob dicta sunt, 150
quod de Iuda dicta sint: et dicunt permanere adhuc principem ex genere Iudae, istum videlicet qui est gentis eorum princeps quem nominant Patriarcham, nec deficere posse de semine eius qui permaneant usque ad adventum eius Christi quem sibi ipsi descri-

2) Matth. XXIV, 14. Addidisse videtur hunc locum Rufinus: non enim in textu graeco reperitur, neque excidisse videtur.

3) Matth. VII, 22. Presse hoc loco sequitur Rufinus textum Origenis; unde concluditur, versionem aliquam latinam in excitando, graeco Origenis textu derelicto, eum non solere sequi.

16) Gen. XLIX.

28) Hos. III, 4.

33) de Iuda] non accurate; cf. text. graecum.

Digitized by Google

bunt. Sed si verum est quod ait propheta, quia „dies multos sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, nec erit hostia, nec altare, nec sacerdotium;“ et utique ex quo subversum est templum, neq hostiae offeruntur, nec altare invenitur, nec sacerdotium constat: certissimum est defecisse principes ex Iuda, sicut scriptum est, et ducem ex femoribus eius usquequo venit ille cui repositum est. Constat ergo quia venit ille cui repositum est, in quo exspectatio gentium est. Quod manifeste videtur impletum de multitudine eorum qui per Christum Deo ex diversis gentibus crediderunt.

IV. Sed et in Deuteronomii cantico per prophetiam designatur pro peccatis prioris populi futura esse insensatae gentis electio, non alia utique quam haec quae per Christum facta est; sic enim ait: „Exacerbaverunt me in simulacris suis, et ego in zelo concitabo eos, in gente insipiente irritabo eos.“ Est ergo satis evidenter agnoscere, quemadmodum Hebraei qui Deum exacerbare dicuntur in his qui non sunt dii, et irritasse eum in simulacris suis, irritati sint et ipsi in zelotypia per gentem insipientem, quam Deus elegit per adventum Iesu Christi, et discipulos eius. Sic enim dicit apostolus: „Videte enim vocationem vestram, fratres, quoniam non multi sapien-
160 tes inter vos secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quae stulta mundi sunt elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae erant prius, destrueret.“ Non ergo glorietur carnalis Israel: ita namque ab apostolo vocatur: „non“ inquam „glorietur caro in conspectu Dei.“

V. Sed et de his quae in Psalmis prophetantur de Christo, quid dicendum est, in eo maxime qui superscribitur „Canticum pro dilecto,“ ubi refertur quia „lingua“ eius „calamus scribae velociter scribentis: Decorus specie super filios hominum,“ quoniam „effusa est gratia in labiis eius“? Indicium autem effusae gratiae in labiis eius hoc est, quod brevi tempore transacto, anno enim et aliquot mensibus docuit, universus tamen orbis doctrina et fide pietatis

6) Gen. XLIX, 10.

15) Deut. XXXII, 21.

23) 1 Cor. I, 26.

29) Ibid. 29. Non excitaverat verba ipsa Origenes.

33) Ps. XLIV, 2. 3.

39) *Pietas* est pia et vera doctrina.

eius impletus est. Orta est ergo „in diebus eius iustitia, et multitudo pacis“ permanens usque ad finem, qui finis ablatio lunae appellatus est; „et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad fines terrae.“ Datum est autem et signum domui David. Virgo enim in utero concepit, et peperit Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus. „Scitote gentes et vincimini.“ Victi enim sumus et superati qui ex gentibus sumus, et velut exuviae quaedam victoriae eius exsistimus, qui eius gratiae colla nostra subiecimus. Sed et locus nativitatis eius praedictus est in Michaea propheta dicente: „Et tu Bethleem, terra Iuda, nequaquam exigua es in ducibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel.“ Sed et septimanae annorum impletae sunt usque ad ducem Christum quas praedixerat Daniel propheta. Adest nihilominus et is qui in Iob 161
dictus est belluam ingentem consumturus, qui et dedit potestatem familiaribus discipulis suis calcare super serpentes, et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici nihil ab eo nocendis. Sed et si quis consideret apostolorum Christi per singula loca discursus, in quibus ab eo missi evangelium praedicarunt, inveniet quod et quae ausi sunt aggredi, supra hominem sunt, et quod explere potuerunt, ex Deo est. Si consideremus quomodo homines novam doctrinam ab eis audientes inferri, suscipere eos potuerunt, vel potius quod saepe eis volentes inferre perniciem divina quadam quae eis aderat virtute repressi sunt, inveniemus nihil in hac causa humanis viribus, sed totum divina virtute ac providentia procuratum, evidentibus procul dubio signis et virtutibus testimonium reddentibus verbo et doctrinae eorum.

His autem breviter demonstratis, id est de dei- VI.
tate Iesu Christi, et de omnibus his quae de ipso prophetata fuerant expletis, simul illud etiam arbitror approbatum, quod et Scripturae ipsae quae de eo

1) Ps. LXXI, 7.

3) ablatio lunae] cf. LXX. l. c.

3) Ibid. 8.

5) Ies. VII, 14.

8) Ies. VIII, 9. Nescio an aliquot verba hoc loco exciderint. Cf. text. gr.

12) Mich. V, 2.

17) Dan. IX.

17) in Iob dictus] *per Iob praedictus* Ap. Pamph.

18) Marc. XV, v. f.

Digitized by Google

prophetaverant, divinitus inspiratae sint, quae vel de adventu eius, vel de potestate doctrinae, vel de omnium gentium assumtione praedixerant. Quibus etiam illud addendum, quod sive prophetarum vaticinatio, sive Moysis lex, divina esse et divinitus inspirata ex eo maxime illuminata est et probata, ex quo in hunc mundum Christus advenit. Ante enim quam complerentur ea quae ab illis fuerant praedicta, quamvis vera essent, et a Deo inspirata, tamen ostendi vera esse non poterant pro eo quod nondum probarentur impleta. Adventus vero Christi
162 vera esse et divinitus inspirata quae dixerant, declaravit, cum utique prius haberetur incertum si eorum quae praedicta fuerant exitus esset implendus.

Sed et si qui cum omni studio et reverentia qua dignum est prophetica dicta consideret, in eo *ipso* dum legit, et diligentius intuetur, certum est quod aliquo diviniore spiramine mentem sensumque pulsatus agnoscet non humanitus esse prolatos eos quos legit, sed Dei esse sermones: et ex semetipso sentiet non humana arte, nec mortali eloquio, sed divino, ut ita dixerim, cothurno libros esse conscriptos. Legem ergo Moysis splendor adventus Christi per fulgorem veritatis illuminans, id quod superpositum erat literae eius velamen, abstraxit, et omnia quae coopertura verbi bona tegebantur, universis in se credentibus reseravit.

VII. Verum satis operosa res est enumerare singula quae a prophetis olim praedicta sunt, qualiter et quando completa sint, ut ex his videamur eos qui dubitant confirmare; quum possibile sit unicuique volenti de his diligentius noscere, ex ipsis libris veritatis probamenta abundantius congregare. Si vero his qui minus in divinis eruditi sunt disciplinis non statim in prima fronte literae sensus qui supra hominem est videtur occurrere, nihil mirum est quod quae divina sunt ad homines paulo lentius deferun-

6) illuminata] quum sensus allegoricus recluderetur.

35) qui supra hominem est] gr. ὑπὲρ ἄνθρωπον, non *qui sine adiutorio divino intelligi non potest*, sed *qui divinus est, divinitus literis insertus*.

37) quae divina sunt] *i. e.* quae Dei sunt, ad Deum pertinent, ex. c. *τὰ προνοίας ἔργα*.

37) deferuntur] i. e. coelitus aperiuntur. Haec sententia in textu gr. non est.

Digitized by Google

tur, et eo magis latent, quo quis vel incredulus fuerit, vel indignus. Nam cum certum sit omnia quae hoc in mundo sunt, vel geruntur, Dei providentia dispensari, quaedam quidem satis evidenter apparent, quod providentiae gubernatione digesta sint; alia vero tam occulte tamque incomprehensibiliter explicantur, ut penitus in his lateat divinae ratio providentiae: ita ut interdum a nonnullis nec credantur quaedam ad providentiam pertinere, quoniam ratio ab eis latet per quam ineffabili quadam arte opera divinae providentiae dispensantur; quae tamen ratio non aequaliter omnibus occultata est. Nam et inter ipsos homines ab alio minus, ab alio amplius consideratur; plus vero ab omni homine qui in terris est, quisquis 163
ille est coeli habitator, agnoscitur. Et aliter claret corporum ratio, aliter arborum, aliter animalium; aliter vero tegitur animorum; et diversi rationabilium mentium motus, qualiter per divinam providentiam dispensentur, plus quidem homines, non parum tamen, ut ego arbitror, etiam angelos latet. Sed sicut non idcirco refellitur divina providentia ab his maxime qui eam esse certi sunt, qui opera eius vel dispensationes humanis ingeniis comprehendere non possunt: ita ne Scripturae quidem sanctae divina esse inspiratio quae per corpus eius extenditur, propterea non putabitur, quod infirmitas intelligentiae nostrae non valet per singula verba occultas et latentes investigare sententias, dum in vilioribus et incomtis verborum vasculis divinae sapientiae thesaurus absconditur, sicut et apostolus designat, dicens: „Habemus autem thesaurum hunc in vasis fictilibus,“ ut eo magis divinae potentiae virtus effulgeat, dum nullus humanae eloquentiae fucus in dogmatum veritate miscetur. Si enim vel arte rhetorica, vel philosophica calliditate conscripti libri nostri ad credendum illicerent homines, sine dubio fides nostra putaretur in verborum

1) vel incredulus seqq.] i. e. vel veritatis sensu, vel morum castitate careat.

13) consideratur] barbare ap. Rufinum sensu passivo.

14) quisquis cet.] i. e. qualis sit solis et siderum ratio et usus, cf. text. gr.: ὡς ἐν ἡλίῳ κ. τ. λ. Perquam confuse haec interpretatus est.

15) claret] i. e. perspicitur, in aprico est, aperte intelligitur.

25) per corpus eius] i. e. per eam universam, gr. εἰς πᾶσαν αὐτήν.

30) 2 Cor. IV, 7.

arte consistere atque in sapientia humana, et non in virtute Dei. Nunc vero omnibus notum est, quod praedicationis huius verbum ita a quamplurimis in omni pene orbe susceptum est, ut non in suasoriis humanae sapientiae verbis, sed in ostentatione spiritus et virtutis esse intelligerent quae credebant. Propter quod coelesti virtute, imo etiam plus quam coelesti, ad fidem credulitatemque perducti, pro eo scilicet ut solum omnium creatorem Deum nostrum colamus, tentemus et nos niti magnopere, quo derelinquentes initiorum Christi sermonem quae sunt prima initia scientiae, ad perfectionem feramur, ut illa sapientia quae perfectis traditur, etiam nobis tradatur. Ita namque pollicetur ille cui commissa est huius sapientiae praedicatio, dicens: „Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius mundi, neque principum huius mundi qui destruentur.“ Ex quo ostendit quia nihil commune habeat haec nostra sapientia, quantum ad sermonis decorem pertinet, cum mundi huius sapientia. Haec igitur sapientia clarius et perfectius describetur in
164 cordibus nostris, si nobis patefacta fuerit secundum revelationem mysterii quod temporibus aeternis absconditum est, nunc autem manifestum est per Scripturas propheticas, et Salvatoris nostri Iesu Christi; cui est gloria in aeterna saecula. Amen.

Quod multi spiritaliter non intelligentes Scripturas, et male intelligentes, in haereses declinarunt.*)

VIII. His igitur breviter assignatis de eo quod per Spiritum sanctum Scripturae divinae inspiratae sunt, necessarium videtur etiam illud explicare, quo pacto non recte quidam legentes erroribus se quamplurimis tradiderunt, pro eo quod qua via ad intelligentiam divinarum literarum debet incedi, a quamplurimis

7) imo etiam] gr. ἢ καί.

7) plus quam coelesti] i. e. Dei ipsius, non angelorum.

15) 1 Cor. II, 6. Non diserte in textu gr. excitatur hic locus.

20) mundi huius sapientia] i. e. philosophia ethnicorum et haereticorum. Cf. fragm. l. IV, p. 51, n.; hom. VII in Lev. p. 226; c. Cels. VII, p. 708 s. His in locis sensum legis literalem summopere extenuat.

23) Rom. XVI, 25.

*) In editionibus ante Ruaeum a paragrapho VIII. orditur caput secundum.

27) assignatis] i. e. significatis, adumbratis, v. supra p. 156.

Digitized by Google

ignoretur. Denique Iudaei per duritiam cordis sui, et dum sibimetipsis volunt videri sapientes, Domino et Salvatori nostro non crediderunt, ea quae de ipso prolata sunt secundum literam debere intelligi existimantes: id est, quod sensibiliter ac visibiliter debuerit praedicare captivis remissionem, et quod debuerit prius aedificare civitatem quam vere putant esse civitatem Dei, simul et exterminare currus Ephrem, et equum de Ierusalem; sed et butyrum et mel manducare, ut priusquam cognosceret proferre malum, eligeret bonum; sed et lupum, animal istud quadrupes, existimarunt esse prophetatum quia deberet in adventu Christi pasci cum agnis, et pardus requiescere cum hoedis, vitulus autem et taurus simul cum leonibus pasci, et a parvulo puero duci ad pascua; bovem vero et ursum simul in pastibus recubare, eorumque foetus pariter enutriri; leones quoque una cum bobus adstare praesepibus et vesci paleis. Horum igitur omnium quae de eo prophetata sunt nihil gestum 165
esse secundum historiam pervidentes, in quibus praecipue signa adventus Christi observanda esse credebant, suscipere praesentiam Domini nostri Iesu Christi nolebant: quin imo et velut contra ius fasque, id est contra prophetiae fidem, assumentem eum sibi Christi nomen, cruci illum affixerunt. Tum vero haeretici legentes quod in lege scriptum est: „Ignis accensus est ex furore meo," et: „Ego Dominus zelans et reddens peccata patrum in filios in tertiam et quartam progeniem," et: „Poenitet quod unxi Saul in regem," et: „Ego Dominus qui facio pacem, et creo mala," et iterum: „Non est malitia in civitate quam Dominus non fecerit," et: „Descenderunt mala a Domino super portas Ierusalem," et: „quod spiritus malignus a Deo suffocabat Saul," et multa alia his similia, quae scripta sunt, legentes, dicere quidem eas non

8) Zach. IX, 10.

9) Ies. VII, 15.

10) ut priusquam] Vetat Origenes, ne ad vitam Salvatoris terrestrem haec verba referantur, quum potius ad animam, nunquam ne in vita quidem antemundana a Deo abalienatam, spectent.

11) Ies. XI, 6 seqq.

26) Ier. XV, 14.

27) Exod. XX, 5.

29) 1 Sam. XV, 11.

30) Ies. XLV, 7.

31) Amos III, 6.

32) Mich. I, 12.

33) 1 Sam. XVIII, 10.



Digitized by Google

esse Dei Scripturas non ausi sunt, sed eas conditoris Dei illius, quem Iudaei colebant, putarunt quem iustum tantummodo, non etiam bonum credi debere existimaverunt: Salvatorem vero advenisse, ut perfectiorem nobis annunciaret Deum, quem negant esse conditorem mundi, diversis etiam de hoc ipso opinionibus dissidentes; quoniam quidem semel recedentes a fide creatoris Dei qui est omnium Deus, figmentis se variis ac fabulis tradiderunt, commentantes quaedam, et dicentes alia esse visibilia et ab alio facta, alia vero quaedam invisibilia et ab alio condita, prout eis animae suae phantasia vanitasque suggesserit. Sed et nonnulli ex simplicioribus scilicet eorum qui intra ecclesiae fidem contineri videntur, maiorem quidem creatore Deo nullum esse opinantur, rectam in hoc tenentes sanamque sententiam, verum talia de eo sentiunt, quae nec de aliquo iniustissimo et immitissimo homine sentienda sunt.

IX. Horum autem omnium falsae intelligentiae causa his de quibus supra diximus, non alia exstitit, nisi quod sancta Scriptura ab his non secundum spiritalem sensum, sed secundum literae sonum intelligitur.
166 Propter quod conabimur pro mediocritate sensus nostri his qui credunt Scripturas sanctas non humana verba aliqua esse composita, sed sancti Spiritus inspiratione conscripta et voluntate Dei Patris per unigenitum Filium suum Iesum Christum nobis quoque esse tradita et commissa, quae nobis videntur, recta via intelligentiae observantibus, demonstrare *illam* regulam et disciplinam quam ab Iesu Christo traditam sibi apostoli per successionem posteris quoque suis, sanctam ecclesiam docentibus, tradiderunt.

Et quidem quod dispensationes quaedam mysticae indicentur per Scripturas sanctas, omnes, ut arbitror, etiam simpliciores quique credentium confitentur.

1) conditoris] i. e. Gnosticorum demiurgi.

2) Cf. l. II, cap. V.

10) Alia esse visibilia, alia invisibilia non negat Origenes. Itaque bene reddit Rufinus vocem *ἕτερα*: *alia et ab alio facta.*

19) Cf. fragm. 1. Strom. X, Tom. I. p. 41. Minime tamen omni prorsus utilitate caret sensus verborum literalis, v. mox p. 169.

29) demonstrare seqq.] Parum accurate; cf. text. gr. Consentit fere cum Rufino Semlerus, Baumg. Pol. II, p. 200. Nam *τὸν κανόνα τῆς ἐκκλησίας* arbitratur esse *usum et consuetudinem allegorice interpretandi.*

Digitized by Google

Quae tamen istae vel cuiusmodi sint, si quis rectae mentis est, nec iactantiae vitio fatigatur, religiosius se fatebitur ignorare. Nam si quis, verbi gratia, proponat nobis de filiabus Lot, quod patri contra fas videntur admixtae, vel de duabus uxoribus Abraham, sive de duabus sororibus quae nuptae sunt Iacob, sive de duabus ancillis numerositatem ei augentibus filiorum, quid aliud responderi potest quam esse haec sacramenta quaedam et formas spiritualium rerum, a nobis tamen ignorari cuiusmodi sint? Sed et constructionem tabernaculi cum legimus, certum quidem habemus, quod haec quae scripta sunt, figurae occultarum quarundam rerum sunt: aptare ea tamen suis modis, et per singula aperire atque disserere, perdifficile, ut non dicam impossibile, puto esse. Tamen, ut dixi, descriptionem illam plenam esse mysteriorum, etiam communem non refugit intellectum. Sed et omnis illa narratio quae vel de nuptiis, vel de filiis procreatis videtur esse conscripta, vel de diversis proeliis, vel de quibuslibet aliis historiis, quid aliud quam formae ac figurae credendae sunt latentium sacrarumque rerum? Verum pro eo quod parum studii ad exercendum ingenium homines adhibent, vel quod antequam discant scire se putant, inde fit ut nunquam scire incipiant; aut si certe nec studium defuerit, nec magister, si tamquam divina quaerantur, id est religiose et pie, atque Deo reve- 167
lante in quamplurimis sperentur aperiri (quoniam quidem humanis sensibus valde et difficilia et occulta sunt): tunc demum fortassis qui ita quaesierit, quae invenire fas est inveniet.

Sed ne fortassis tantummodo in propheticis haec X.
difficultas putetur inesse sermonibus, quandoquidem certum est apud omnes stylum propheticum figuris et aenigmatibus consitum esse: quid cum ad Evangelia venimus? Numquid non ibi etiam sensus inte-

1) si quis cet.] gr. *οἱ εὐγνώμονες καὶ ἄτυφοι.*

15) perdifficile cet.] a fine huius paragraphi haec huc transtulit Rufinus. Cf. fragm. l. IV, p. 78 n.

19) vel de filiis cet.] i. e. Genealogiae. Ad Lotum haec non pertinent.

25) scire] i. e. ad gnosin pervenire.

27) atque Deo seqq.] i. e. atque sic, ut cet.

28) quoniam] refer ad *quamplurimis.* Sententia Origenis quidem est, sed non huius loci.

34) figuris] gr. *σκοτεινά*, non *τύποι.*

rior, utpote sensus divinus, latet qui per illam tantummodo gratiam revelatur, quam acceperat ille qui dicebat: „Nos autem sensum Christi habemus, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis, quae et loquimur, non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina spiritus“? Iam vero illa quae Ioanni revelata sunt, si quis legat, quomodo non obstupescet tantam ibi inesse occultationem ineffabilium sacramentorum? in quibus manifeste ab eis etiam qui intelligere non possunt quid in his lateat, intelligitur tamen quod lateat quid. At vero epistolae apostolorum quae quidem videntur aliquibus esse planiores, nonne tam profundis repletae sunt sensibus, ut per eas his qui possunt intelligere divinae sapientiae sensum, quasi per breve quoddam receptaculum, immensae lucis claritas videatur infundi? Unde *quoniam* haec ita se habent, et multi sunt qui in hac *vita* errant, non arbitror esse sine periculo facile pronunciare quemquam nosse vel intelligere ea, quae ut aperiri possint, scientiae clave opus est; quam clavem dicebat Salvator esse apud legisperitos. In hoc loco, licet per excessum quendam, inquirendum ab his tamen puto qui dicunt quod ante adventum Salvatoris non erat veritas apud eos qui in lege versabantur, quomodo a Domino nostro Iesu Christo dicatur, quia claves scientiae apud illos sint qui libros prophetarum et legis habebant in manibus. Ita enim dixit: „Vae vobis, legis doctoribus, qui tulistis clavem scientiae: ipsi non introistis, et volentes *intrare* prohibuistis.“

168 XI. Verum, ut dicere coeperamus, viam quae nobis videtur recta esse ad intelligendas Scripturas et sensum earum requirendum, huiusmodi esse arbitramur, sicut ab ipsa nihilominus Scriptura, qualiter de ea sentiri debeat, docemur. Apud Salomonem invenimus in Proverbiis tale aliquid de divinae Scripturae observantia praecipi. „Et tu“ inquit „describe tibi haec tripliciter in consilio et scientia, et ut respon-

3) 1 Cor. II, 16 et 13.

6) Iohannis enim Evangelio palmam ceteris evangelicis libris posthabitis tribuit, Tom. I in Ioh. p. 4.

21) Cf. text. graecum. — Sensus est: Quum Dominus apud legisperitos clavem scientiae fuisse dicat, sequitur, eos interiorem librorum divinorum sensum perspectum habuisse.

28) Luc. XI, 52.

37) Prov. XXII, 20. 21.

deas verba veritatis his qui proposuerint tibi.“ Tripliciter ergo describere oportet in anima sua unumquemque divinarum intelligentiam literarum: id est, ut simpliciores quique aedificentur ab ipso, ut ita dixerim, corpore Scripturarum; sic enim appellamus communem istum et historialem intellectum; si qui vero aliquantum iam proficere coeperunt, et possunt amplius aliquid intueri, ab ipsa Scripturae anima aedificentur; qui vero perfecti sunt, et similes his de quibus apostolus dicit: „Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius mundi, neque principum huius saeculi qui destruentur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram,“ hi tales ab ipsa spiritali lege quae umbram habet futurorum bonorum, tanquam a spiritu, aedificentur. Sicut ergo homo constare dicitur ex corpore, et anima, et spiritu, ita etiam sancta Scriptura quae ad hominum salutem divina largitione concessa est. Quod nos etiam in libello Pastoris, qui a nonnullis contemni videtur, designatum videmus, cum iubetur Hermas duos libellos scribere, et postea denunciare presbyteris ecclesiae quae a spiritu didicit. Quod his verbis scriptum est: „Et scribes“ inquit „duos libellos, et dabis unum Clementi, et unum Graptae. Et Grapte quidem commoneat viduas et

1) Semina huius sententiae, qua libri sacri cum humana natura comparantur, iam in Philone latent, de migrat. Abrah. p. 450; v. Daehne I, p. 64. Origenis distinctioni inter sensum moralem et spiritalem fere respondet Philonis inter ethicas et physicas allegorias. De Clemente Alex., qui duplicem modo agnoscit sensum, literalem et allegoricum, v. Guerike schola Alex. II, p. 51.

8) Scripturae anima est sensus moralis. Non satis accurate Moshemius hunc sensum partim in dogmatibus de mutationibus quas anima hominis sive mali sive boni subire possit, partim in praeceptis, quibus vita christiani hominis tam interior, quam exterior gubernari debeat, consistere docet, de reb. Christ. p. 639: unice enim ad mores emendandos, non ad dogmatum formam hic sensus pertinet. Nullibi quid sit sensus moralis uberior exponitur ab Origene: exempla interpretationis moralis proferunt Moshemius l. c., Guerike II, p. 74. Videre est ex hom. V in Lev. p. 205 legis mosaicae sensum moralem patere omnibus christianorum doctoribus, dummodo attente legant.

10) 1 Cor. II, 6. 7.

21) contemni] v. Indicem s. v. Past. Hermae.

24) Hermae Pastor vis. 2, 4.

Digitized by Google

orphanos, Clemens vero mittat per omnes civitates
169 quae foris sunt, tu vero annunciabis presbyteris ecclesiae." Est ergo Grapte, quae orphanos iubetur et viduas commonere, purus ipsius literae intellectus; per quem commonentur animae pueriles quae nondum patrem Deum habere meruerunt, et propterea orphanae appellantur. Sed et viduae sunt quae ab illo quidem iniquo viro cui contra legem iunctae fuerant, recesserunt, viduae vero permanent ex eo quod nondum profecerunt in hoc, ut coelesti sponso iungerentur. Clemens vero his qui iam recedunt a litera, in eas quae foris sunt civitates mittere iubetur quae dicta sunt, velut si diceret, ad eas animas quae per hoc aedificatae extra corporis curam et extra desideria carnalia esse coeperunt. Ipse vero, qui a Spiritu sancto didicerat, non per literas, neque per libellum, sed viventi voce iubetur annunciare presbyteris ecclesiae Christi, id est, his qui maturum prudentiae sensum capacem doctrinae spiritalis gerunt.

XII. Illud sane non ignorandum, esse quaedam in Scripturis in quibus hoc quod diximus corpus, id est consequentia historialis intelligentiae, non semper invenitur, sicut in consequentibus demonstrabimus: et est ubi ea quam diximus anima, vel spiritus, solummodo intelligenda sunt. Quod etiam in Evangeliis designari puto, cum dicuntur pro purificatione Iudaeorum sex hydriae positae capientes metretas bi-

8) iniquo viro] sc. literali sensui.

14) extra corporis cet.] quae corpus, sicuti decet, iam non curant; affectibus carnalibus liberi.

15) Ipse] sc. Hermas.

16) neque per libellum] idem quod *non per literas*. Additum est a Rufino, qui illud *non per literas* idem esse quod *non per sensum literalem* censuisse videtur.

23) et est ubi seqq.] Christianorum interpretum ante Origenem nemo docuerat, ullibi in sacro codice sensum literalem prorsus pessumdandum esse. Itaque novi aliquid in ecclesiam induxit, idque, ut Moshemio videtur de reb. *Christ. p.* 633, e Neoplatonicorum interpretationibus petitum. Philo tamen Iudaeos interdum verborum potestatem tollere videtur, et σκάνδαλα libris sacris inserta s. προσκόμματα agnoscit: sed vehementer vituperat de migr. Abrah. p. 450 Mang. eos, qui in solo mystico legis mosaicae sensu acquiescant. Ad Therapeutas et Essenos haec pertinere videntur.

27) Ioh. II. Itaque nullibi unus tantummodo, sed ad minimum duo sensus reperiuntur. Errat Ruaeus qui nonnullibi solum sensum literalem, nonnullibi solum moralem vel solum mysticum locum habere

nas, vel ternas, in quo, ut dixi, hoc videtur sermo evangelicus indicare de his qui dicuntur in occulto ab apostolo Iudaei, quod hi purificentur per verbum Scripturae, capientes interdum quidem duas metretas, id est animae vel spiritus secundum quod supra diximus intellectum recipientes: interdum autem tres, cum etiam corporalem intelligentiam quae est historiae, servare lectio ad aedificationem potest. Sex vero hydriae consequenter dictae sunt de his qui in mundo positi purificantur. In sex enim diebus, qui perfectus est numerus, mundum hunc et omnia quae in eo sunt legimus consummata. Quanta igitur sit utilitas in hoc primo quem diximus historiali 170
intellectu, testimonio est omnium credentium multitudo, quae et satis fideliter et simpliciter credit, nec multa assertione indiget, quod palam omnibus patet. Eius vero intelligentiae, quam velut animam esse Scripturae supra diximus, exempla nobis quamplurima dedit apostolus Paulus, sicut est in prima epistola ad Corinthios. Scriptum est enim: „Non infrenabis bovem triturantem.“ Tunc deinde explanans qualiter praeceptum istud deberet intelligi, addit dicens: „Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique dicit? Propter nos enim scriptum est, quia debet qui arat in spe arare, et qui triturat, in spe percipiendi.“ Sed et alia huiusmodi quamplurima quae hoc modo sunt interpretata de lege, instructionem quamplurimam audientibus conferunt.

Spiritalis autem explanatio est talis, si quis potest XIII.

docet, Praef. in Tom. II, p. XI. Cf. hom. XI in Num. p. 305.

2) Rom. II.

11) qui perfectus est] Cf. Philo de opif. mundi p. 3: — ἀριθμῶν δὲ φύσεως νόμοις γεννητικώτατος ὁ ἕξ. τῶν γὰρ ἀπὸ μονάδος πρῶτος τέλειός ἐστιν, ἰσούμενος τοῖς ἑαυτοῦ μέρεσι, καὶ συμπληρούμενος ἐξ αὐτῶν· ἡμίσους μὲν τριάδος, τρίτου δὲ δυάδος, ἕκτου δὲ μονάδος, καὶ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἄῤῥην τε καὶ θῆλυς εἶναι πέφυκε, καὶ ἐκ τῆς ἑκατέρου δυνάμεως ἥρμοσται. Haec de hoc numero sententia in ecclesiam transiit: Pythagorei numerum et decimum propter decem sphaeras, et quartum ad elementa pertinentem, omnium perfectissimos habuerunt, Rixner Gesch. der Phil. I, p. 99.

20) 1 Cor. IX, 9.

29) Sequitur ex hoc loco bipartitum esse sensum spiritalem sive mysticum, quippe qui quum ad coelestem mundum terrestris archetypum, tum ad ecclesiam sive ad Novum Test. in Veteri latens pertineat. Posterius hoc mystici sensus genus describitur inde a verbis *vel*

Digitized by Google

ostendere quorum coelestium exemplaribus et umbrae deserviunt hi qui secundum carnem Iudaei sunt, et quorum futurorum umbram lex habet, et si qua huiusmodi in Scripturis sanctis inveniuntur; vel cum requiritur quae sit illa sapientia in mysterio abscondita „quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit;“ vel illud quod dicit ipse apostolus, cum exemplis quibusdam utitur de Exodo, vel Numeris, et ait quia „haec in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter nos in quos fines saeculorum devenerunt:“ et occasionem nobis praestat intelligentiae, ut possimus advertere quorum figurae erant ista quae illis accidebant, cum dicit: „Bibebant de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus.“ Sed et de tabernaculo in alia epistola meminit illius dicti, quod Moysi fuerat praeceptum: „Facies“ inquit „secundum formam, quae tibi est in monte ostensa.“ Ad Galatas vero scribens, et verbis exprobrans quibusdam qui videntur sibi legere legem,
171 nec tamen intelligunt eam pro eo quod allegorias esse in his quae scripta sunt ignorant, ita cum increpatione quadam ad eos dicit: „Dicite vos, mihi qui sub lege vultis esse, legem non audistis? Scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera. Sed qui de ancilla natus est, secundum carnem natus est, qui autem de libera, secundum repromissionem: quae sunt allego-

*cum requiritur.* Nam ecclesia est *mundus mysticus terrenus* sive *nova κτίσις* Tom. VI. in Ioh. p. 158, sed praeter eam alius est coelestis mundus, de quo vide quae seqq. p. 181. Utriusque mundi mystici historiam Scriptura continet. Placuit Moshemio de rebus Christ. p. 644 alterum hunc sensum, qui ad ecclesiam pertineat, allegoricum; alterum qui ad res futuras spectet, anagogicum vocare, quamvis serioris aevi haec nomina esse recte concedat; cf. fragm. l. IV, p. 56 n. Medii aevi enim est sensus *multipliciter sursum ducentis* sive ad christianam ἐλπίδα pertinentis accuratior definitio. Sed apparet rem ipsam iam ab Origene in medium prolatam esse. Ceterum non in omnibus locis uterque sensus mysticus inest, in nonnullis nonnisi alteruter. Concluditur haec res ex Origenis interpretationibus, quibus saepenumero alterutrum tantummodo sensum persequitur.

6) 1 Cor. II, 7.

10) Ibid. X, 11.

14) Ibid. 4.

17) Exod. XXV, 40; cf. Hebr. VIII, 5.

23) Gal. IV, 21 ss.

Digitized by Google

rica. Haec enim sunt duo Testamenta." In quo et hoc quoque considerandum est quam caute apostolus dixerit, quod ait: „Qui sub lege estis, legem non audistis?" *Audistis*, hoc est, intelligitis et cognoscitis. Sed et in epistola ad Colossenses breviter sensum totius legis amplectens et constringens: „Nemo ergo" inquit „vos iudicet in esca, vel in potu, aut in solemnibus diebus, vel neomenia, vel sabbato, quae sunt umbra futurorum." Ad Hebraeos quoque scribens, et de his qui ex circumcisione sunt disserens, ait: „Hi qui exemplari et umbrae deserviunt coelestium." Sed fortassis per haec de quinque libris Moysis non videbitur dubitandum ab his qui apostoli scripta velut divinitus dicta suscipiunt. De reliqua vero historia si requirant, etiam illa quae ibi inseruntur, in figura illis de quibus scribuntur, dicenda sunt contigisse, observavimus nos etiam de hoc dictum esse in epistola ad Romanos ubi de Regnorum libro tertio, ponit apostolus exemplum dicens: „Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal." Quod Paulus accepit velut figuraliter dictum de his qui secundum electionem Israelitae vocati sunt, ut ostenderet non solum nunc gentibus profuisse adventum Christi, sed quamplurimos etiam Israelitici generis ad salutem vocatos.

Quae cum ita sint, qualiter nobis de his singu- XIV.
lis intelligenda sit Scriptura divina, velut exempli
et formae gratia quae nobis occurrere poterunt ad-
umbrabimus, illud primo repetentes et ostendentes 172
quoniam Spiritus sanctus, providentia et voluntate Dei,
per virtutem unigeniti verbi eius qui erat in princi-
pio apud Deum Deus, ministros veritatis prophetas
et apostolos illuminabat ad cognoscenda mysteria
earum rerum vel causarum quae inter homines, vel
de hominibus geruntur. Homines autem nunc dico
animas in corporibus positas, quae illa mysteria co-

6) Coloss. II, 16.

11) Hebr. VIII, 5.

19) Rom. XI, 4.

27) velut exempli cet.] gr. ὑποτυπωτέον.

34) inter homines vel de hominibus] gr. κατὰ τοὺς ἀνθρώπους. Parum feliciter haec reddidit interpres.

35) Homines autem seqq.] In alienum sensum contorquet textum graecum.

36) quae illa] Ad *animas* haec referenda sunt. Nam vocem *homi-*

Digitized by Google

gnita sibi et revelata per Christum, velut humana quaedam gesta narrantes, vel legales quasdam observantias praeceptaque tradentes figuraliter describebant; ut non qui velit haec velut conculcanda ante pedes haberet exposita, sed qui se huiusmodi studiis cum omni castimonia et sobrietate et vigiliis dedisset, ut per haec forte in profundo latentem sensum spiritus Dei, et sermonis usitata narratione alio rursum prospicientem contextum investigare posset, atque ita socius scientiae spiritus, et divini consilii particeps fieret: quia nec aliter potest anima ad scientiae perfectionem venire, nisi divinae sapientiae fuerit inspirata veritate. Igitur de Deo, id est de Patre et Filio et Spiritu sancto ab his viris divino Spiritu repletis principaliter designatur; tum vero de sacramentis Filii Dei, quomodo verbum caro factum sit, et qua de causa usque ad formam servi percipiendam venerit, ut diximus, repleti divino spiritu protulerunt. Necessario deinde etiam de creaturis rationabilibus, tam coelestibus quam terrenis beatioribus, consequens erat eos mortalium genus divinis sermonibus edocere; sed et differentiam animarum, et unde istae differentiae ortae sint; tum deinde quid sit hic mundus, et quare factus; sed et unde malitia tanta ac talis est super terras; quae utrum in terris sit tantummodo, an et in aliis aliquibus locis, ex divinis nos sermonibus discere necessarium fuit.

nes de *sacris auctoribus* perperam acceperat.

15) principaliter] gr. *ὡς προηγούμενα.* Sed omisit interpres illud: *ὁ σκόπος ἦν προηγουμένως*, quod praecedit. Itaque sensus, quem parum accurate assecutus videtur Rufinus, est: *Primo loco id sibi proposuit Spiritus sanctus, ut doceat ea, quae ad humanam naturam et ad doctrinam de salute pertinent. Haec autem quo rectius et plenius intelligerentur, praecedere necesse erat locum de Deo, Filio Dei, incarnatione etc. Secundo loco, quum haec mysteria non omnibus hominibus propter ingenii hebetudinem arrideant, ita de iis dicere decrevit Spiritus sanctus, ut sensus moralis inesset literali, et aliquis saltim fructus ad omnes redundare posset. Ipsae adeo literae non omni utilitate carebant, antequam lex christiana percrebuisset: Iudaeis enim usque ad Christum leges etsi non omnes, literali sensu servandae erant.* — Ceterum in textu locorum dogmaticorum ordinem ac seriem, quam in opere de Principiis fere sequitur, aut sequendam sibi proposuerat, brevibus exponit.

26) an et in etc.] ex. c. in aere, quem spiritus maligni replent, inferno etc.

Cum ergo de his talibus et horum similibus Spiritui sancto esset intentio illuminare sanctas animas quae se ministerio dederant veritatis, secundo habetur ille prospectus, ut propter eos qui vel non possent vel nollent huic se labori atque industriae tradere quo haec tanta ac talia doceri vel agnoscere 173
mererentur, sicut superius diximus, involveret et occultaret sermonibus usitatis sub praetextu historiae cuiusdam et narrationis rerum visibilium arcana mysteria. Inducitur ergo visibilis creaturae narratio et primi hominis conditio atque figmentum; tum deinde ex illo per successionem secuta progenies, nonnulla quoque rerum gestarum quae a iustis quibusque gesta sunt referuntur, etiam interdum delicta quaedam eorum commemorantur tanquam hominum; tum deinde et impiorum scribuntur aliquanta, vel impudice vel nequiter gesta. Miro autem modo et proeliorum digesta narratio est, et nunc vincentium nunc victorum descripta diversitas, per quae ineffabilia quaedam his qui huiusmodi dicta perscrutari norunt sacramenta declarantur. Sed et Scripturae legali per admirandam sapientiae disciplinam lex veritatis inseritur, et prophetarum; quae singula divina quadam arte sapientiae velut indumentum quoddam et velamen spiritalium sensuum texta sunt, et hoc est quod diximus Scripturae sanctae corpus: ut etiam per hoc quod diximus literae indumentum, sapientiae arte contextum, possent complures aedificari et proficere, qui aliter non possent.

XV. Sed quoniam si in omnibus indumenti huius, id est historiae, legis fuisset consequentia custodita

4) prospectus] gr. σκοπός.

11) conditio atque figmentum] i. e. anthropogonia. Sequitur brevis adumbratio librorum Vet. Testamenti.

14) eorum] sc. iustorum.

15) tanquam hominum] i. e. qui, quum homines sint, peccare potuerunt. Alibi accipiendum est illud *tanquam* sensu hoc: quasi hominum fuissent illa peccata, quae vel nunquam gesta sunt, sed solum eum in finem ut προσκόμματα lectoribus essent ad altiorem sensum quaerendum, inserta sunt. Cf. Paragr. XV. Sed textus gr. hoc loco aliam interpretationem commendat.

17) proeliorum] cf. quae seqq. p. 194.

23) et prophetarum] sc. Scripturae sive libris; de suo addidit Rufinus.

30) indumenti — historiae] Addit Rufinus.

31) legis consequentia] gr. τὸ τῆς νομοθεσίας χρήσιμον.

et ordo servatus, habentes continuatum intelligentiae cursum non utique crederemus esse aliud aliquid in Scripturis sanctis intrinsecus praeter hoc quod prima fronte indicabatur inclusum: ista de causa procuravit divina sapientia offendicula quaedam vel intercapedines intelligentiae fieri historialis, impossibilia quaedam et inconvenientia per medium inserendo; ut interruptio ipsa narrationis velut obicibus quibusdam legenti resistat obiectis, quibus intelligentiae huius vulgaris iter ac transitum neget, et exclusos nos ac recussos revocet ad alterius initium viae, ut ita cel-
174 sioris cuiusdam et eminentioris tramitis per angusti callis ingressum immensam divinae scientiae latitudinem pandat. Oportet autem etiam illud nos scire, quia cum principaliter prospectus sit Spiritui sancto intelligentiae spiritalis consequentiam custodire, vel in his quae geri debent, vel quae iam transacta sunt: sicubi quidem invenit ea quae secundum historiam gesta sunt aptari posse intelligentiae spiritali, ordinis utriusque textum uno narrationis sermone composuit, altius semper arcanum sensum recondens; ubi autem spiritali consequentiae rerum gestarum historia convenire non poterat, interdum interseruit quaedam vel minus gesta, vel quae omnino geri non possent, interdum etiam quae possent quidem geri, nec tamen gesta sunt: et nonnunquam paucis sermonibus qui secundum corporalem intelligentiam non videntur servare posse veritatem, interdum multis insertis hoc facit, quod praecipue in legislatione frequentari invenitur, ubi multa quidem sunt quae in ipsis corporalibus praeceptis utilia esse manifestum est, aliquanta tamen sunt in quibus nulla prorsus ratio utilitatis ostenditur: interdum vero et impossibilia de-

14) Prima causa s. ratio, quod a veritate historica recederet Spiritus sanctus, erat, ut avocaret interpretes a sensu literali; secunda nunc sequitur ratio: non potuit servari ubique veritas historica.

17) quae geri debent] i. e. in legis praeceptis.

24) vel minus gesta] gr. τὸ μὴ γενόμενον. Sensus verborum videtur esse: *non prorsus sic ut narrantur gesta*; aut illud *quae possent quidem geri, nec tamen gesta sunt*, bis a Rufino repetitur. In sequentibus regulae latent, quae in iudicando, utrum sensus literalis pessumdandus sit necne, sequendae sunt. Omnia, quae vel inutilia aut Deo hominibusque piis indigne dicta videantur, in sensum altiorem trahenda sunt.

Digitized by Google

cernuntur. Quae omnia, ut diximus, idcirco procuravit Spiritus sanctus, ut ex his dum ea quae in prima fronte sunt, vera vel utilia esse non possunt, ad inquisitionem veritatis altius repetitae revocemur, et dignum Deo sensum in Scripturis quas a Deo inspiratas credimus perquiramus. Non solum autem de XVI.
his quae usque ad adventum Christi scripta sunt, haec Spiritus sanctus procuravit, sed utpote unus atque idem Spiritus et ab uno Deo procedens, eadem similiter etiam in evangelistis et apostolis fecit. Nam ne illas quidem narrationes quas per eos inspiravit, absque huiuscemodi quam supra exposuimus sapientiae suae arte contexuit. Unde etiam in ipsis non parva permiscuit, quibus historialis narrandi ordo interpolatus vel intercisus per impossibilitatem sui reflecteret atque revocaret intentionem legentis ad intelligentiae interioris examen.

Sed ut rebus ipsis quod dicimus agnoscatur, ipsa 17
iam Scripturae loca pulsemus. Cuinam quaeso sensum habenti consequenter videbitur dictum, quod dies prima et secunda et tertia, in quibus et vespera nominantur et mane, fuerint sine sole et sine luna et sine stellis; prima autem dies sine coelo? Quis vero ita idiotes invenietur, ut putet velut hominem quendam agricolam Deum plantasse arbores in paradiso, in Eden contra orientem, et arborem vitae plantasse in eo, id est, lignum visibile et palpabile, ita ut corporalibus dentibus manducans quis ex ea arbore, vitam percipiat, et rursus ex alia manducans arbore, boni et mali scientiam capiat? Sed et illud quod Deus post meridiem deambulare dicitur in paradiso, et Adam latere sub arbore, equidem nullum arbitror dubitare quod figurali tropo haec a Scriptura proferantur, quo per haec quaedam mystica indicentur. Cain vero exiens a facie Dei manifeste prudentem lectorem movet, ut requirat quae facies Dei sit, et quomodo quis exire possit ab ea. Verum ne nos opus quod habemus in manibus iusto amplius dila-

11) per eos inspiravit] i. e. iis inspiratam eorum ope exhibuit. Addidit haec Rufinus.

13) in ipsis] sc. apostolis et evangelistis, i. e. in Evangeliis et Apostolo.

18) sed ut — pulsemus] Inseruit haec Rufinus.

30) boni et mali cet.] Cf. l. III, p. 153. Gen. II.

35) Gen. IV.

Digitized by Google

-temus, perfacile est omni volenti congregare de Scripturis sanctis quae scripta sunt quidem tanquam facta, non tamen secundum historiam competenter et rationabiliter fieri potuisse credenda sunt. Haec vero Scripturae species etiam in evangelicis libris affatim abundeque signatur, cum in excelsum montem Iesum imposuisse diabolus dicitur, ut inde ei universa mundi regna monstraret et gloriam eorum. Quod secundum literam quomodo fieri potuisse videbitur, ut vel in excelsum montem educeretur a diabolo Iesus, vel etiam carnalibus oculis eius tanquam subiecta, et adiacentia uni monti omnia mundi ostenderet regna, id est, Persarum regnum, et Scytharum, et Indorum, vel quomodo etiam reges ipsorum glorificantur ab hominibus? Sed et alia quamplurima his similia in Evangeliis inveniet quicunque attentius legerit, et advertet his narrationibus quae secundum literam
176 prolatae videntur inserta esse simulque contexta ea quae historia quidem non recipiat, spiritalis autem teneat intellectus.

XVII. Sed et in praeceptorum locis similia quaedam inveniuntur. In lege quidem Moysi praecipitur exterminari quidem omne masculinum quod non fuerit octava die circumcisum: quod valde inconsequens est, cum oporteret utique, si lex secundum historiam servanda tradebatur, iuberi ut parentes punirentur qui filios suos non circumciderunt, ut et hi qui nutriunt parvulos. Nunc autem dicit Scriptura: „In-

21) Sed et seqq.) Cf. hom. VII in Levit. p. 226: „Si adsideamus literae — erubesco dicere et confiteri quia tales leges dederit Deus. Videbuntur enim magis elegantes vel rationabiles hominum leges, verbi gratia, vel Romanorum vel Atheniensium vel Lacedaemoniorum. Si vero secundum hanc intelligentiam quam docet ecclesia accipiatur Dei lex, tunc plane omnes humanas supereminet leges, et vere Dei lex esse credetur.“ Quomagis autem partes legis, in quibus sensus literalis retinendus est, discernantur a ceteris, quae hoc sensu carent, hanc legem in medium protulit Origenes. Quidquid *legis* nomine in mosaicis libris insignitur, mystice debet exponi: quaecunque vero *mandati*, *praecepti*, *iustitiae testimonii*, *iudicii* vocabulis inscribuntur, ea praeter sensum moralem aut allegoricum grammatico quoque gaudent, hom. XI in Num. p. 304. Lex, inquit, umbram habet futurorum bonorum, non vero mandatum vel iustitiae seqq. — Non est scriptum, pergit, *hoc est mandatum paschae*, sed *haec est lex paschae* etc.

28) Gen. XVII, 14.

circumcisus masculus" id est „qui non fuerit circumcisus, exterminabitur de genere suo." Si vero etiam de impossibilibus legibus inquirendum est, invenimus tragelaphum dici animal quod subsistere omnino non potest, quod inter munda animalia etiam edi iubet Moyses; et gryphum, quem nullus unquam meminit vel audivit humanis manibus potuisse succumbere, manducari prohibet legislator. Sed et de sabbati opinatissima observatione ita dicit: „Sedebitis unusquisque in domibus vestris, nullus movebitur de loco suo in die sabbatorum." Quod utique impossibile est observare secundum literam. Nullus enim homo potest tota die ita sedere ut non moveatur de loco in quo sederit. De quibus singulis hi quidem qui ex circumcisione sunt, et quicunque in Scripturis sanctis nihil amplius intelligi volunt praeter quam indicatur ex litera, haec ne requirenda quidem arbitrantur de tragelapho, et grypho, et vulture: fabulas autem quasdam inanes et frivolas commentantur, ex nescio quibus traditionibus proferentes, de sabbato, dicentes unicuique locum suum reputari intra duo millia ulnarum. Alii vero, ex quibus est Dositheus Samaritanus, notant quidem huiuscemodi expositiones, ipsi autem ridiculosius aliquid statuunt, quia unusquisque quo habitu, quo loco, qua positione in die sabbati fuerit inventus, ita usque ad vesperam debeat permanere, id est, vel si 179 sedens, ut sedeat tota die, vel si iacens, ut tota die iaceat. Sed et quod ait „non levare onus in die sabbati," impossibile mihi videtur. Ex his enim ad fabulas infinitas, sicut sanctus apostolus dicit, Iudaeorum doctores devoluti sunt, dicentes non reputari onus si calceamenta quis habeat sine clavis, onus vero esse si caligulas quis cum clavis habuerit; et siquidem supra unum humerum aliquid portaverit,

1) In more est Rufino addere *id est.* Non sunt in textu LXXvirali haec verba.

1) circumcisus] *octava die* om. Rufinus.

9) Exod. XVI, 29.

21) de sabbato] V. Wineri Reallexicon s. v.

22) ex quibus] Itaque praeter Dositheanos alii eadem severitate utebantur.

27) De paginae numero v. fragm. l. IV, p. 69 n.

29) Ierem. XVII, 21.

31) 1 Tim. I, 4. *Sicut — dicit* add. Rufinus.

onus indicant, si vero supra utrumque, negabunt esse onus.

XVIII. Iam vero si etiam de Evangeliis similia requiramus, quomodo non videbitur absurdum si secundum literam sentiatur quod dicitur: „Neminem in via salutaveritis?“ Hoc enim putant simpliciores quique Salvatorem nostrum apostolis praecepisse. Sed et illud quomodo possibile videbitur observari, in his praecipue locis ubi acerrima hyems gelicidiis est et aspera pruinis, ut neque duas tunicas, neque calceamenta quis habere debeat? Sed et illud quod in dexteram quis maxillam percussus praebere etiam sinistram iubetur, cum omnis qui percutit dextra manu sinistram percutiat maxillam? Sed et illud de impossibilibus habendum est quod in Evangelio scriptum est, ut si oculus dexter scandalizaverit *te*, eruatur: quia etiam si ponamus quod de oculis carnalibus dictum est, quomodo consequens videbitur ut, oculo utroque cernente, ad unum scandali culpa, et hoc ad dextrum referatur? Aut quis extra maximum crimen habebitur ipse sibi inferens manus? Sed fortassis extra haec videbuntur esse literae Pauli apostoli. Et quid est quod dicit: „Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat praeputium.“ Quod primo quidem, si quis diligentius consideret, non videtur ad ea dictum quae ei proposita in manibus habebantur: sermo namque ei erat de nuptiis et castitate praecipiens, et videbuntur utique haec in tali
180 causa superfluo memorata. Secundo vero, quid *obesset* si obscoenitatis vitandae causa eius quae ex circumcisione est, posset aliquis revocare praeputium?

5) Luc. X, 4.

6) Ipse Origenes dum puer esset eiusmodi locos sensu literali intellexerat, nec ipse baculo, duabus vestibus etc. tunc uti solebat, Euseb. h. e. VI, 3.

7) Sed et — debeat] Add. Rufinus. Cf. Matth. X et V.

20) Aut quis — manus] Add. Rufinus, ut videtur tacite Origenis eunuchismum damnans.

23) 1 Cor. VII, 18.

31) posset] non *possit*; v. annotationem ad textum graecum. Nuperrime de ἐπισπασμῷ Iudaeorum disseruit Lübkert in theoll. Studd. u. Kritt. 1835, p. 657. Parte tantummodo praeputii decisa, ἐπισπασμὸς fieri potest: ἀκροβυστία prorsus deleta, ut leges talmudicae iubent, non potest. Cf. Relandi Antiqq. hebr. p. 121. Causa revocandi praeputii Iudaeis aut e Iudaeis conversis erat ignominiae fuga.

Digitized by Google

Tertio, quod certe fieri id omni genere impossibile est.

Haec autem omnia a nobis dicta sunt, ut ostendamus quia hic prospectus est Spiritus sancti, qui nobis Scripturas divinas donare dignatus est, non ut ex sola litera, vel in omnibus ex ea aedificari possimus, quam frequenter impossibilem nec sufficientem sibi adesse deprehendimus, id est, per quam interdum non solum irrationabilia, verum etiam impossibilia designantur: sed ut intelligamus contexta esse quaedam huic visibili historiae, quae interius considerata et intellecta utilem hominibus et Deo dignam proferunt legem.

Ne quis autem suspicetur nos hoc dicere quia XIX.
nullam historiam Scripturae factam esse sentiamus, quoniam aliqua ex his non facta suspicamur; vel nulla praecepta legis secundum literam stare, quoniam quaedam secundum eam dicimus servari non posse, in quibus vel ratio, vel rei possibilitas non admittit; vel ea quae de Salvatore scripta sunt, non putare etiam sensibiliter impleta; vel praecepta eius secundum literam non debere servari. Respondendum ergo est quoniam a nobis evidenter decernitur in quamplurimis servari et posse et oportere historiae veritatem. Quis enim negare potest quod Abraham in duplici spelunca sepultus est in Ebron, sed et Isaac, et Iacob, et singulae eorum uxores? vel quis dubitat quod Sichima in portionem data est Ioseph? vel quod Ierusalem metropolis est Iudaeae, in qua constructum est templum Dei a Salomone? et alia innumerabilia. Multo enim plura sunt quae secundum historiam constant, quam ea quae nudum sensum continent spiritalem. Tum deinde quis non affirmet mandatum hoc quod praecipit: „Honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene sit tibi,“ etiam sine ulla spiritali interpretatione sufficere, et esse observantibus necessarium? maxime cum et Paulus 181
eisdem verbis repetens confirmaverit ipsum mandatum. Quid vero oportet dicere de eo quod dictum

14) Ne quis — et alia quamplurima] V. Apol. Pamph. p. 37.

26) Gen. XXIII. In spelunca Macpelae, LXX: ἐν τῷ διπλῷ σπηλαίῳ.

28) Gen. XLVIII, 22; cf. Ios. XXIV, 32, Ioh. III, 5.

34) Exod. XX, 12.

37) Ephes. VI.



Digitized by Google

est: „Non adulterabis, non occides, non furtum facies, non falsum testimonium dices," et cetera huiusmodi. Iam vero de his quae in Evangelio mandata sunt, ne dubitari quidem potest quin secundum literam quamplurima observanda sint, sicut cum dicit: „Ego autem dico vobis non iurare omnino," et cum ait: „Qui autem inspexerit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo." Sed et apud Paulum apostolum quae praecipiuntur: „Commonete inquietos, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, patientes estote ad omnes," et alia quamplurima. Verumtamen si quis attentius legat, non dubito quod in quamplurimis dubitabit utrum illa vel illa historia putetur vera esse secundum literam, an minus vera; et illud vel illud praeceptum, utrum secundum literam observandum sit, necne. Propter quod multo studio ac labore nitendum est, quatenus unusquisque legentium cum omni reverentia intelligat se divina, non humana verba tractare, quae sanctis libris inserta sunt.

XX. Nos ergo quam videmus in Scripturis sanctis digne et consequenter observari debere intelligentiam, huiusmodi esse arbitramur.

182 Gentem quandam praedicant super terras divinae literae electam esse a Deo, quam plurimis no-

1) Exod. XX, 13 ss.

2) cetera huiusmodi] sc. quae non *legis*, sed *mandati*, *praecepti* etc. titulo insignita reperiuntur.

5) quamplurima] sc. exceptis quae falso literali sensu accipiuntur, velut Matth. V, 30; XIX, 12.

6) Matth. V, 34. Omisit Rufinus locum Matth. V, 22, qui in textu graeco est. Iusiurandum cum plurimis ecclesiae graecae patribus et Pelagio omnino interdicit Origenes, cf. tract. XXXV. in Matth. p. 910.

7) Matth. V, 28. Addit hunc locum Rufinus.

10) 1 Thess. V, 14.

13) quamplurimis] gr. ἐπί τινων.

17) Propter — inserta sunt] Haec sunt Rufini.

20) inserta] parum concinne coniungitur cum *verba;* ad *sententias* proprie pertinet haec vox. *Eadem* voce in explicanda Filii Dei cum humana natura coniunctione supra usus est.

21) Brevior est in hac paragrapho versio Rufini, quam archetypum graecum.

24) De mundo invisibili, quem abhinc descriptum invenies, cf. praeter locos ad l. II citatos Tom. XIX in Ioh. p. 305. Nititur hoc dogma in Platonis de ideis sententia ad sacras literas applicata. Nonnulla tamen addidit Origenes, quae in Platonis dogmate non erant: nam omnia quae inter homines fiunt et eveniunt, in mundo etiam coelesti

Digitized by Google

minibus appellaverunt: interdum enim universa haec gens Israel dicitur, interdum Iacob; et maxime divisa gens ipsa a Ieroboam filio Nabad in duas partes est, et decem tribus quae sub eo factae sunt appellatae sunt Israel, aliae vero duae cum quibus erat etiam levitica tribus, et ea quae ex David regio genere descendebat, Iudas nominata est. Universa autem loca quae habebat gens ista, quae a Deo acceperat, Iudaea dicebantur, in qua metropolis erat Ierusalem; metropolis autem quasi plurimarum urbium mater quaedam dicitur: quarum urbium nomina in aliis quidem divinis libris sparsim frequenter invenies nominata, simul autem in unum contexta continentur in libro Iesu Nave. Cum ergo haec ita XXI. se habeant, elevare quodammodo ex terra et erigere intelligentiam nostram sanctus apostolus volens ait in quodam loco: „Videte Israel secundum carnem.“ Per quod significat utique quod alius Israel sit qui non sit secundum carnem, sed secundum spiritum. Et iterum in alio loco dicit: „Non enim omnes qui ex Israel sunt, hi Israelitae.“

Edocti igitur ab eo quia sit alius secundum [XXII. 183 carnem Israel, et alius secundum spiritum, cum dicit Salvator quia „non sum missus nisi ad oves domus Israel quae perierunt“: non ita accipimus sicut hi qui terrena sapiunt, id est Ebionitae, qui etiam ipso nomine pauperes appellantur; Ebion namque pauper apud Hebraeos interpretatur; sed intelligimus genus esse animarum

evenire, bella, lites, dissidia etc., non docuisse videntur Platonici. Cf. Mosheim de rebus Christ. p. 643. Non tamen quia hic eveniunt, quae eveniunt, in coelo repetuntur, sed quae in coelo fiunt adumbrantur rebus in terra gestis: neque omni ex parte utrique mundi sibi sunt similes, sed nonnunquam relinquenda erat veritas rerum in terra gestarum historica, quomagis res coelestes, quales sint, appareat. Denique non iam gesta sunt in coelesti mundo, quae velut gesta in terra narrantur, sed nonnulla eiusmodi aliquando demum futura sunt, ex. c. quae in libro Numerorum de bellis in fine omnium rerum inter pios et contrarias fortitudines gerendis adumbrantur. Cf. quae de hac re exponuntur ad p. huius quarti libri 187.

17) 1 Cor. X, 18.

20) Rom. IX, 6.

22) Edocti cet.] Omittit Rufinus graeci textus verba inde a vocibus: εἰ γὰρ ἡ κρίσις, usque ad: λόγῳ γεγενημένων.

24) Matth. XXV, 24.

29) interpretatur] gr. ὀνομάζεται.

quae Israel appellantur secundum quod et nominis ipsius designat interpretatio: Israel namque mens videns Deum, vel homo videns Deum interpretatur. Rursus apostolus de Ierusalem talia quidem revelat, quia „quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra! Et in alia epistola sua dicit: „Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Ierusalem coelestem, et multitudinem angelorum col-
184 laudantium, et ecclesiam primitivorum quae adscripta est in coelis.“ Si ergo sunt quaedam animae in hoc mundo quae Israel appellantur, et in coelo civitas aliqua quae Ierusalem nominatur, consequens est ut hae civitates quae gentis israeliticae esse dicuntur, metropolim habeant Ierusalem coelestem, et secundum haec de omni Iuda intelligamus, de qua putamus etiam prophetas mysticis quibusdam *narrationibus* locutos, cum aliqua vel de Iudaea vel de Ierusalem prophetarunt, vel si quae sanctae historiae illa vel illa incursionum genera Iudaeae vel Ierusalem praedicant accidisse. Quaecunque ergo vel narrantur vel prophetantur de Ierusalem, si Pauli verba quasi Christi in eo loquentis audivimus, secundum sententiam ipsius utique de illa civitate quam dicit Ierusalem coelestem, et de omnibus locis vel urbibus quae terrae sanctae urbes esse dicuntur, quarum Ierusalem metropolis est, dicta esse intelligere debemus. Ex ipsis namque civitatibus etiam Salvatorem putandum est, volentem nos ad altiorem

2) Israel namque ss.] In graeco textu non est haec huius vocis interpretatio. Aut e paragr. XXIV., aut aliunde huc eam transtulit Rufinus. Interpretabatur enim hanc vocem Origenes, praeeunte libro apocrypho *ἡ προσευχὴ Ἰωσήφ*, quasi composita esset e verbis אִישׁ רָאָה אֵל.

5) Gal. IV, 26.

6) Hebr. XII, 22.

20) Quaecunque ergo] gr. *ὅσα τοιγαροῦν*. Itaque singula quaeque, quae in terra eveniunt, in invisibili quoque accidunt mundo, qui est supra visibilis coeli firmamentum. Hom. 28 in Num. p. 384 docet, Iudaeam, quae in hoc coelo est, suis quoque montibus, civitatibus, vicis, tribubus, distinctam esse, nec non templo, cultu, sacris suis uti; et sicut Iesus Nave Israelitis in terrestrem Palaestinam, ita Iesus Salvator in coelestem fidelibus dux est. Ad diabolum et contrarias potestates referenda sunt, quae de Aegypto, Babylone etc. in sacris libris reperiuntur. Itaque eas non loca in subterraneo aliquo loco, sed in aere sita habitare arbitratus est.

provocare intellectum, promittere his qui bene commissam sibi ab eo pecuniam dispensarunt, potestatem habere supra decem civitates, vel supra quinque civitates. Si ergo prophetiae quae de Iudaea et Ierusalem, et de Iuda et Israel et Iacob prophetatae sunt, dum non a nobis carnaliter intelliguntur, mysteria quaedam divina significant: consequens utique est etiam illas prophetias quae vel de Aegypto vel de Aegyptiis, vel de Babylonia et Babyloniis, et Sidone ac Sidoniis prolatae sunt, non de Aegypto ista quae in terris posita est, vel Babylone, vel Tyro, vel de Sidone intelligi prophetatas. Neque enim ea quae Ezechiel propheta de Pharaone rege Aegypti prophetavit, convenire alicui hominum possunt, qui regnasse videatur in Aegypto, sicut manifeste textus ipse indicat lectionis. Similiter et ea quae de principe Tyri dicuntur non possunt intelligi de aliquo homine velut rege Tyri dicta; sed et de Nabucho- 185
donosor ea quae multis in locis ab Scriptura dicuntur, et maxime in Esaia, quomodo possibile est nos dicta de homine suscipere? Neque enim homo est qui dicitur cecidisse de coelo, vel qui Lucifer fuit, vel qui mane oriebatur. Sed illa nihilominus quae in Ezechiele dicta sunt de Aegypto, velut in quadraginta annis exterminanda, ita ut pes hominis non inveniatur in ea, et in tantum expugnanda ut per omnem terram eius humanus sanguis usque ad genua exaltetur: nescio si quis intellectum habens hoc de Aegypto ista terrena quae Aethiopiae adiacet, possit advertere. Sed videndum est ne forte ita dignius possit intelligi, quod sicut coelestis est Ierusalem et Iudaea, et gens sine dubio quae habitat in ea, quae dicitur Israel: ita possibile est etiam vicina his loca esse quaedam quae vel Aegyptus vel Babylon, vel Tyrus vel Sidon appellari videantur, eorumque locorum principes, atque animae si quae in illis habitant locis, Aegyptii, Babylonii, Tyrii ac Sidonii appellentur. Ex quibus etiam, secundum illam conversationem quam ibi habent, captivitas quaedam vide-

1) Luc. XIX.

13) Ezech. XXIX et seq.

16) lectionis] ἡ λέξις sunt verba textus et historicus eius sensus.

16) Ezech. XXVI et seq.

20) Ies. XIV.

28) intellectum] gr. νοῦν τις ἔχων.

30) Sed — dispersae] Omiserunt haec Philocaliae editores, quia non satis orthodoxa videbantur.

Digitized by Google

atur effecta per quam de Iudaea in Babyloniam vel Aegyptum, a melioribus et superioribus locis descendisse dicantur, vel in alias quasque gentes esse dispersae.

5 XXIII. Fortassis enim sicut hi qui de hoc mundo secundum communem mortem istam recedentes pro actibus suis et meritis dispensantur prout digni fuerint iudicati, alii quidem in locum qui dicitur infernus, alii in sinum Abrahae, et per diversa quaeque

5) **Fortassis — descendunt]** Haec Hieronymus in ep. ad Avitum p. 767, minus fere accurate quam Rufinus verbum de verbo exprimendo sic exhibet: „Et forsitan quomodo in isto mundo" (*id est, in hac nostra terra*) „qui moriuntur separatione carnis et animae, iuxta operum differentiam diversa apud inferos obtinent loca: sic qui de coelestis Ierusalem, ut ita dicam, administratione moriuntur, ad nostri mundi inferna" (*id est, ad nostrum mundum, qui in inferiori loco quam istae regiones situs est*) „descendunt, ut pro qualitate meritorum diversa in terris possideant loca." Cf. fragm. l. IV. p. 77 τάχα δὲ — χειρόνων. Ibidem subiungit his verbis, inserto *et iterum*, haec quae et Rufinus et Philocalia omiserunt: „Et quia comparavimus de isto mundo ad inferna pergentes animas iis animabus quae de superiori coelo ad nostra habitacula pervenientes quodammodo mortuae sunt, prudenti investigatione rimandum est, an hoc ipsum possimus etiam in nativitate dicere singularum, ut quomodo quae in ista terra nostra nascuntur animae, vel de inferno rursum meliora cupientes ad superiora veniunt, et humanum corpus assumunt, vel de melioribus locis ad nos usque descendunt: sic et ea loca quae supra sunt in firmamento, aliae animae possideant, quae de nostris sedibus ad meliora proficiant; aliae, quae de coelestibus ad firmamentum usque delapsae sunt, nec tantum fecere peccatum, ut ad loca quae *incolimus* truderentur." Quod dicit *de isto mundo*, id sibi vult: de nostra terra; *singularum* i. e. omnium, etiam eorum qui in coelo nascuntur; *cupientes*: Sic. Mart., *capientes* per errorem, ut videtur, typothetae Ruaeus. — Sensus huius loci est: Consideremus utrum sicut homines de terra ad infernum et coelicolae ad terram delabuntur, ita qui coelo altiora habitant loca, ad coelum detrudantur, non tamen ad nostram usque terram, quia minus graviter peccarint. — Fuisse eiusmodi sententiam hoc loco in textu graeco suadent quae addit Hieronymus: Quibus dictis nititur approbare et firmamentum, id est coelum, ad comparationem superioris coeli esse inferos, et hanc terram quam incolimus collatione firmamenti inferos appellari; et rursum ad comparationem inferorum qui subter nos sunt, nos coelum dici, ut quod aliis infernus est, aliis coelum sit. Huius enim sententiae mox in versione Rufini reperiuntur vestigia.

6) istam] quam nos homines in hac terra occumbimus.

Digitized by Google

vel loca vel mansiones: ita etiam ex illis locis velut illic, si dici potest, morientes, a superis in hunc infernum descendunt. Nam ille infernus ad quem hinc morientium animae ducuntur, credo ob hanc distinctionem infernus inferior a Scriptura nominatur, sicut dicitur in Psalmis: „Quia liberasti animam meam ex inferno inferiori.“ Unusquisque ergo descendentium in terram pro meritis vel loco suo quem ibi habuerat, dispensatur in hoc mundo in diversis vel 186 locis, vel gentibus, vel conversationibus, vel infirmitatibus nasci, vel a religiosis, aut certe minus piis parentibus generari, ita ut aliquando contingat Israelitam in Scythas descendere, et Aegyptium pauperem deduci ad Iudaeam. Verumtamen Salvator noster congregare venit oves quae perierant domus Israel, et cum plurimi ex Israelitis non acquievissent doctrinae eius, hi qui ex gentibus erant vocati sunt. Unde consequens videbitur etiam prophetias quae

3) Nam ille seqq.] Desiderantur haec in textu graeco. Aliunde haec transtulisse huc videtur Rufinus.

5) Hunc infernum inferiorem (ad quem locus in Comment. ad Matth. p. 886, ad fragm. gr. excitatus, referendus esse videtur), hom. I in Gen. p. 52 abyssum esse illam quae in initio rerum erat Gen. I, 1, et in eam diabolum aliquando et angelos eius detrusum iri docet. In eundem sensum *tenebras exteriores* Matth. XXII, 13 interpretari solet. Sed coniuncta est cum his caligo ignorantiae et errorum vexatio; et in ea ipsa miseriae summam unice fere verti, ubi liberius loquitur, profitetur. Bene tamen infernus inferior mundo superiori opponitur in ipsius systemate, modo ne de sempiternis poenis sic dici cogites.

6) Cf. Deut. XXXII, 22. Ad quem Psalmorum locum respexerit, reperire non potui.

8) pro meritis vel loco] Sensus est: Si unice pro loco, quem habuerat anima quaeque delapsa, dispensanda esset: Israelitae coelestes Israelitae terrestres, Aegyptii Aegyptii etc. nascerentur; nunc quum pro merito simul dispensentur, Scytha coelestis Israelita terrestris etc. effici potest. Cf. quae sunt in textu graeco.

10) Conversationes idem fere quod περιστάσεις.

13) Exod. XII, 38. Quamvis Aegyptum in libris sacris malorum daemonum typum esse concedat, tamen quoties fieri potest quae in laudem cedant patriae congerere solet.

15) Matth. XV, 24. Etiam haec Salvatoris verba allegorice interpretanda esse, ipsi dubium esse non poterat.

18) Unde seqq.] Cf. hom. XI in Num. p. 307. Puto, inquit, quia sicut quaedam nomina vel gentium vel principum in Scripturis posita videmus quae absque ulla dubitatione ad malos angelos et ad vir-

singulis gentibus proferuntur, revocari magis ad animas debere et diversas mansiones earum coelestes. Sed et historias rerum gestarum quae dicuntur vel genti Israel vel Ierusalem vel Iudaeae accidisse, illis vel illis gentibus impugnantibus, perscrutandum est et perquirendum, quoniam in quamplurimis corporaliter gesta non constant, quomodo magis ista conveniebant illis gentibus animarum quae in coelo isto quod transire dicitur habitant, vel etiam nunc habitare putandae sunt.

Si quis vero evidentes et satis manifestas assertiones horum de Scripturis sanctis exposcat a nobis, respondendum est quia occultare magis haec Spiritui sancto in his quae videntur esse historiae rerum gestarum, et altius tegere consilium fuit; in quibus descendere dicuntur in Aegyptum, vel captivari in Babyloniam, vel in his ipsis regionibus quidam quidem humiliari nimis et sub servitio effici dominorum, alii vero in ipsis captivitatis locis clari ac magnifici habiti sunt, ita ut potestates et principatus tenuerint, regendisque populis praefuerint: quae omnia, ut diximus, abscondita et celata in Scripturae sanctae historiis conteguntur, quia et „regnum coelorum simile est thesauro abscondito in agro, quem cum invenerit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit, et omnia quae habet vendit, et emit agrum illum.“ In quo diligentius considera, si non indicatur quod solum ipsum et superficies, ut ita dixerim, Scripturae, id est quod secundum literam legitur, ager est repletus et florens omnium generum plantariis: ille vero altior et profundior spiritalis intellectus, ipsi sunt thesauri sapientiae et scientiae absconditi quos Spiritus sanctus per Esaiam obscuros et invisibiles et absconditos thesauros vocat; qui ut inveniri possint, Dei adiutorio opus est, qui solus potest portas aereas

tutes contrarias referantur: ita etiam ea quae de sanctis viris et gente religiosa scribuntur, ad sanctos angelos et ad benignas debemus referre virtutes.

7) non constant] i. e. probari non potest ex historia, utrum vere gesta sint, necne.

15) altius legere] Perobscure enim in divinis libris sensum allegoricum Deus proposuit.

21) quae omnia] Finis lacunae in textu graeco, v. fragm. l. IV. p. 78.

23) Matth. XIII, 44.

33) Ies. XLV.

35) Facultatem Scripturam mystice interpretandi ad dona Spiritus sancti extraordinaria et paucis tantum

Digitized by Google

quibus clausi sunt et absconditi confringere, et seras ferreas vectesque comminuere, quibus prohibetur ingressus perveniendi ad ea omnia quae in Genesi de diversis animarum generibus scripta sunt et obtecta, et de his seminibus ac generationibus quae vel ad propinquitatem pertinent Israel, vel quae ab eius pro- 187
genie longius segregantur; sed et quae sit illa descensio in Aegyptum septuaginta animarum, quae septuaginta animae fiant in Aegypto sicut sidera coeli in multitudine. Sed quia non omnes qui ex ipsis erant, lumen sunt huius mundi: „Non enim omnes qui ex Israel, hi Israelitae sunt“: ex ipsis septuaginta animabus fiunt aliqui et sicut arena quae est ad oram maris innumerabilis.

XXIV.
Quae descensio sanctorum patrum in Aegyptum in hunc mundum videri poterit ad illuminationem ceterorum atque humani generis instructionem a providentia Dei esse concessa, ut per eos ceterae animae illuminatae iuvarentur. Ipsis enim primis concessa sunt eloquia Dei, quoniam solum istud est genus quod videre dicitur Deum: hoc enim Israelis nomen significat interpretatum. Iam vero consequens est ut secundum haec aptari debeat et interpretari illud quod decem plagis Aegyptus verberatur ut Dei populum permittat exire, vel ea quae in deserto cum populo geruntur, vel quod ex collatione omnis populi tabernaculum construitur, vel indumentum sacerdotale contexitur, vel de vasis ministerii quaecunque dicuntur: quia vere, sicut scriptum est, umbram in se formamque coelestium continent. Manifeste enim Paulus ait de illis, quia „umbrae et exemplari deserviunt coelestium.“ In hac eadem lege etiam nihilominus continetur, quibus legibus quibusque institutionibus

Christianis concessa refert, neque ipsi sibi arrogare hoc donum audet. Itaque dubitanter ubique fere interpretationes suas proponit, et saepissime invocat „Dominum suum Iesum, ut quaerentem faciat invenire et pulsanti aperiat,“ hom. V in Levit. p. 209. Soli enim Christo universa patent, quae in Scriptura docentur, et quibus datur sensus Christi, ibid. l. c. Denique saepenumero pollicetur, docilem se fore, si quis a Spiritu sancto eruditus meliora proferat.

3) Gen. V, X cet.

5) de his cet.] Gen. XXV.

11) Rom. IX, 6.

12) ex ipsis septuaginta] sc. discipulis Domini, Luc. X, 1.

21) hoc enim seq.] Cf. supra p. 183 v. f.

26) collatio] i. q. συμβολή.

31) Hebr. VIII, 5.

in terra sancta vivendum sit. Sed et comminationes positae sunt his qui praevaricati fuerint legem: necnon et his qui purificatione indigebant diversa purificationum genera, velut qui frequentius essent polluendi, traduntur, ut per haec tandem ad illam unam purificationem veniat, post quam pollui ultra non licet. Sed et ad numerum populus ipse deducitur, licet non omnes: pueriles namque animae nondum tempus habent ex divino praecepto numerari: sed ne illae quidem animae quae non possunt fieri alterius caput, sed ipsae subditae sunt aliis velut capiti, quas mulieres nominavit, quae utique non adducuntur in numerum illum qui a Deo praecipitur, sed illi soli numerantur qui viri appellantur, quo scilicet ostenderetur non eas posse extrinsecus numerari, sed in his qui viri appellantur etiam eas comprehendi. Praecipue tamen ad sanctum numerum veniunt hi qui parati sunt ad Israelitica bella procedere, qui possunt adversus illos hostes inimicosque bellare quos sedenti a dextris suis Filio subiicit Pater, ut destruat omnem principatum ac potestatem: ut per hos militum suorum numeros qui Deo militantes non se implicant negotiis saecularibus, adversarii regna subvertat; a quibus scuta fidei circumferantur, et sapientiae tela vibrentur, etiam in quibus spei et salutis galea coruscet, ac lorica claritatis Deo plenum muniat pectus. Tales quidem mihi videntur milites indicari et ad huiuscemodi bella praeparari hi qui in divinis libris per Dei praeceptum numerari iubentur. Horum vero multo clariores perfecti-

5) Hebr. IX, 12; cf. VI. Non excluditur hoc loco repetitio mortis Domini expiatoriae; cf. tamen quae seqq. p. 188 v. f.

17) Praecipue tamen cet.] Uberius hanc sententiam de bellis in fine mundi gerendis in graeco textu exposuisse videtur Origenes. Nam accusat eum Hierónymus in ep. ad Avit. p. 767, quod docuerit, in fine omnium rerum quando ad coelestem Ierusalem reversuri simus, fore ut adversariarum fortitudinum contra populum Dei bella consurgant, ne otiosa sit eorum virtus, sed exerceantur ad proelia et habeant materiam roboris, quam consequi eos non posse, nisi fortes primum adversariis institerint; et ratione et ordine et solertia repugnandi hos superari, in libro Numerorum describi (Num. X.). — Cf. Philonis de ultimo proelio victoriae messianae et felicitati sempiternae proxime antevertente sententiam ap. Gfroerer in libri de Philone (Kritische Geschichte des Urchristenth. I) parte eschatologica.

Digitized by Google

oresque designantur illi quorum etiam capilli capitis numerati esse dicuntur. Illi sane qui puniti sunt pro peccatis, quorum corpora ceciderunt in deserto, similitudinem videntur habere eorum qui profecerant quidem non parum, sed ad finem perfectionis pervenire minime potuerunt diversis ex causis: quod vel murmurasse, vel idola coluisse, vel fornicati esse dicuntur, vel tale aliquid quale utique non liceret mente concipere. Sed ne illud quidem sacramento aliquo vacuum puto, quod quidam multa pecora et multa animalia habentes praeveniunt et praeripiunt locum aptum pastibus et nutrimentis pecorum, quem primum Israelitici belli dextra defenderat. Quem locum a Moyse deposcentes, ultra Ior- 188
danis fluenta separantur, atque a terrae sanctae possessione secernuntur. Qui Iordanis videri potest secundum coelestium formam rigare et inundare animas sitientes, et sensus adiacentes sibi. Ubi ne illud quidem otiosum videtur, quod Moyses quidem audit a Deo quae in Levitici lege descripta sunt, populus vero in Deuteronomio auditor Moysis efficitur, et ab illo discit ea quae a Deo audire non potuit. Propterea enim velut secunda lex Deuteronomium dicitur, quod nonnullis significare videbitur hoc ipsum, quod, cessante lege prima quae per Moysen data est, videatur secunda legislatio deformari, quae specialiter a Moyse traditur Iesu successori eius: qui utique formam servare creditur Salvatoris nostri, cuius secunda lege, id est praeceptis evangelicis, ad perfectum omnia perducuntur.

Sed videndum est ne forte magis illud indicare XXV.
videatur, quod sicut in Deuteronomio evidentior et manifestior legislatio declaratur quam in his quae primo scripta sunt, ita et ab eo adventu Salvatoris quem in humilitate complevit, cum formam servi suscepit, clarior ille et gloriosior secundus in gloria Patris eius indicetur adventus, et in illo forma Deu-

1) Matth. X, 30.

10) Num. XXXII.

28) formam] i. e. typum; cf. hom. XXVIII in Num. l. c.

29) secunda lege] cf. Indicem s. v. Testamentum.

31) Sed videndum seqq.] Iam de *anagogico*, qui dici solet, Novi Test. sensu loquitur. Docet Hieronymus l. c. p. 768 dixisse eum, tantum praecedere evangelium sempiternum hoc nostrum evangelium, quantum Christi praedicatio legis veteris sacramenta.

teronomii compleatur, cum in regno coelorum sancti omnes aeterni illius evangelii legibus vivent; et sicut nunc adveniens legem replevit eam quae umbram habet futurorum bonorum, ita et per illum gloriosum adventum implebitur et ad perfectum adducetur huius adventus umbra. Ita enim dixit Propheta de eo: „Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui diximus, quia in umbra eius vivemus in gentibus," cum scilicet ab evangelio temporali dignius omnes sanctos ad evangelium aeternum transferet, secundum quod

2) et sicut — designavit] Sicut enim per umbram evangelii umbram legis implevit: sic quia omnis lex exemplum et umbra est caeremoniarum coelestium, diligentius requirendum, utrum recte intelligamus legem quoque coelestem et caeremonias superni cultus plenitudinem non habere, sed indigere evangelii veritate, quod in Ioannis Apocalypsi evangelium legimus sempiternum, ad comparationem videlicet huius nostri evangelii, quod temporale est, et in transituro mundō ac saeculo praedicatum. Quod quidem etiam si usque ad passionem Domini Salvatoris inquirere voluerimus, quanquam audax et temerarium sit in coelo eius quaerere passionem, tamen si spiritualia nequitiae in coelestibus sunt, et non erubescimus crucem Domini confiteri propter destructionem eorum, quae sua passione destruxit: cur timeamus etiam in supernis locis, in consummatione saeculorum aliquid simile suspicari, ut omnium locorum gentes illius passione salventur? Versio Hieronymi in epist. ad Avitum p. 768. Cf. fragm. l. IV, 2, et quae ibi annotavimus. Ipsa Hieronymi versio novo documento est non de passione Salvatoris in absoluto rerum omnium fine, sed de passione in coelo ἐν τοῖς ἐσχάτοις χρόνοις dixisse Origenem, et hunc in sensum interpretanda esse verba fragmenti graeci. Quod autem *simile aliquid* passioni terrestri in coelo Domino subeundum esse dicit, *id* sic ipse interpretatur: in coelestibus vitalem corporis sui virtutem velut corporale quoddam sacrificium, ministrantibus si qui inibi sint sacerdotibus eum immolasse, hom. I in Lev. p. 186. Neque aliam sententiam ullibi in libris suis, quotquot ad nos pervenerunt, professus est Origenes. Quin imo Tom. VI in Ioh. p. 151 τὴν θυσίαν τοῦ ἐνδελεχισμοῦ tropologice duntaxat i. e. morali sensu interpretatur; nulla Salvatoris, agni Dei de quo tamen loquitur, secunda aut perpetua passio inducitur. Nihilominus non defuerunt inde ab Hieronymo, qui *passurum esse* e mente Origenis Salvatorem docet, et Iustiniano locc. citt. usque ad Moshemium de rebus Christ. p. 657, qui insontem in culpam vocarent. Quae in priori versionis Hieronymianae parte continentur de coelesti lege, ea non ad rem christianam sed ad beatorum et angelorum religionem, aliquando ad absolutam perfectionem perducendam, referenda sunt.

7) Thren. IV, 20.

Digitized by Google

Ioannes in Apocalypsi de aeterno evangelio designavit.

Verum in his omnibus sufficiat nobis sensum XXVI. nostrum regulae pietatis aptare, et ita sentire de sancti Spiritus verbis, quod non secundum humanae fragilitatis eloquium nitet sermo compositus, sed sicut scriptum est: „Omnis gloria regis intrinsecus est,“ et divinorum sensuum thesaurus intra fragile vasculum vilis literae continetur inclusus. Porro autem si quis curiosus explanationem singulorum requirat, veniat et nobiscum pariter audiat quomodo Paulus apostolus per Spiritum sanctum qui perscrutatur etiam profunda Dei, altitudinem divinae sapientiae ac scientiae scrutans, nec tamen ad finem et, ut ita dixerim, ad intimam cognitionem praevalens pervenire, desperatione rei et stupore clamat et dicit: „O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei.“ Et quod desperatione perfectae comprehensionis hoc proclamaverit, audi ipsum dicentem: „Quam inscrutabilia sunt iudicia Dei, et quam investigabiles viae eius.“ Non enim dixit, difficile posse scutari iudicia Dei, sed omnino non posse: nec dixit difficile investigari posse vias eius, sed non posse investigari. Quantumcunque enim quis in scrutando promoveat, et studio intentiore proficiat, gratia quoque Dei adiutus, sensuque illuminatus, ad perfectum finem eorum quae requiruntur, pervenire non poterit; nec omnis mens 189 quae creata est possibile habet ullo genere comprehendere, sed ut invenerit quaedam ex his quae quaeruntur, iterum videt alia quae quaerenda sunt. Quod etsi ad ipsa pervenerit, multo iterum plura ex illis quae requiri debeant pervidebit. Propter quod et sapientissimus Salomon naturam rerum per sapien-

1) Apoc. XIV, 6.

7) Psal. XLIV, 14.

11) Paulus — saeculorum] V. Apol. Pamph. p. 28.

16) Rom. XI, 33. Sapientia et scientia Dei apud Origenem est *sensus mysticus* librorum sacrorum.

18) desperatione perfectae cet.] Nam ne Filius quidem omni ex parte cognoscit Patrem, cf. fragm. l. IV, 6. Itaque hom. I in Ies. p. 107 haec profert: „Operiebant (Seraphim) faciem Dei. Exordium enim Dei ignotum est. Sed et pedes. Novissimum enim quod in Deo nostro est, non comprehenditur. Sola enim media videntur. Ante ista, quae fuerint nescio: ex iis quae sunt intelligo Deum. Post ista quae futura sunt, iuxta quod futura sunt, nescio.“

tiam intuens, ait: „Dixi, Sapiens efficiar, et ipsa sapientia longe facta est a me, longe plus quam erat: et altitudinem profundam quis inveniet“? Sed et Esaias sciens rerum initia a natura mortali inveniri non posse, sed ne ab his quidem naturis quae quamvis diviniores sint quam humana est, factae tamen et ipsae sunt vel creatae: sciens ergo quod a nulla harum neque initium neque finis inveniri potest, ait: „Priora quae fuerint dicite, et scimus quia dii estis: vel novissima quae sunt annunciate, et tunc videbimus quia dii estis.“ Nam et hebraeus doctor ita tradebat: pro eo quod initium omnium vel finis non possit ab ullo comprehendi, nisi tantummodo a *Domino* Iesu Christo, et a Spiritu sancto, aiebat per figuram visionis Esaiam dixisse duos Seraphim *solos* esse qui duabus quidem alis operiunt faciem *Dei*, duabus vero pedes, et duabus volant clamantes ad invicem sibi et dicentes: „Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth, plena est universa terra gloria tua.“ Quod ergo sola Seraphim utrasque alas suas habent in facie Dei, et in pedibus eius, audendum est pronunciare quod neque exercitus sanctorum angelorum, neque sedes sanctae, neque dominationes, neque principatus, neque potestates scire possunt integre initium omnium, et fines universitatis. Sed intelligendum est sanctos istos quos annumeravit spiritus et virtutes proximas quidem esse ipsis initiis, et attingere tantum quantum consequi non valent reliqui: verumtamen quodcunque illud est quod revelante Filio Dei et Spiritu sancto didicerint istae virtutes, quamplurima quidem assequi poterunt et multo plura priores inferioribus, omnia tamen comprehendere impossibile eis est, quia scriptum est: „Quamplurima ex operibus Dei in secretis sunt.“

1) Eccl. VII, 24.

6) diviniores] fortasse in graeco erat nihil nisi θεοὶ, cuius vocis potestas in theologia alexandrina late patet.

9) Ies. XLI, 22. 23.

11) Nam et seqq.] Cf. fragm. L. I, 7.

16) Faciem Dei non suam ipsorum alis tegere Seraphim, interpretabatur Origenes, cf. hom. I in Ies.

18) Ies. VI, 3.

26) annumeravit] Sive haec Rufini sunt, qui interpretem se esse obliviscitur: sive supplendum est *Scriptura*, cf. Rom. VIII, 38.

34) Eccl. XVI, 22.

Digitized by Google

Unde et optabile est ut pro viribus se unusquisque semper extendat ad ea quae priora sunt, ea quae retrorsum sunt obliviscens, tam ad opera meliora, quam etiam ad sensum intellectumque puriorem per Iesum Christum Salvatorem nostrum, cui est gloria in saecula.

XXVII. Omnis ergo cui veritatis cura est, parum de nominibus et sermonibus curet, quia per singulas gentes diversae verborum consuetudines habentur; et hoc magis quod significatur, quam qualibus verbis significetur, intendat: praecipue in tam magnis et tam difficilibus rebus: sicut cum quaeritur, verbi causa, si sit aliqua substantia in qua neque color neque habitus neque tactus neque magnitudo intelligenda sit, mente sola conspicabilis, quam prout vult quis, ita et nominat; nam Graeci ἀσώματον eam, id est incorpoream, dixerunt, divinae vero Scripturae invisibilem esse pronunciant: imaginem enim invisibilis Dei Paulus dicit esse Christum; sed et rursum per Christum creata dixit esse omnia visibilia et invisibilia. Per quod declaratur esse etiam in creaturis quasdam invisibiles secundum proprietatem suam substantias. Sed hae quamvis ipsae non sint corporeae, utuntur tamen corporibus, licet ipsae sint corporea substantia meliores. Illa vero substantia Trinitatis quae principium est et causa omnium, ex qua omnia, et per quam omnia, et in qua omnia, neque corpus neque in corpore esse credenda est, sed ex toto incorporea. Verum haec per excessum quendam, rei tamen ipsius consequentia commonitos breviter dixisse sufficiat ad ostendendum id, quod sunt quaedam quorum significatio proprie nullis omnino

7) In hac praevia totius operis conclusione, quantam sentiendi libertatem concedat, denuo profitetur Origenes. Et recte quidem ad loquendi usum in terminis theologicis nondum satis excultum, qui immanium litium causa fuit, alludit, sententiarum maioris faciens quam verborum consensionem: multum tamen abest, quin consentiat cum Latitudinariis nuper in Hibernia et inter nostrates adeo redivivis, qui omnem dogmaticarum formularum usum, falsa liberalitate abrepti, spernunt. Alioquin contra haereticos non disputasset.

16) ἀσώματον] Cf. l. I. p. 94 ed. huius.

18) Coloss. I, 15.

19) Ibid. 17.

23) Sed hae seqq.] Videntur haec esse Rufini; cf. quae ad l. II de hac re dicuntur.

potest humanae linguae sermonibus explicari, sed simpliciore magis intellectu, quam' ullis verborum proprietatibus declarantur. Ad quam regulam etiam divinarum literarum intelligentia retinenda est, quo scilicet ea quae dicuntur, non pro vilitate sermonis, sed pro divinitate sancti Spiritus qui eas conscribi inspiravit, censeantur.

**Anacephalaeosis de Patre, et Filio, et Spiritu sancto, et ceteris quae superius dicta sunt.**

190 XXVIII. Tempus autem est iam decursis his prout potuimus, quae supra dicta sunt, nunc commonitionis gratia eorum quae sparsim diximus, recapitulare singula, et primo omnium de Patre et Filio et Spiritu sancto repetere.

Deus Pater cum sit invisibilis et inseparabilis a Filio, non per prolationem ab eo, ut quidam *pu-*

1) simpliciore intellectu] Cf. finem l. IV, ad quem de mystica indole theologiae Origenis nonnulla annotavimus.

8) Tempus — prolatus est] Cf. fragm. l. IV, 3 et Apol. Pamph. p. 34, quae aliquanto brevior est in initio huius laciniae. Idem hic locus usque ad verba *natura sit Trinitatis* p. 192, repetitur in l. II ad Ian. p. 595. Uberius in dialogo nunc deperdito Origenem de prolatione Filii disseruisse tradit Hieronymus l. II adv. Ruf. p. 413. „Habetur, inquit, dialogus apud Graecos Origenis et Candidi, Valentinianae haereseos defensoris, in quo duos andabatas digladiantes inter se spectasse me fateor. Dicit Candidus Filium de Patris esse substantia, errans in eo quod *προβολήν*, id est prolationem, asserit. E regione Origenes iuxta Arium et Eunomium repugnat eum vel prolatum esse vel natum, ne Deus Pater dividatur in partes, sed dicit sublimem et excellentissimam creaturam voluntate exstitisse Patris, sicut et ceteras creaturas.“ Haec fere omni ex parte consentiunt cum loco in textu; quae minus consentiant, ea fuisse possunt interpolata. Conqueritur enim Origenes in ep. ad amicos Tom. I p. 6 ab auctore quodam haereseos (quem tamen Bassum aliquem fuisse suspicatur Ruaeus l. c. p. 10, temere, ut videtur) acta disputationis cum ipso publice habitae, addendo et auferendo falsata esse.

9) commonitionis] *commemorationis* Ian.

10) quae sparsim diximus] gr. *τῶν τότε παραλελειμμένων*.

10) recapitulare] gr. *διεξελθεῖν*. Itaque *anacephalaeoseos* titulus sensu stricto non adhibendus erat: supplementa adduntur.

13) invisibilis] gr. *ἀδιαίρετος καὶ ἀμέριστος*; *indivisibilis* mss. Ian. Sed sequitur statim denuo *invisibilis*. Malo codice ut saepe usus esse videtur Rufinus.

14) quidam] ex. gr. Valentiniani, contra quos disputavit Origenes.

Digitized by Google

tant, generatus est Filius. Si enim prolatio est Filius Patris, prolatio vero dicitur quae talem significat generationem qualis animalium vel hominum solet esse progenies, necessario corpus est et is qui protulit, et is qui prolatus est. Non enim dicimus, sicut haeretici putant, partem aliquam substantiae Dei in Filium versam, aut ex nullis substantibus Filium procreatum a Patre, id est extra substantiam suam, ut fuerit aliquando quando non fuerit; sed abscisso omni sensu corporeo ex invisibili et incorporeo verbum et sapientiam genitam dicimus absque ulla corporali passione, velut si voluntas procedat e mente. Nec absurdum videbitur, cum dicatur Filius charitatis, si hoc modo etiam voluntatis putetur. Sed et Ioannes indicat quia Deus lux est, et Paulus designat quia Filius splendor lucis aeternae sit. Sicut ergo lux nunquam sine splendore esse potuit, ita nec Filius quidem sine Patre intelligi potest, qui et figura expressa substantiae eius, et verbum et sapientia dicitur. Quomodo ergo potest dici, quia fuit aliquando quando non fuit Filius? Nihil enim aliud est id dicere, nisi quia fuit aliquando quando veritas non erat, quando sapientia non erat, quando vita non fuerit, cum in his omnibus perfecte Dei patris substantia censeatur. Non enim ab eo dirimi haec, vel ab eius possunt unquam substantia separari. Quae quidem quamvis intellectu multa esse dicantur, re tamen et substantia unum sunt, in quibus plenitudo est divinitatis. Hoc autem ipsum quod dicimus, quia nunquam fuit quando non fuit, cum venia au-

6) partem aliquam] Cf. Tertulliani in l. adv. Praxeam sententias, quas cum Origenis contulit Neander I, p. 689.

7) aut ex — non fuerit] Putat Huetius haec vel a Rufino interpretationi esse intexta, vel ab aliis Rufino antiquioribus graeco ipsi contextui inserta contra Arium, quum Sozomenus dicat neminem ante Arium haec de Filio dogmata ausum esse proferre. Sed apte docet Ruaeus ad h. l. e fragmento Origenis ap. Athanasium de Conc. Nic. p. 233, fuisse ipsius iam tempore, qui dicerent *fuisse aliquando quando non erat Filius*. Et sane temporis exordiis Filii procreationem priorem esse iam ad l. I. p. 107 ed. huius (cf. fragm. l. I, 2) evicimus.

15) 1 Ioh. I.

16) Hebr. I.

17) ita] sc. vice versa; nisi potius inconcinne Rufinus iam ordinem sententiae pervertere videatur, quum dicendum esset: ita nec Pater sine Filio intelligi potest.

diendum est. Nam et haec ipsa nomina temporalis vocabuli significantiam gerunt, id est, quando vel nunquam; supra omne autem tempus, et supra omnia saecula, et supra omnem aeternitatem intelligenda sunt ea quae de Patre et Filio et Spiritu sancto dicuntur. Haec enim sola Trinitas est quae omnem sensum intelligentiae non solum temporalis, verum etiam aeternalis excedit. Cetera vero quae sunt extra Trinitatem, in saeculis et in temporibus metienda sunt. Hunc igitur Filium Dei secundum quod verbum est Deus, quod erat in principio apud Deum, nemo consequenter putabit in loco aliquo contineri, neque secundum quod sapientia est, neque secundum quod veritas est, neque secundum quod vita est, vel iustitia, vel sanctificatio, vel redemtio: haec enim omnia non indigent loco, ut agere quid vel operari possint, sed pro his qui virtutis eius inoperationisque participant, haec singula intelligenda sunt.

XXIX. Si vero quis dicet per eos qui participes sunt verbi Dei, vel sapientiae eius, vel veritatis, vel vitae, etiam ipsum verbum et sapientiam videri in loco esse: respondendum est ei, quia dubium non est quod Christus secundum quod verbum et sapientia est vel cetera omnia, erat in Paulo, propter quod dicebat: „Aut experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus?“ Et iterum: „Vivo autem iam non ego, vivit vero Christus in me.“ Tunc ergo cum esset in Paulo, quis dubitabit quod similiter erat in Petro, et in Ioanne, et in singulis quibusque sanctorum, et non solum in his qui in terris sunt, verum et in his qui in coelis sunt? Absurdum namque est dicere, quia in Petro quidem et in Paulo erat Christus, in Michaele vero archangelo, et in Gabriele non erat. Ex quo manifeste deprehenditur, quia divinitas Filii Dei non in loco aliquo concludebatur; alioquin in ipso

1) Nam et seqq.] cf. l. I. p. 107 n.

19) qui participes] non *qui partes* sunt *τοῦ λόγου*, quod placuit Iustino, Tatiano, Methodio, Tertulliano, v. Keilii Opuscc. p. 680, et Plotino, v. Daehne de Clem. Alex. p. 89. Iam Clemens Alexandrinus hanc sententiam deseruerat, Strom. VII. p. 711. Idem ib. p. 702: *οὐ μεριζόμενος (ὁ λόγος), οὐκ ἀποτεμνόμενος, οὐ μεταβαίνων ἐκ τόπου εἰς τόπον· πάντη δὲ ὢν πάντοτε.*

21) in loco] *in omni loco* mss. Ian.

25) 2 Cor. XIII, 3.

26) Gal. II, 20.

tantum fuisset, et in alio non fuisset: sed secundum
incorporeae naturae maiestatem cum a nullo loco
concludatur, in nullo rursum deesse intelligitur. Ve-
rum illa sola differentia intelligenda est, quod et-
iamsi sit in diversis, sicut diximus, in Petro, vel
Paulo, vel Michaele, vel Gabriele, non tamen simi-
liter est in universis. Plenius enim et clarius, et, ut
ita dixerim, apertius in archangelis est quam in aliis
sanctis viris. Quod ex eo manifestum est, quia cum 191
ad summam perfectionem venerint sancti quique,
dicuntur similes angelis effici vel aequales, secundum
evangelicam sententiam. Unde constat in singulis
quibusque tantum effici Christum, quantum ratio in-
dulserit meritorum.

XXX. His igitur nobis de Trinitatis ratione breviter
repetitis, consequens est illud etiam breviter admo-
nere, quod per Filium „creata“ dicuntur „omnia quae
in coelis sunt, et quae in terra, visibilia, et invisibi-
lia, sive throni, sive dominationes, sive principatus,
sive potestates; omnia per ipsum, et in ipso creata
sunt, et ipse est ante omnes, et omnia illi con-
stant qui est caput.“ Quibus consona etiam Ioan-
nes in Evangelio dicit, quia „omnia per ipsum facta
sunt, et sine ipso factum est nihil.“ David vero to-
tius Trinitatis mysterium in universorum conditione
significans ait: „Verbo Domini coeli firmati sunt, et
spiritu oris eius omnis virtus eorum.“

Post haec vero competenter admonebimus de
adventu corporali et incarnatione unigeniti Filii Dei:
in quo non ita sentiendum est, quod omnis divinita-
tis eius maiestas intra brevissimi corporis claustra
conclusa est, ita ut omne verbum Dei et sapientia
eius ac substantialis veritas ac vita, vel a patre di-
vulsa sit, vel intra corporis eius coercita et con-
scripta brevitatem, nec usquam praeterea putetur
operata: sed inter utrumque cauta pietatis debet esse
confessio, ut neque aliquid divinitatis in Christo de-
fuisse credatur, et nulla penitus a paterna substantia

3) in nullo cet.] Haec minime contraria sunt fragmento l. I, 8.

11) Matth. XXII, Luc. XX.

11) vel aequales] Interpretatur Rufinus vocem ὅμοιος.

17) Coloss. I, 16.

23) Ioh. I, 3.

26) Ps. XXXII, 16.

30) in quo etc.] Minime haec contraria sunt l. II, p. 90: cf. quae statim sequuntur in textu. Removet *localis* inhabitationis errorem.

quae ubique est, facta putetur esse divisio. Tale namque aliquid etiam baptista Ioannes indicat, cum corporaliter absente Iesu diceret ad turbas: „Medius vestrum stat quem vos nescitis, qui post me venit, cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum.“ Quod utique dici non poterat de eo qui absens erat, quantum ad corporalem praesentiam pertinet, quia medius staret eorum inter quos non aderat corporaliter Filius Dei.

XXXI. Ne quis tamen nos existimet per haec illud affirmare, quod pars aliqua deitatis Filii Dei fuerit in Christo, reliqua vero pars alibi vel ubique: quod illi sentire possunt qui naturam substantiae incorporeae atque invisibilis ignorant. Impossibile namque est de incorporeo partem dici, aut divisionem aliquam fieri; sed in omnibus, et per omnia, et super omnia est, eo modo quo superius diximus, id est, quo vel sapientia, vel verbum, vel vita, vel veritas intelligitur: per quem intellectum omnis sine dubio conclusio localis excluditur. Volens igitur Filius Dei pro salute generis humani apparere hominibus, et inter homines conversari, suscepit non solum corpus humanum, ut quidam putant, sed et animam, nostrarum quidem animarum similem per naturam, proposito vero et virtute similem sibi, et talem qualis omnes voluntates et dispensationes verbi ac sapientiae indeclinabiliter possit implere. Quod autem habuerit animam, manifestissime in Evangeliis designat ipse Salvator, dicens: „Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam abs me. Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum potestatem habeo assumendi eam.“ Et rursum: „Tristis est anima mea usque ad mortem.“ Et iterum: „Nunc anima mea turbata est.“ Neque enim tristis et turbata anima verbum Dei intelligendum est quod ex auctoritate divinitatis dicit: „Potestatem habeo ponendi animam meam.“ Nec tamen ita dicimus fuisse Filium Dei in illa anima, sicut fuit in anima Pauli, vel

3) Ioh. I, 26. Uberius haec persequitur Tom. VI in Ioh. p. 138.

23) ut quidam s.] Nescio an haec verba sint Rufini: nam Apollinaristarum ante Apollinarem nulla reperiri possunt vestigia.

29) Ioh. X, 18.

32) Matth. XXVI, 38.

33) Ioh. XII, 27.

36) Matth. XXVI, 28.

Petri, ceterorumque sanctorum, in quibus Christus similiter ut in Paulo loqui creditur. Sed de illis omnibus illud sentiendum est quod Scriptura dicit quia „nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita eius.“ Haec vero anima quae fuit in Iesu, priusquam sciret malum, elegit bonum: et quia dilexit iustitiam, et odit iniquitatem, propterea unxit eam Deus oleo laetitiae prae participibus suis. Oleo ergo laetitiae ungitur, cum verbo Dei immaculata foederatione coniuncta est, et per hoc sola omnium animarum peccati incapax fuit, quia Filii Dei bene et plene capax fuit: ideoque et unum cum ipso est, atque eius vocabulis nuncupatur, et Iesus Christus appellatur, per quem omnia facta esse dicuntur. De qua anima, quoniam totam in se sapientiam Dei et veritatem vitamque receperat, etiam illud arbitror dixisse apostolum, qui ait quoniam „vita nostra abscondita est cum Christo in Deo: cum autem Christus apparuerit vita nostra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria.“ Quis enim alius hic intelligendus Christus, qui in Deo absconditus dicitur et postea appariturus, nisi ille qui oleo laetitiae unctus refertur, id est, substantialiter Deo repletus, in quo nunc absconditus dicitur? Propterea enim et omnibus credentibus Christus exemplum ponitur, quia sicut ille semper et antequam sciret omnino malum elegit bonum, et dilexit iustitiam, et odio habuit iniquitatem, et propterea unxit eum Deus oleo laetitiae: ita et unusquisque post lapsum, vel post errorem expurget se maculis, exemplo proposito, et habens itineris ducem arduam viam virtutis incedat; ut sic forte per hoc in quantum fieri potest per imitationem eius participes efficiamur divinae naturae, sicut scri- 192
ptum est, quia „qui dicit se Christo credere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.“ Hoc ergo verbum et haec sapientia per cuius imitationem vel sapientes vel rationabiles dicimur, omnibus fit omnia, ut omnes lucrifaciat; et fit infirmus infirmis, ut in-

4) Hiob XV, 14.

6) priusquam] i. e. omnino nunquam peccavit, cf. l. III, p. 153.

6) Psal. XLV.

17) Coloss. III, 3.

23) substantialiter] i. e. ita ut non *accidentem* (p. 193 v. f.) cum Deo coniunctionem haberet, sed *per substantiam*, gr. *οὐσιωδῶς* (p. 194 v. f.) Deus ipsi inesset. Cf. lib. I. p. 144. lin. 21.

34) 1 Ioh. II, 6.

firmos lucrifaciat: et quia infirmus efficitur, propter hoc dicitur de eo: „Etiam si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.“ Denique Corin-
XXXII. thiis qui infirmi erant, Paulus nihil se indicat „scire nisi Christum Iesum, et hunc crucifixum.“ Quidam autem volunt de ipsa anima dictum videri, cum primum de Maria corpus assumsit, etiam illud quod apostolus dicit: „Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens“: cum eam sine dubio in formam Dei melioribus exemplis et institutionibus repararet, atque in eam plenitudinem unde se exinaniverat, revocaret.

Sicut autem participatione Filii Dei quis in filium adoptatur, et participatione sapientiae in Deo sapiens efficitur, ita et participatione Spiritus *sancti* sanctus et spiritalis efficitur. Unum enim atque idem est Spiritus sancti participium sumere, quod est Patris et Filii: quippe cum una et incorporea natura sit Trinitatis. Verum quae de participatione animae diximus, simili ratione ut de animabus, ita et de angelis et coelestibus sunt intelligenda virtutibus: quoniam omnis rationabilis creatura participio indiget Trinitatis.

Sed et mundi huius visibilis ratio, quoniam vel maxima etiam de his haberi quaestio solet, qualiter se habeat, prout potuimus in superioribus diximus pro iis qui in fide nostra etiam credendi rationem perquirere solent, et pro iis qui haeretica adversum nos certamina commovent, et materiae nomen, quod ne ipsi quidem quale sit adhuc intelligere potuerunt,

2) 2 Cor. XIII, 4.

4) 1 Cor. II, 2.

5) Quidam seqq.] Theophilus in epist. encyclica quam primum edidit Vallarsi (Opp. Hieron. I, p. 537), et Hieronymus l. II adv. Ruf. (p. 403 Mart.) Origenem ipsum ad animam Salvatoris hunc locum Pauli retulisse tradunt. Vix dubitem immutatum esse textum a Rufino. Responsio eius ad hanc criminationem interiit.

8) Phil. II, 6.

10) cum eam cet.] i. e. quum rectius dicatur in formam Dei indies omni studio redegisse animam, quam deseruisse eam hanc formam.

17) Unum enim seqq.] Sine dubio haec sunt Rufini; cf. fragm. l. I, 8.

24) Trinitatis] graece, ut suspicor: τοῦ λόγου.

28) pro iis] i. e. in usum eorum, quos describit in Praefatione p. 89.

solent frequentius ventilare: de quo necessarium puto etiam nunc breviter commonere.

Et primo quidem sciendum est quod nomen XXXIII. ipsum materiae pro ea substantia quae subesse corporibus dicitur, positum in Scripturis canonicis nusquam usque ad praesens invenimus. Illud enim quod dicit Esaias: „Et comedet sicut foenum ὕλην, a id est materiam, dicens de eis qui in suppliciis constituti sunt, materiam posuit pro peccatis. Sed et sicubi in alio loco scriptum forte materiae nomen est, nusquam, ut ego arbitror, hoc de quo nunc quaerimus significare invenietur, nisi tantummodo in Sapientia quae dicitur Salomonis, qui utique liber non ab omnibus in auctoritate habetur. Ibi tamen scriptum invenimus hoc modo: „Non enim“ inquit „deerat omnipotenti manui tuae quae creaverat mundum ex informi materia, immittere eis multitudinem ursorum, vel feroces leones.“ Quamplurimi sane putant rerum ipsam materiam significari in eo quod in principio Genesis scriptum est a Moyse: „In principio fecit Deus coelum et terram, terra autem erat invisibilis et incomposita;“ invisibilem namque et incompositam terram non aliud eis Moyses quam informem materiam visus est indicare. Quod si vere haec est materia, constat exinde inconvertibilia non esse initia corporum. Nam hi qui atomos, vel ea

7) Ies. X, 17.

13) qui utique liber] Ipse dubitare videtur de libri huius apocryphi auctoritate, Prolog. in Cant. p. 19, tamen *θεῖον λόγον* eum nominat c. Cels. III, p. 494. De apocryphis, quos nos dicere solemus, libris palam esse dicit, multa ex ipsis ab apostolis vel evangelistis proferri in Novo Test. exempla, ideoque minime eos reiiciendos esse, Prol. in Cant. p. 36.

15) Sap. XI, 18.

17) materia] gr. ὕλη.

18) Quamplurimi] Origenes utique ipse, v. paragr. XXXV.

20) Gen. I, 1.

22) invisibilem] quia *πάντων ἐκτὸς εἰδῶν* erat, v. l. II, p. 163 n. Itaque secundum Philonem ὕλη est ἄμορφος, ἄποιος, ἄσημος, ἀνείδεος, ἀσχημάτιστος, ἀόριστος etc.; v. Daehne p. 185.

25) haec est] sc. *illud* cuius in Genesi mentio fit, sive *eiusmodi*, qualis ibi describitur.

26) Nam hi cet.] Subaudi ante haec verba: Si autem non eiusmodi aliquid materia est, proprio sensu materia nulla datur, sed *materialia*, ut ita dicam, i. e. corporea iam videbuntur initia rerum, sive elementa ipsa, ita ut aerem, aquam etc., sive atomos rebus subiicias. — Orationis inconcinnitas ex interpolatione textus exorta videtur. Iniusta

quae in partes venire non possunt, vel ea quae in aequales partes veniunt, vel unum aliquod elementum rerum corporalium principia posuerunt, nomen materiae, id est quod principaliter materiam significat, inter principia statuere non potuerunt. Neque enim cum materiam subiiciunt omni corpori per omnia convertibilem substantiam vel mutabilem vel divisibilem, extra qualitates eam secundum proprietatem subiicient. Quibus etiam nos acquiescimus, qui omni genere abnuimus ingenitam vel infectam dici materiam debere, secundum haec quae in prioribus prout potuimus ostendimus, cum etiam ex aqua, et terra, aëre, vel calore per diversa arborum genera diversos ostendimus proferri fructus; vel cum ignem, aërem, aquam terramque mutari in semetipsa invicem, ac resolvi aliud in aliud elementum mutua quadam consanguinitate docuimus: sed et cum de escis vel hominum vel animalium probavimus substantiam carnis exsistere, vel humorem seminis naturalis in carnem solidam ossaque converti. Quae omnia documento sunt quod substantia corporalis permutabilis sit, et ex omni in omnem deveniat qualitatem.

igitur anathematismatis VI. ap. Mansi T. IX, p. 397 criminatio.

lin. ead.) vel ea] sc. elementa; *vel* hoc loco semel sensu *id est; ea* i. q. eiusmodi, quae in partes venire non possunt, ut Leucippus, Democritus, Epicurus docebat.

1) vel ea quae in aequales cet.] Ad Anaxagorae ὁμοιομερίας haec spectant.

2) vel unum aliquod seq.] Sicuti Thales aquam, Anaximander elementum quoddam aqua subtilius, aere crassius, Anaximenes aerem etc. Itaque tria philosophorum genera hoc loco distinguuntur: Atomistae, Homoeomeristae, denique qui ex uno aliquo elemento ceteris subiacente rerum initia deducunt. Hi omnes, inquit, parum philosophice materiam inducunt, cuius origo denuo explicatione eget, neque ad principia usque ipsa perveniunt.

4) principaliter] i. e. sensu proprio, inde a Platone inter philosophos melioris notae regnante.

6) materiam] sc. eo sensu minus exculto, quo ante Platonem haec vox adhibebatur: *cum qualitatibus iam coniunctam* sive *corpoream*.

8) proprietatem] gr. fortassis: κατὰ τὴν ἰδιότητα.

9) Quibus etiam nos] Refer haec ad: *Quod si vere est* etc. Nam statim etsi non re ipsa, intellectu tamen discernit inter materiam omni ex parte ἄποιον, et eam quae qualitatibus iam utatur.

11) in prioribus] v. l. II. p. 162 ss.

Digitized by Google

Verumtamen illud scire oportet, quod nunquam XXXIV. substantia sine qualitate subsistit, sed intellectu solo discernitur, hoc quod subiacet corporibus et quod capax est qualitatis esse materia. Quidam altius ergo de his volentes inquirere, ausi sunt dicere, nihil aliud esse naturam corpoream quam qualitates. Si enim duritia et mollities, calidum et frigidum, humidum et aridum qualitas est, his autem vel ceteris huiusmodi amputatis nihil aliud intelligitur subiacere, videbuntur qualitates esse omnia. Unde et hi qui haec asserunt, asseverare conati sunt, ut quoniam omnes qui materiam infectam dicunt, qualitates a Deo factas esse confitentur, inveniatur per hoc etiam secundum ipsos nec materia esse infecta; siquidem qualitates sint omnia, quae utique sine contradictione ab omnibus a Deo factae esse pronunciantur. Hi vero qui subiacenti cuidam materiae additas 193 extrinsecus qualitates volunt ostendere, huiuscemodi utuntur exemplis; verbi gratia: Paulus sine dubio aut tacet aut loquitur, aut vigilat aut dormit, vel certo quodam corporis habitu consistit; aut enim sedet, aut stat, aut iacet. Haec enim sunt hominibus accidentia, sine quibus nunquam fere inveniuntur. Nec tamen sensus noster manifeste de eo aliquid horum definit, sed ita eum per haec intelligimus vel consideramus, ut non omnino rationem status eius comprehendamus, vel in eo quod vigilat vel in eo quod dormit, aut in quo loquitur vel tacet, et si qua alia sunt quae accidere necesse est hominibus. Si ergo quis Paulum sine his omnibus esse consideret quae possunt accidere, ita et id quod subiacet quis intelligere sine qualitatibus poterit. Cum ergo sensus noster omni qualitate ab intellectu suo remota ipsum subiacentiae solius, ut ita dixerim, punctum contuetur, et ipsi inhaeret, nequaquam respiciens ad mollitiem vel duritiem, vel calidum vel frigidum, vel humidum vel aridum substantiae: tunc simulata quodammodo cogitatione, his omnibus qualitatibus nudam videbitur intueri materiam.

2) substantia] i. e. quicquid existit.

2) intellectu] Cf. l. II. p. 166 n.

4) Quidam ausi sunt] Itaque improbat eorum sententiam. Apparet ex iis quae sequuntur, eos fuisse Christianos.

37) simulata cogitatione] Egregie: cogitari enim proprio sensu materia ita comparata non potest.

Digitized by Google

XXXV. Sed fortasse requiret aliquis, si possumus etiam de Scripturis occasionem aliquam intelligentiae huius accipere. Videtur mihi tale aliquid significari in Psalmis, cum dicitur a propheta: „Imperfectum tuum viderunt oculi mei.“ In quo videtur mens prophetae rerum initia intuitu perspicaciore discutiens, et materiam sensu solo ac ratione a qualitatibus dividens, imperfectum Dei sensisse, quod utique adiectis qualitatibus intelligitur consummatum. Sed et in libro suo Enoch ita ait: „Ambulavi usque ad imperfectum,“ quod ipsum puto posse similiter intelligi, quod scilicet ambulaverit mens prophetae perscrutans et discernens singula quaeque rerum visibilium usqueque ad principium venerit illud in quo imperfectam materiam absque qualitatibus perviderit; scriptum namque est in eodem libello, dicente Enoch: „Universas materias perspexi.“ Quod utique ita sentitur quasi: Omnes materiae divisiones pervidi, quae ab una in singulas quasque diruptae sunt species, id est hominum, vel animalium vel coeli, vel solis, vel omnium quae in hoc mundo sunt.

Post haec iam omnia quae sunt a Deo facta esse, et nihil esse quod factum non sit praeter naturam Patris et Filii et Spiritus sancti, prout potuimus in superioribus demonstravimus; et quod volens Deus, qui natura bonus est, habere quibus benefaceret, et qui adeptis beneficiis suis laetarentur, fecisset dignas creaturas, id est quae eum digne capere possent, quos et genuisse se filios dicit. Fecit autem omnia in numero et mensura. Nihil enim Deo vel sine fine, vel sine mensura est. Virtute enim sua omnia comprehendit, et ipse nullius creaturae sensu comprehen-

4) Psal. CXXXVIII, 16. Graece apud LXX ed. Comm.: ἀκατέργαστόν μου εἶδον οἱ ὀφθαλμοί σου. Sed nihil mutandum in textu. Originem existimasse non Deum prophetae, sed prophetam Dei imperfectum vidisse, sequentia docent.

10) Cf. librum Enoch c. 17.

16) Ibid.

26) habere quibus] Itaque amor divinus causa est creationis.

29) genuisse] Ies. I, 2, sec. LXX: υἱοὺς ἐγέννησα καὶ ὕψωσα κ. τ. λ.

32) et ipse sqq.] „Si enim Patrem cognoscit Filius, videtur in eo quod novit Patrem, posse eum comprehendere: ut si dicimus artificis animum artis scire mensuram. Nec dubium quin, si Pater sit in Filio, et comprehendatur ab eo in quo est. Sin autem comprehensionem eam dicimus, ut non solum sensu quis et sapientia comprehendat, sed et

Digitized by Google

sus est. Illa enim natura soli sibi cognita est. Solus enim Pater novit Filium, et solus Filius novit Patrem, et solus Spiritus sanctus perscrutatur etiam alta Dei. Omnis igitur creatura intra certum apud eum numerum mensuramque distinguitur, id est vel rationabilium numerus, vel mensura materiae corporalis: ut quoniam necesse erat uti corporibus intellectualem naturam, quae et commutabilis et convertibilis deprehenditur ea ipsa conditione qua facta est; quod enim non fuit, et esse coepit, etiam hoc ipso naturae mutabilis designatur: ideo nec substantialem habeat vel virtutem vel malitiam, sed accidentem. Quoniam ergo, ut diximus, mutabilis et

virtute et potentia cuncta teneat qui cognovit: non possumus dicere, quod comprehendat Filius Patrem. Pater vero (*cf. fragm. l.* IV, 6) omnia comprehendit. Inter omnia autem et Filius est, ergo et Filium comprehendit. Curiosus lector inquirat, utrum ita a semetipso cognoscatur Pater, quomodo cognoscitur a Filio; sciensque illud quod scriptum est: *Pater qui me misit, maior est omnibus*, verum esse contendet, ut dicat, et in cognitione Filio Patrem esse majorem, dum perfectius et purius a semetipso cognoscitur, quam a Filio.“ Versio Hieronymi in epist. ad Avitum p. 768. Quodsi cum artificis animo Filium hoc loco comparat Origenes, meminisse iuvat, *animam* Dei eum vocari l. II, c. VIII. — *et comprehendatur* sc. sensu et scientia, quod statim sequitur. — *sensu et scientia*] Haec prorsus Clementis Alex. sententiam redolent, qui omni ex parte Patrem a Filio cognosci docet, Strom. V, p. 563; Daehne de Clem. Alex. p. 101. Eadem docebat Plotinus, qui τὸν νοῦν s. τὸν λόγον definire solet, τὴν τοῦ ἑνὸς ὅρασιν ad se ipsum reflexam, Enn. V, 1, 7. Clemens vero, quamvis saepissime idem esse dicat τὸν νοῦν et τὸν λόγον, wulgari tamen sensu Patrem ipsum vocat τὸν νοῦν, et Filium υἱὸν τοῦ νοῦ γνήσιον, Protrept. p. 62. Sic Origenes quoque hoc loco et in paragr. seq., ubi Deum vocat *lucem intellectualem*, Patri cognitionem sui ipsius et rerum omnium aperte tribuit, a Plotini dogmate, toto caelo dissentiens; et in initio quidem huius laciniae ab Hieronymo servatae Filii cognitionem, qua Patrem cognoscit, ipsi paternae exaequat; mox tamen quid vere senserit apertius profitetur. Cf. notam ad fragm. l. IV, 6. Quod apud Hieron. est *virtute et potentia*, in graeco fuisse videtur τῇ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ.

7) necesse erat] sc. quia e peccandi possibilitate peccata secutura esse Deus praesciebat. Non enim de aethereis corporibus loquitur.

10) quod enim cet.] Sequitur non ita in corpore subtiliore animarum, sed in ea re, quod certis limitibus et finibus creati omnes circumscripti sunt, peccandi possibilitas positam esse.

Digitized by Google

convertibilis erat natura rationabilis, ita ut pro meritis etiam diverso corporis uteretur indumento illius vel illius qualitatis, necessarium fuit ut sicut diversitates praenoscebat Deus futuras vel animarum vel virtutum spiritalium, ita etiam naturam corpoream faceret, quae permutatione qualitatum in omnia quae res posceret conditoris arbitrio mutaretur. Quam tamdiu necesse est permanere, quamdiu permanent
194 ea quae indigent eius indumento; semper autem erunt rationabiles naturae quae indigent indumento corporeo: semper ergo erit natura corporea cuius indumentis uti necesse est rationabiles creaturas; nisi quis putet posse se ullis assertionibus ostendere quod possit natura rationabilis absque ullo corpore vitam degere. Sed quam difficile sit, et quam pene impossibile intellectui nostro, in superioribus singula disserentes ostendimus.

XXXVI. Puto sane operi huic nostro contrarium non videri si etiam de immortalitate rationabilium naturarum quam possumus breviter repetamus. Omnis qui participat alicuius, cum eo qui eiusdem rei particeps est sine dubio unius substantiae est, uniusque naturae. Ut puta omnes oculi lucis participant, et ideo omnes oculi qui de luce participant, unius naturae sunt; sed licet omnis de luce participet oculus, tamen quoniam alius acutius, alius obtusius videt, non omnis oculus aequaliter de luce participat. Et rursum: omnis auditus vocem vel sonum recipit, et ideo omnis auditus unius naturae est; verum pro qualitate puri et sinceri auditus unusquisque velocius

4) praenoscebat] antequam tempus esset.

7) Quam tamdiu seqq.] Interpolavit haec Rufinus, Cf. versionem Hieronymi, quam statim subiungimus.

12) nisi quis seqq.] „Si quis autem potuerit ostendere incorporalem rationabilemque naturam, quum expoliaverit se corpore, vivere per semetipsam, et in peiori conditione esse quando corporibus vestitur, in meliori, quando illa deponit: nulli dubium est corpora non principaliter subsistere, sed per intervalla et ob varios motus rationabilium creaturarum nunc fieri, ut qui his indigent vestiantur; et rursum quum illa depravatione lapsuum se ad meliora correxerint, dissolvi in nihilum: et hac semper successione variari.“ Versio Hieronymi l. c. p. 768. Cf. fragm. l. IV, 7. Hoc etiam loco ζητητικῶς disserere Origenem, neminem latere potest.

audit, vel tardius. Transeamus ergo ab his sensibilibus exemplis ad intellectualium contemplationem. Omnis mens quae de intellectuali luce participat, cum omni mente quae simili modo de intellectuali luce participat unius sine dubio debet esse naturae. Si ergo coelestes virtutes intellectualis lucis, id est divinae naturae, per hoc quod sapientiae et sanctificationi participium sumunt, et humanae animae eiusdem lucis et sapientiae participium sumserunt, et ita sunt unius naturae ad invicem uniusque substantiae; incorruptae autem sunt et immortales coelestes virtutes: immortalis sine dubio et incorrupta erit etiam animae humanae substantia. Non solum autem, sed quoniam ipsa Patris et Filii et Spiritus sancti natura, cuius solius intellectualis lucis universa creatura participium trahit, incorrupta est et aeterna, valde consequens et necessarium est etiam omnem substantiam quae aeternae illius naturae participium trahit, perdurare etiam semper, et incorruptibilem esse et aeternam; ut divinae bonitatis aeternitas etiam in ea intelligatur, dum et aeterni sunt hi qui eius beneficia consequuntur. Sed sicut percipiendae lucis diversitas servata est in exemplis, cum vel obtusior vel acutior obtutus designatus est intuentis: ita etiam de Patris et Filii et sancti Spiritus participatione

3) Omnis mens cet.] „Intellectualem rationabilemque naturam sentit Deus et unigenitus Filius eius et Spiritus sanctus; sentiunt angeli et potestates, ceteraeque virtutes; sentit interior homo qui ad imaginem et similitudinem Dei conditus est. Ex quo concluditur Deum et haec quodammodo unius esse substantiae.“ Versio Hieronymi in ep. ad Avitum p. 769. *Quodammodo* unius substantiae Deum et animum hominis vocat, non ὁμοούσιον, v. fragm. l. II, 1 n.; et in Exhort. ad mart. p. 306 ὡς ψυχῆς, inquit, ἐχούσης τι συγγενὲς θεῷ; denique cf. Tom. XIII in Ioh. p. 235. Itaque temere de hoc dogmate in iudicium vocatur ab Hieronymo l. c., quasi *unius naturae*, quod Rufinus non satis accurate vertit, animas cum Deo esse dixerit. Purgavit Origenem ab hoc errore praeter Huetium II, 1, 7, Iac. Basnage histoire de l'église l. X, p. 518. Veterum theologorum de animo humano ἐκ τοῦ λόγου τοῦ θεοῦ profecto, sententias exposuit Keil opuscc. p. 677. Gnosticorum erroribus commoti Clemens et Origenes priorem Iustini M., Clementinorum, Tatiani sententiam, animam τοῦ λόγου partem esse aliquam, deseruisse videntur. Postea tamen Synesius, Arnobius, Lactantius eandem hanc prioris aevi sententiam professi sunt.

Digitized by Google

servanda est pro intentione sensus vel mentis capacitate diversitas. Alioquin consideremus, si non etiam impium videtur ut mens quae Dei capax est, substantialem recipiat interitum: tanquam hoc ipsum quod intelligere Deum potest et sentire, non ei sufficere possit ad perpetuitatem, maxime cum, etiamsi per negligentiam decidat mens ne pure et integre in se recipiat Deum, semper tamen habeat in se velut semina quaedam reparandi ac renovandi melioris intellectus, cum ad imaginem et similitudinem Dei qui creavit eum, interior homo, qui et rationalis dicitur, renovatur. Propter quod et propheta dicit: „Reminiscentur et convertentur ad Dominum omnes fines terrae, et adorabunt in conspectu eius familiae omnes gentium."

XXXVII. Si quis vero audet substantialem corruptionem dare ei qui secundum imaginem et similitudinem Dei factus est, ut ego puto, etiam in ipsum Filium Dei causam impietatis extendit: imago namque Dei etiam ipse appellatus est in Scripturis. Aut certe accuset, qui haec ita vult, Scripturae auctoritatem quae dicit ad imaginem Dei factum esse hominem: in quo et manifeste divinae imaginis cognoscuntur indicia, non per effigiem corporis quae corrumpitur, sed per animi prudentiam, per iustitiam, per moderationem, per virtutem, per sapientiam, per disciplinam, per omnem denique virtutum chorum, quae cum Deo insint per substantiam, in homine possunt esse per industriam, et per imitationem Dei, sicut et

13) Psal. XXII, 27.

19) Cf. Col. I, 15; 2 Cor. IV, 4; Hebr. I, 3. V. fragm. l. IV, 5.

25) per animi, cet.] Cf. fragm. l. I, 4n.

28) in homine seqq.] Eadem profitetur Clemens Alex. Strom. VI, p. 662. Impediunt *τὰ πάθη* sive corporis affectiones, ne statim bonum ideo quod bonum est faciamus, sed quod natura nobis deest, studio et industria conquiritur: *ὅτι*, inquit, *φύσει μὲν ἐπιτήδειοι γεγόναμεν πρὸς ἀρετήν· οὐ μὴν ὥστε ἔχειν αὐτὴν ἐκ γενετῆς, ἀλλὰ πρὸς τὸ κτήσασθαι ἐπιτήδειοι.* Affectibus tandem ablatis et *ἀπαθείᾳ* assecuta ad finem bonorum pervenitur, et non solum scientiam et cognitionem Dei possidebimus tunc, sed ipsi erimus *ἐπιστήμη καὶ γνῶσις*. Haec est beatissima illa *ἐποπτεία* Dei, de qua v. Paedag. I, p. 108, sive ἡ *κατάληψις τῆς θείας δυνάμεως καὶ οὐσίας*, Strom. V, p. 579, qua *θεοὶ γινόμεθα*, ib. IV, p. 534. Haec Clemens.

Dominus designat in Evangelio, dicens: „Estote ergo misericordes sicut et Pater vester misericors est;“ et: „Estote perfecti sicut et Pater vester perfectus est.“ Unde evidenter ostenditur quod in Deo quidem hae omnes virtutes semper sunt, nec unquam accedere possunt aut recedere, ab hominibus vero paulatim et singulae quaeque conquiruntur. Unde etiam con- 193
